
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

M. TULLII CICERONIS

ACADEMICORUM

LIBRI DUO

ET

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

CUM INTEGRA VARIETATE VICTORIANA, LAMBINIANA, DAVISIANA, LALLEMANDIANA, ERNESTIANA, BREMIANA, GOERENZIANA ET SCHUETZIANA RELIQUAEQUE ACCURATO DELECTU

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

ACCEDUNT

AURELII AUGUSTINI ADVERSUS ACADEMICOS LIBRI TRES. PETRI VALENTIAE ACADEMICA. DURANDI CURAE POSTERIORES INEDITAE. MORELII ADNOTATIONES CRITICAE IN LIBROS DE FINIBUS.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXVII.

PRAEFATIO.

Placuit redemptori, ut Ciceronis quaedam scripta philosophica, in primis Academica, libri de Finibus et Tusculanae ex mea operum omnium editione separatim quoque comparari possent a magistris publice ea interpretaturis atque horum auditoribus. Etenim, quomodocunque aequales mei posterique hac de cura iudicabunt, id saltem nemo infitiabitur, hic singula fere verba certis munita esse auctoritatibus, exhiberi praestantissimarum quarumque editionum varietatem integram, ita, ut aequiore nunc animo careas v. c. Victorio et Lambino; corrigi plurimos criticorum errores, saepe inveteratos iam ac per manus quasi traditos; fundamentum denique iactum esse, cui superstrui queat et accuratior interpretatio et nova emendatio tum ex ingenio, tum e subsidiis mihi negatis petenda. Huic igitur typographi consilio obniti equidem nec debui, nec volui; id tamen pro meo iure postulavi, ut ista occasione oblata, singulis scriptis adderentur vel alii similis argumenti antiquorum libri, vel recentiorum opuscula rariora, quibus illa illustrarentur, vel etiam criticae adnotationes e commentariis VV. DD. Sec. XVI. potissimum depromptae; eo scilicet fine, ut praeter scholae brevissimum usum ab uno et altero eruditorum etiam aliquot post annos requirerentur ista volumina ab operum integro corpore separata. Itaque Tullii Academicis et de Finibus bonorum et malorum libris comites dedi Aurelii Augustini adversus Academicos libros tres. Est is, mea quidem ex sententia, optimus philosophus in primisque acutus, ubi externa illa auctoritate, cui obnoxius erat, non obscuratur atque opprimitur liberum eius de rebus et divinis et humanis iudicium. Haud exiguam autem utilitatem studiosis praebebit diligens istorum librorum cum Cicerone comparatio, sive res ipsas spectabunt, sive sermonem. Similem propter causam adiunxi Petri Valentiae Academica; e quibus perdisci potest, qua via ac ratione usi, quem profectum capientes, quibusque difficultatibus impediti quidam haud contemnendi ingenii homines seculorum XV. et XVI. pertractare coeperint historiam philosophiae antiquae, vel Graecorum opiniones ac decreta ipsa renovare atque in vitam quasi revocare tentarint. Excellere in his cum Ficino, Pomponatio, Patricio et Lipsio videtur Hispanus ille, cuius librum apud nos rarissimum accurate meos in usus descripsit Iulius Berger, doctus

M. TULLII CICERONIS

ACADEMICORUM

LIBRI DUO

ET

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

CUM INTEGRA VARIETATE VICTORIANA, LAMBINIANA, DAVISIANA, LALLEMANDIANA, ERNESTIANA, BREMIANA, GOERENZIANA ET SCHUETZIANA RELIQUAEQUE ACCURATO DELECTU

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

ACCEDUNT

AURELII AUGUSTINI ADVERSUS ACADEMICOS LIBRI TRES. PETRI VALENTIAE ACADEMICA. DURANDI CURAE POSTERIORES INEDITAE. MORELII ADNOTATIONES CRITICAE IN LIBROS DE FINIBUS.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXVII.

PRAEFATIO.

Placuit redemptori, ut Ciceronis quaedam scripta philosophica, inprimis Academica, libri de Finibus et Tusculanae ex mea operum omnium editione separatim quoque comparari possent a magistris publice ea interpretaturis atque horum auditoribus. Etenim, quomodocunque aequales mei posterique hac de cura iudicabunt, id saltem nemo infitiabitur, hic singula fere verba certis munita esse auctoritatibus, exhiberi praestantissimarum quarumque editionum varietatem integram, ita, ut aequiore nunc animo careas v. c. Victorio et Lambino; corrigi plurimos criticorum errores, saepe inveteratos iam ac per manus quasi traditos; fundamentum denique iactum esse, cui superstrui queat et accuratior interpretatio et nova emendatio tum ex ingenio, tum e subsidiis mihi negatis petenda. Huic igitur typographi consilio obniti equidem nec debui, nec volui; id tamen pro meo iure postulavi, ut ista occasione oblata, singulis scriptis adderentur vel alii similis argumenti antiquorum libri, vel recentiorum opuscula rariora, quibus illa illustrarentur, vel etiam criticae adnotationes e commentariis VV. DD. Sec. XVI. potissimum depromptae; eo scilicet fine, ut praeter scholae brevissimum usum ab uno et altero eruditorum etiam aliquot post annos requirerentur ista volumina ab operum integro corpore separata. Itaque Tullii Academicis et de Finibus bonorum et malorum libris comites dedi Aurelii Augustini adversus Academicos libros tres. Est is, mea quidem ex sententia, optimus philosophus in primisque acutus, ubi externa illa auctoritate, cui obnoxius erat, non obscuratur atque opprimitur liberum eius de rebus et divinis et humanis iudicium. Haud exiguam autem utilitatem studiosis praebebit diligens istorum librorum cum Cicerone comparatio, sive res ipsas spectabunt, sive sermonem. Similem propter causam adiunxi Petri Valentiae Academica; e quibus perdisci potest, qua via ac ratione usi, quem profectum capientes, quibusque difficultatibus impediti quidam haud contemnendi ingenii homines seculorum XV. et XVI. pertractare coeperint historiam philosophiae antiquae, vel Graecorum opiniones ac decreta ipsa renovare atque in vitam quasi revocare tentarint. Excellere in his cum Ficino, Pomponatio, Patricio et Lipsio videtur Hispanus ille, cuius librum apud nos rarissimum accurate meos in usus descripsit Iulius Berger, doctus

iuvenis Parisiensis. Sed ut critica quoque aliqua dote instruerem hoc volumen, summa concessit benignitas Aug. Renuardi, celebratissimi Aldorum biographi, qui, quum Durandii curas posteriores ineditas possideret, noluit eas invidere philologis, sed ut ab eodem Bergero excerperentur, ultro permisit. Utrique publice hoc loco gratias ut agam, ipsum officium postulat. Eo quoque inclinabat animus, ut repeti curarem Morelii rarissimum in libros de Finibus commentarium; qui, si Camerarii, Turnebi, Mureti, P. Fabri similes curas haud prorsus exaequat, cum his tamen merito potest comparari. Id autem et ipse, adolescentulus, aliquando in me sum expertus, et nunc in melioribus meis discipulis saepe animadverto, libenter illam per aetatulam legi eiusmodi commentarios seculi XVI., qui provectioribus quidem in multis nunc inutiles, nimis verbosi, parum accurati interdum videntur. Attamen continent haud pauca verae doctrinae elementa, immo etiam recondita quaedam, frustra quae quaesieris in recentioribus; et Latinitate ipsa, mascula illa et expedita, nondumque in nostrorum Grammaticorum angustias redacta, sese commendant; ut ipsius doctoris vivam vocem audire saepe tibi videare, non legere mutum librum. Verum nostra aetas adnotationes Germanicas, etiam in Cicerone, praefert; nec dubito, quin intra paucos annos omnia eius scripta ita copiose illustrata habituri simus, ut omni ea publice interpretandi labore commode queamus supersedere. Itaque ne huiusce libri moles nimium excresceret, in eo substiti, ut e Morelio excerperem ea dumtaxat, quae critici sunt argumenti. Multum autem hac in re me adiuvit Henrici Schulthessii, Professoris Turicensis, sedulitas ac diligentia, quae in conferendis Edd. antiquis per totam hanc operam Tullio impensam non semel amice mihi subveniens, magna hic quoque molestia me liberavit. Quod si benigne a nostratibus excipietur specimen hoc Bibliothecae Philosophorum Latinorum praeter Senecam, similia volumina forsitan emittemus; ita ut v. c. Appuleii quaedam, et Augustini in primis egregii illi libri de vita beata Tullianis addantur; libris autem de Republica et de Legibus, nova aliquando cura emendandis, quaecunque Leges, Senatus Consulta atque eiusmodi alia antiquitatis Romanae monumenta supersunt, ex optimis auctoritatibus accurate repetita.

M. TULLII CICERONIS
ACADEMICORUM PRIORUM
LIBER SECUNDUS
QUI INSCRIBITUR LUCULLUS.

(In Academicis emendandis ita versatus sum, ut praestantissima Goerenzii recensione tamquam fundamenti loco posita, ab eadem, ubicunque critica ratio iubebat, libere discederem. His autem sum usus subsidiis:

I. *Marci. T. C. De natura Deorum. Marci. T. C. De divinatione. Marci. T. C. De legibus. Marci. T. C. De academia sua. — M. T. C. De finibus bonorum et malorum. — Q. Cicero de petitione Consulatus. — M. T. Ciceronis de universitate Liber. — Somnium Scipionis.*
In fine:
Quattuor opuscula. s. de Finibus bonorum et malorum: Et de petitione consulatus: Ac de Vniversitate: Et de somno Scipionis impressit Bononiae diligentissime Casigula Bazalerius: (sic) *Regii autem alia septem opuscula impressa fuere non minori solertia: Bononiam Illustrissimo Ioanne Bentivolo secundo tranquillissima pace gubernante Et merito patre patriae: Anno Xpianae salutis M. CCCCL. XXXXVIIII.* (sic) *duodecimo Calendas Iulias. — Differt in plurimis a Veneta* 1494.*, qua usus est Goerenzius. Eum propter finem consului, ut constaret de antiquitate lectionum Hervag. et Victor. Signavi B.*

II. *Hervagiana:* 1534. *(H.) Praetuli hanc Cratandrinae, qua usus erat iam Goerenz. Omnes fere eius lectiones enotavi, omissis dumtaxat manifestis erroribus.*

III. *Victoriana: Venetiis* 1536. *(V.) Huius integram do lectionem, praeter errores typothetarum.*

IV. *Manutiana: Ven.* 1555. *(M.) Habet singulares aliquot ac praestantes lectiones; multas vero, quas Lambinus tacite secutus est. Has praesertim notavi. Ubi et Man. et Lamb. faciunt cum antiquioribus et Victorio, Manutium saepe silentio praetermisi.*

V. *Carolo Stephano (Steph.) Sequitur is Manutium. Sed habet in calce voluminis Cd. lectiones, quas ab aliis neglectas, nominatim saepe appellavi.*

VI. *Lambiniana* 1566. *(L.) Do varietatem integram.*
VII. *Gruteriana* 1692. VIII. *Davisiana. Cantabrigiae* 1736. *(D.) Integram do lectionem.*
IX. *M. T. Ciceronis Academica ex Cod. Mss. Bessarionis, et Recanati, caeterorumque Mss., quos vidit Lambinus, Turnebus, Manutius, Gruterus, et alii, ad veram lectionem restituta, Argumentis, et Notis Criticis illustrata ab Io. Franc. Conrad. De Allio. Cum comment. omnium Ciceron. Interpretum. Contra vitiosas, quot sunt fuerunt, editiones. Venetiis Fentius cudit. (Sine anno. Erat* 1743.*) Permissu Superiorum.* 8. — *Liber rarissimus, sed et misellus, et fraudulentus.*
X. *Lallemandiana (Lall.)* XI. *Ernestiana (Ern.* 1., *vel simpliciter:* 1.*)* XII. *Goerenziana (G.)* XIII. *Schuetziana (Sch.* 2., *vel simpliciter:* 2.*) Horum trium integram excerpsi lectionem, ita ut, ubi nihil notatum est, Victorium, Lambinum, Davisium, Ern. Goer. Sch. nostram lectionem exhibere certo scias: idemque valebit in ceteris libris philosophicis. Multum profeci tum e tribus praestantissimis Edd. Victoriana, Manutiana et Lambiniana, a Goerenzio in hoc certe libro non inspectis, tum e Madvigii Emendationibus in Cic. libros philosophicos Havniae.* 1826. *Bentleii, Davisii, Walkeri suspiciones hic non memoratas, et Huelsemanni conatus aliquot reservo Appendici criticae. Aegre careo Durando; Castillonium consului. — Id quoque probe tenendum est, lectiones Goerenzii, aliorumque, quibus coniecturae nota* € *adiecta non est, omnes e Cdd. esse depromptas, quorum quidem auctoritates apud editores ipsos quaerendae sunt harum rerum studioso.)*

I. 1. Magnum ingenium L. Luculli magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro[1] maxime potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim admodum[2] adolescens cum fratre pari pietate et industria praedito paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiam quaestor profectus, ibi permultos[3] annos admirabili quadam laude provinciae praefuit; deinde absens factus aedilis, continuo praetor; (licebat enim celerius legis praemio:) post in Africam, inde ad consulatum; quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoscerent[4]. Post ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. 2. Idque eo[5] fuit mirabilius,

---

(1) ⇄ *in foro flor.* H. (2) — *rebus humanis. Ut enim urbanis adm.* Grut. (— *humanis* pro *urbanis* etiam B.) (3) ∾ *per multos* B. H. M. G. Praestat tamen ὑπερβολή, quam contra Man., quem in multis, praesertim levioribus, sequitur, servavit etiam L. (et 2.) (4) Sic B. H. L. G. 2. — *agnoscerent* V. M. D. 1. (5) — om. *eo* Cdd. aliq. B. prob. D.

quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur[1], qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asia[2], pace, consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque, quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus[3] imperator venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim divinam quandam memoriam rerum — verborum maiorem Hortensius: sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior — quam fuisse in Themistocle, quem facile Graeciae principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam, se artem ei memoriae, quae tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, *oblivisci*[4] *se malle discere:* credo, quod haerebant in memoria quaecunque et audierat[5], et viderat. Tali ingenio praeditus Lucullus adiunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque, ut literis consignamus, quae monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat. 3. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, proeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento[6] et apparatu, ut ille rex, post Alexandrum maximus, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie[7] stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis. Sed, etsi magna cum utilitate rei publicae, tamen diutius, quam vellem, tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit[8] ab oculis et fori, et curiae. Quin etiam, quum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. Nos enim consules introduximus paene in urbem currum clarissimi viri: cuius mihi consilium et auctoritas quid tum in maximis rebus profuisset[9], dicerem, nisi de me ipso dicendum esset; quod hoc tempore non est necesse. Ita[10] privabo potius illum[11] debito testimonio, quam id cum mea laude communicem.

II. 4. Sed, quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt[12] et Graecis literis celebrata, et Latinis[13]. Nos autem illa externa[14] cum multis, haec interiora cum paucis ex ipso saepe cognovimus. Maiore enim studio Lucullus quum[15] omni literarum generi,

---

(1) — *spectabatur* Cdd. aliq. B. — *sperabatur* D. susp. Sed v. *exspectare* innumerabilibus in locis a librariis confusum est cum v *spectare*. (2) Sic B. H. G. — *Asiae* V. M. L. D. 1. 2. (errant D. et G.) (— *in Asiam* Cdd. aliq., unde D. susp.: *in Asia*, *in p.*) (3) — *perfectus* Walkeri susp. inanis. (4) — *oblivionis* Guyeti susp. (— *quam discere* H.) (5) Sic G. e C1d. — *q. audierat et viderat* B. H. ∞ *q. audierat*, *aut v.* V. M. L. — *q. aud.*; *vel v.* Grut. D. 1. 2. sine auctoritate. (6) — *instrumentis* B. H. L. (7) — *hodieque* Drak. ad *Liv.* 5, 27, 2. Sed cfr. Ramshorn *Gramm.* p. 519. (8) — *afuit* L. semper. D. (9) — *profuissent* Cd. El. prob. D. Recepit Huelsem. (10) Sic V. G. ∞ *itaque* B. H. M. L. D. 1. 2. (11) Sic V. D. G. 2. = *illum potius* Ceteri. (12) = *sunt fere* Cd. Erl. prob. G. (13) Sic iam B. H. V., tum D. 1. G. 2. — *Gr. lit. et Latinis cel.* M. L. (14) — *exteriora* B. H. M. L. (15) = *tum* B. H.

tum philosophiae deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur: nec vero ineunte aetate solum, sed et pro quaestore[1] aliquot annos, et in ipso[2] bello; in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur. Quum autem e philosophis ingenio scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere, eum secum et quaestor habuit, et post aliquot annos, imperator; quumque esset ea memoria, quam[3] ante dixi, ea saepe audiendo facile cognovit, quae vel semel audita meminisse potuisset. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat[4]. 5. Ac[5] vereor interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam[6] etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino[7] Graecas non ament[8] literas; plures, qui philosophiam: reliqui[9], etiam si haec non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putant[10]. Ego autem, quum Graecas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim; P. autem Africani, historiae loquantur, in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse: nec literarum Graecarum, nec philosophiae iam ullum auctorem[11] requiro. 6. Restat, ut iis[12] respondeam, qui sermonibus eiusmodi nolint personas tam graves illigari. Quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia leviorum! Etenim, si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est; nec quidquam aliud videndum est[13] nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. Quod si, quum[14] fungi munere debeamus[15], non modo operam nostram nunquam a populari coetu removemus, sed ne literam quidem ullam facimus, nisi forensem; quis reprehendet nostrum otium[16], qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus[17], sed[18], ut plurimis prosimus, enitimur? Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illustresque laudes has etiam minus notas minusque pervulgatas adiungimus. 7. Sunt etiam, qui negent, in iis[19], qui in nostris libris disputent, fuisse earum rerum, de quibus

---

(1) Sic B. M. 1. G. 2. — *et proquaestor* H. — *et quaestore* V. — *et quaestor* L. D. (2) ∞ *ipso in bello* Ven. 1494. B. H. V. (non Man. 1555.) (3) — *qua* Bentleii susp. (4) — *audierat* mala Ern. susp. Cfr. Madvig. I. p. 121. v. *de quibus* ad philosophos, non ad *libros* referentem. (5) ∞ *At* G. E. 2. (6) — *imminuam* Cdd. aliq. H. M. (7) — *omnino non Gr.* H. (sic.) (8) ∞ *amant* B. L. (9) Sic D. Seqq. — *reliqui, qui* Priores, etiam L. (— *aliqui, qui* Bentl. susp.) (10) Sic L. D. G. 2. — *putent* Ceteri mei. (11) — *fautorem* Bentl. susp. Post *philosophiae* v. *tractandae* excidisse putat Sch. sine ulla causa. (12) Sic M. L. D. 1. ∞ *his* V. G. 2. Sed ut Goerenzii *κανὼν* rectus sit, h. l. tamen, quum non omnes superiores h. l. confutet, sed *reliquos* illos dumtaxat, consentaneum est, ut eo distinguantur pronomine, quod praetulimus. (13) — *est vid.* B. L. D. (14) — *quum si* H. (15) — *debebamus* (hoc e Cdd.) (— *removimus* — — *fecimus* de Durandi E. 2.) (16) = *otium nostrum* V. (17) — *nolimus* Ven. (18) Sic B. G. 2. — *sed etiam* Ceteri. (19) — *his* V. G. 2. Recte, si de Lucullo, Hortensio, Catulo solis sermo esset. Perpetua haec confusio, quae ubivis fere decepit Goerenzium, orta est ex prava scriptura *hii*, *hiis*; postea talia cum optimis auctoritatibus tacite corrigam, indicato tamen semper in amatorum usum *hi* et *his* Goerenzii.

disputatur, scientiam. Qui mihi videntur non solum vivis[1], sed etiam mortuis invidere.

III. Restat unum genus reprehensorum, quibus Academiae ratio non probatur. Quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiae probaret, praeter eam, quam ipse sequeretur. Nos autem, quoniam[2] contra omnes dicere, qui scire sibi videntur[3], solemus, non possumus, quin alii a nobis dissentiant, recusare: quamquam nostra quidem causa facilior[4] est, qui verum invenire sine ulla contentione volumus, idque summa cura studioque conquirimus. Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque[5] est[6] et in ipsis rebus obscuritas, et in iudiciis nostris infirmitas, ut non sine causa et antiquissimi et doctissimi[7] invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint: tamen nec illi defecerunt, neque nos studium exquirendi defatigati relinquimus[8]; neque nostrae disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut, in utramque partem dicendo[9], eliciant et tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat. 8. Neque inter nos, et eos, qui se scire[10] arbitrantur, quidquam interest, nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quae defendunt: nos probabilia multa habemus, quae sequi facile, affirmare vix possumus. Hoc autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas: nec[11], ut omnia, quae praescripta et quasi imperata sint[12], defendamus, necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsecuti amico cuipiam[13], aut

---

Ceteris in casibus error longe rarior erit; nam ne monachi quidem confundebant *hic* et *is*, *haec* et *ea*, *huic* et *ei*, *hanc* et *eam*, ac similia. Verum iamdudum viderunt in hisce Manutius et Lambinus, magna nomina.

(1) — om. *solum* cum Cdd. aliq. B. (prob. D.) G. 2. Ramshorn *Gramm.* p. 535. Sed longe alia ratio est locorum, qui exempli causa afferuntur, ubi scil. ante voc. negat. omittitur non tam *modo* vel *solum*, quam *non modo non*, *non solum non*. *Attic.* 6, 2. *hominis non nequam* (= *non modo non nequam*) *sed etiam* cet. (*Att.* 3, 15. *meum consilium defuit*, *sed etiam obfuit* lectio omnino est dubia. al. *non modo cons. defuit.*) *de Nat. D.* 2, §. 162. propter singularem constructionem (s. zeugma) nec *tantum*, nec *modo*, nec *solum* locum habet. H. l. *non solum vivis* est, non ut solent homines, et ipsi isti quoque faciunt, vivis (scil. mihi), sed quod inauditum est, mortuis etiam invident. Talia per compendium scripta, a negligentioribus librariis omissa sunt. (2) — *qui* B. H. (3) — om. *sibi* B. H. — *sibi scire* Cd. Ursini. — *quae videntur* om. *scire sibi* V. (4) Sic B. H. M. L. D. G. 2. — *facilis* V. Grut. 1. (5) — *ea quidem* Cdd. multi. B. H. Scil. hoc membrum pro apodosi habebant. Nihil mutandum, etsi G.: „Malim *que* in *quidem* mutari, et verba *ea quidem* - - *diffisi* in parenthesi poni." (6) ∞ *inest* L. Ex hoc ipso fortasse error iste *ea quidem est* oriri potuit. (7) Sic G. 2. — *antiq. et doct.* B. H. V. D. Lall. — *et doct. et ant.* L. 1. (8) Sic D. 1. G. 2. ∞ *relinquemus* Cdd. multi. B. H. V. M. L. Nihil obstat praesens, quod sequitur. Est, in hac lectione: „neque nos unquam studium exquirendi *relinquemus*, neque *praesentes* et futurae nostrae disputationes quidquam aliud *agunt.*" (9) — *dicendo et audiendo* H. V. M. Grut. (non B.) (10) = *scire se* B. H. (11) = *neque* B. H. L. (12) — *quae praescripta*, *et quibus*, (scil. verbis) *et quasi i. s.* e suis Cdd. G. Mihi *et quibus* nihil aliud videtur, nisi mala *διττογραφία* v. *et quasi.* — *et quibus quasi* B. — *ab aliquibus* in his erroribus latere opinatur Sch. (— *perscripta* Ven. B. — *quasi praescr. et imp.* vel *quae perscripta sint*, *quasi imp.* Ern. suspicc.) (13) Sic L. (cfr. *de Orat.* 2, §. 38. *agricola quispiam* - - *pictor aliquis*) — *cuidam* Ceteri, etiam M.

una alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, et, ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tamquam ad saxum, adhaerescunt. 9. Nam, quod dicunt omnino[1], se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem; probarem, si id ipsum rudes et indocti iudicare potuissent: (statuere enim, qui[2] sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis:) *sed, ut potuerint, potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis; iudicaverunt autem re semel audita atque ad unius[3] se auctoritatem contulerunt. Sed nescio quo modo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid[4] constantissime dicatur, exquirere. Quibus de rebus et alias saepe[5] multa quaesita et disputata sunt, et quondam in Hortensii villa, quae est ad Baulos, quum eo Catulus et Lucullus, nosque ipsi postridie venissemus, quam apud Catulum fuissemus. Quo quidem etiam maturius venimus, quod erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum navigare. Quum igitur pauca in xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus.

IV. 10. Hic Catulus, Etsi heri, inquit, id, quod quaerebatur, paene explicatum est, ut tota fere quaestio tractata videatur: tamen exspecto ea, quae te[6] pollicitus es, Luculle, ab Antiocho audita, dicturum. Equidem, inquit Hortensius, feci plus, quam vellem: totam enim rem Lucullo[7] integram servatam[8] oportuit. Et tamen fortasse servata est: a me enim ea[9], quae in promptu erant, dicta sunt; a Lucullo autem reconditiora desidero. Tum ille, Non sane, inquit, Hortensi, conturbat me exspectatio tua; etsi nihil est iis[10], qui placere volunt, tam adversarium: sed quia non laboro, quam valde ea, quae dico[11], probaturus sim, eo minus conturbor. Dicam enim nec mea, nec ea, in quibus, si non fuerint[12], non vinci me malim, quam vincere. Sed mehercule, ut quidem nunc se[13] causa habet, etsi hesterno sermone labefacta[14], est, mihi tamen videtur esse verissima. Agam igitur, sicut Antiochus agebat: nota enim mihi res est. Nam

---

(1) Sic B. H. G. 2. — *omnia* V. L. D. 1. (2) — *quid* B. M. — *quis* L. (3) Sic dedi ex altera L. €, probata etiam Madvigio I. p. 125. (Prior, Ed. 1566. haec erat: — *sed ut potuerint*, *potuerunt* — *sententiis: nunc autem iudicaverunt re semel audita atque ad u.*) Iuvatur lect. Cdd. aliq. *potuerint* pro *potuerunt*. — *sed ut potuerunt* - *sententiis*, *iudicaverunt; aut re semel audita ad. u.* Cdd. B. H. V. D. 1. (Item Sch. nisi quod: *sed aut*, *ut potuerunt.*) — *sed aut*, *ut potuerint* — *sententiis; iudicaverunt*, cetera, ut vulgo, G. €. sine sensu. (— *sed*, *ut potuerint*: — *omnibus rebus auditis*, *cognitis etiam rel. sententiis iudicaverunt; an*, *re s. audita*, *ad unius se auctoritatem contulerunt?* de €. Mureti *V. L.*, 7, 18. Lall.) (4) — *quod* V. (5) Sic B. G. 2. — *saepe nobis m.* H. V. M. D. 1. ∞ *saepe a nobis* L. Hoc verum videtur. Multa huiuscemodi in Cdd. et Edd. vett. excidisse perspexi ex Bazalerii editione. (6) — *tu* H. V. (7) — *Catulo* Cdd. multi. B. (— *Catule* dubia G. susp.) (8) Sic e Cdd. aliq. G. 2. — *servari* H. V. L. D. 1. (9) — om. *ea* M. L. (10) — *his* B. H. V. Vides in his nullam esse auctoritatem Cdd. Edd. vett. (11) ∞ *dixero* de G. susp. Sch. 2. (12) — *si vera non f.* (sic L. 1566. In adnott. *si non fuerint vera*) D. 1. 2. cum Cdd. — *si non fuerit veritas* Cdd. aliq. e gloss. utrumque. (13) = *se nunc* B. H. M. L. (14) = *labefactata* Cdd. aliq. M. L. (Agnosco nunc Cic. uti solitum esse aliquoties perf. *labefeci*, etsi *labefactavit* est *Acad.* I. §. 33. et part. plerumque, non semper, *labefactus*; in aliis tempp. v. *labefactare.*)

et vacuo animo illum audiebam, et magno studio, eadem de re etiam[1] saepius: ut etiam maiorem exspectationem mei faciam, quam modo fecit Hortensius. Quum ita esset exorsus, ad audiendum animos ereximus. 11. At ille, Quum Alexandriae pro quaestore[2], inquit, essem[3], fuit Antiochus mecum, et erat iam antea Alexandriae familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui et Clitomachum multos annos, et Philonem audierat, homo sane in ista philosophia, quae nunc prope dimissa revocatur, probatus et nobilis: cum quo Antiochum[4] saepe disputantem audiebam; sed utrumque leniter[5]. Et quidem isti libri duo Philonis, de quibus heri dictum a Catulo est, tum erant allati Alexandriam, tumque primum in Antiochi manus venerant: et homo natura lenissimus (nihil enim poterat fieri illo[6] mitius) stomachari tamen coepit. Mirabar: nec[7] enim unquam ante[8] videram. At ille, Heracliti memoriam implorans, quaerere ex eo, viderenturne illa Philonis, aut ea num vel e Philone, vel ex ullo Academico audivisset aliquando? Negabat. Philonis tamen scriptum agnoscebat; nec id[9] quidem dubitari poterat. Nam aderant mei familiares, docti[10] homines, P. et C. Selii, et Tetrilius[11] Rogus; qui se illa audisse[12] Romae de Philone, et ab eo ipso illos duos[13] libros dicerent descripsisse. 12. Tum et illa dixit Antiochus, quae heri Catulus commemoravit a patre suo dicta Philoni, et alia plura; nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum etiam ederet[14], qui *Sosus* inscribitur. Tum igitur et quum Heraclitum studiose audirem contra Antiochum disserentem, et item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, ut causam ex eo totam cognoscerem. Itaque complures[15] dies, adhibito Heraclito doctisque compluribus, et in his[16] Antiochi fratre, Aristo, et praeterea Aristone et Dione, quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat, multum temporis in ista una disputatione consumpsimus. Sed ea pars, quae contra Philonem erat, praetermittenda est[17]; minus enim acer est adversarius is, qui ista, quae sunt heri defensa, negat Academicos omnino dicere. Etsi enim mentitur, tamen est adversarius lenior[18]. Ad Arcesilam Carneademque veniamus.

V. 13. Quae quum dixisset, sic rursus exorsus est: Primum mihi videmini, (me autem nomine appellabat,) quum veteres physicos[19] nominatis, facere idem, quod seditiosi cives solent, quum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Repetunt a P. Valerio[20], qui, exa-

---

(1) — *eadem etiam* Cd. Erl. ∾ *ea de re etiam* B. H. (2) — *proquaestor* H. — *quaestor* L. D. (3) — *issem* Cdd. aliq. B. (— *Alexandriam* - - *issem* G. susp.) (4) — *et Ant.* V. M. L. 1. (5) — *leviter* B. M. L. D. (6) — *illa* L. (7) Sic L. D. G. = *neque* Ceteri. (8) Sic B. G. = *antea* Ceteri mei. (9) — *neque enim id q.* B. H. (10) — *et docti* M. L. Grut. (— *Seleucii* H.) (11) Sic V. D. 1. G. — *Tetrinius* Cdd. aliq. Sch. 2. — *Tertullus Rhodius* H. — *Tertullius* L. (12) = *audivisse* B. H. L. (13) Sic M. L. G. = *duo illos* V. = *duos illos* H. D. M. 2. (14) ∾ *nec se tenuit: quin* - - *edidit* e Cdd. L. (15) — *quum plures* B. H. V. (16) ∾ *iis* V. (17) — *praetermitt. est*, *quae c. Ph. e.* Cdd. aliq. B. H. (18) — *levior* M. L. (19) — *philosophos* Edd. vett. H. Ern. 1. (non B.) (20) Sic D. 1. G. 2. — *repetunt iam a P. Valerio* L. — *repetunt iam P. Valerium* B. H. V. M.

ctis regibus, primo anno consul fuit; commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerint[1], quum consules essent; tum ad hos notiores, C. Flaminium, (qui legem agrariam, aliquot annis[2] ante secundum Punicum bellum, tribunus plebis tulerit, invito senatu, et postea bis consul factus sit) L. Cassium[3], Q. Pompeium: illi[4] quidem etiam P. Africanum referre in eundem numerum solent. Duos vero sapientissimos et clarissimos fratres[5], P. Crassum et P. Scaevolam, aiunt Ti. Graccho auctores legum[6] fuisse, alterum quidem, ut videmus, palam; alterum, ut suspicantur[7], obscurius. Addunt etiam C. Marium. Et de hoc quidem nihil mentiuntur. Horum nominibus tot virorum atque tantorum expositis, eorum se institutum sequi dicunt. 14. Similiter[8] vos[9], quum perturbare, ut illi rem publicam, sic vos philosophiam bene iam constitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, Xenophanem[10], Platonem etiam et Socratem profertis. Sed neque[11] Saturninus (ut nostrum inimicum potissimum nominem) simile quidquam habuit veterum illorum; nec Arcesilae calumnia conferenda est cum Democriti verecundia. Et tamen isti physici[12] raro admodum, quum haerent aliquo loco, exclamant quasi mente incitati[13], Empedocles quidem, ut interdum mihi furere videatur: abstrusa esse omnia[14], nihil nos sentire, nihil cernere; nihil omnino, quale sit, posse reperire: maiorem autem partem mihi quidem omnes isti videntur nimis etiam quaedam affirmare, plusque profiteri se[15] scire, quam sciant. 15. Quod si illi tum in novis rebus, quasi modo nascentes, haesitaverunt, nihilne tot seculis, summis ingeniis, maximis studiis explicatum putamus? nonne, quum iam[16] philosophorum disciplinae gravissimae constitissent, tum exortus est, ut in optima re publica[17] Ti. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret et in eorum auctoritate delitesceret, qui negavissent[18] quidquam sciri, aut percipi posse? quorum e numero tollendus est et Plato, et Socrates: alter, quia reliquit perfectissimam disciplinam[19], Peripateticos et Academicos, nominibus differentes, re congruentes; a quibus Stoici ipsi verbis magis, quam sententiis dissenserunt. Socrates autem de se ipse[20] detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita quum aliud diceret[21], atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant: quam ait etiam

---

(1) — *tulerunt* H. V. (2) — *annos* Cdd. aliq. (3) — *Sp. Cassium* L. Є. (4) — *atque illi* L. Є. (5) — *viros* L. Є. (6) = *legum auct.* Cdd. aliq. V. (7) Sic Cdd. aliq. Ven. 1471. B. (prob. D.) L. Lall. G. 2. — *suspicamur* H. V. D. 1. (8) — *Simile* Cdd. aliq. B. V. miro iudicio prob. Oudend. *ad Appul.* T. I. *p.* 614. Non tam est compendium scripturae, quam modus Appuleianus. cfr. *ibid.* p. 358. (9) — *vos* del. censebat nescio quis in m. L. 1584. et Ern. Refutarat iam Gronov. *Diatribe.* I. p. 192. *Hand.* (10) — *Zenonem* Cdd. aliq. H. (— *et Xenoph.* V.) (11) = *nec* L. (12) — *philosophi* B H. 1. (13) ∾ *concitati* L. e Cd. (14) = *omnia esse* B. H. Mox iidem: *nihil nos cern.* (*eos sentire* V.) (15) ∾ om. *se* Cdd. aliq. B. (16) ∾ *iam quum* B. H. V. (17) Sic Cdd. aliq. Ven. 1494. L. Grut. G. 2. — *tum ut ex. est in o. rep.* B. H. V. D. 1. (18) Sic B. H. V. L. D. = *negassent* M. 1. 2 (G. invitus.) (19) — *perfectissimâ disciplinâ* L. Є. (20) — *de se ipso* B. H. Mox: *his* B. H. V. (21) — *agnosceret* Cdd. aliq. B. H. — *cognosceret* Alii Cdd.

in Africano fuisse Fannius: idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate.

VI. 16. Sed fuerint illa *veteribus[1], si vultis, incognita. Nihilne est igitur[2] actum, quod investigata[3] sunt, posteaquam Arcesilas Zenoni, ut putatur, obtrectans, nihil novi reperienti, sed emendanti superiores immutatione verborum, dum huius definitiones labefactare vult, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere? Cuius primo non admodum probata ratio, quamquam floruit quum[4] acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi, proxime a Lacyde solo retenta est: post autem confecta[5] a Carneade, qui est quartus ab Arcesila; audivit enim Hegesinum[6], qui Evandrum audierat, Lacydi[7] discipulum, quum Arcesilae Lacydes fuisset. Sed ipse Carneades diu tenuit; nam nonaginta vixit annos; et qui illum audierant, admodum floruerunt: e quibus industriae plurimum in Clitomacho fuit; declarat multitudo librorum: ingenii non minus in **[8], in Charmada[9] eloquentiae, in Melanthio Rhodio suavitatis. Bene autem nosse Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur[10]. 17. Iam Clitomacho Philo vester operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiae non defuit. Sed, quod nos facere nunc ingredimur[11], ut contra Academicos disseramus, id quidam e philosophis[12], et ii[13] quidem non mediocres, faciundum omnino non putabant: nec enim esse ullam rationem disputare[14] cum iis, qui nihil probarent; Antipatrumque Stoicum, qui multus in eo fuisset, reprehendebant; nec[15] definiri aiebant necesse esse, quid esset cognitio, aut perceptio, aut, si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant; eosque, qui persuadere vellent, esse aliquid, quod comprehendi et percipi posset, inscienter facere[16] dicebant, propterea quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci: (perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba; ne hic sibi (me appellabat iocans,) hoc licere putet soli[17]:) sed tamen orationem nullam putabant illustriorem ipsa evidentia reperiri posse, nec ea, quae tam clara essent, definienda

(1) Sic de D. Є. Lall. G. 2. — *vetera* H. V. L. D. 1. (2) = *ergo* H. L. (3) Sic Cdd. H. V. L. D. 1. cfr. omnino Madvig. I. p. 127. — *Nihilne est igitur actum? Quot* (e Cd. s. Є. Ursini) *investigata* – – *obducere?* de Bentleii Є. G. 2. — *Nihilne est igitur actum, quod inv. sunt postea? Nam Arcesilas* – – *obducere* de Walkeri Є. Lall. (— *quod investigatum est* Ed. 1471. B. H. — *immutationes* H. V.) (4) = *tum* B. H. M. L. (5) Sic M. Є. L. D. 1. G. 2. — *conficta* Cdd. B. H. V. (6) Sic D. 2. — *Egesinum* B. H. V. 1. G. — *Egesimum* L. (7) — *Lacydis* Multi. (8) Locus in Cdd. et Edd. vett. misere corruptus; plerique: *in hoc nomine in Ch.*; nullus habet *quam*, quod ex interpolatione est. — *in hoc, quam in Ch.* H. V. L. D. 1. 2. — *in hoc homine, quam in Ch.* e Cdd. G. — *in Bione, in Ch.* L. susp. ∞ *in Aeschine, in Ch.* optima D. susp. recepta a Lall., probata Madvigio. I. p. 130. (9) e Cdd. D. 1. G. 2. — *Carneade* H. V. L. (10) — *Stratonicus putabatur* H. (sic). (11) — *aggredimur* B. L. D. (12) — *quidam philosophi* L. (13) — *hi* et mox *his* B. H. V. G. 2. solito errore. (14) Sic e Cdd. G. (etsi male explicat *rationem disputandi*. Tu cfr. infra §. 74. et, notante Gernhardo, *pro Caecina* §. 15.) Sch. 2. ∞ *nec vero esse ullam rationem disp.* e Cd. Maffaeano M. prob. Gernh. ∞ *nec verum esse disputare* e Cdd. L. ut *Finn.* 4, §. 47. *non esse verum* -- *peti.* — *nec verum esse ullam r. d.* V. D. 1. pessime. — *nec aequum esse ullam r. d.* Ascens. H. peius etiam. (— *nec verum enim esse ullam r. d.* B.) (15) = *neque* B. H. (16) = *fac. insc.* H. (17) = *soli putet* Cdd. aliq. B. M. L.

censebant. Alii autem negabant se pro hac evidentia quidquam priores fuisse dicturos; sed ad ea, quae contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. 18. Plerique tamen et definitiones ipsarum etiam evidentium rerum non improbant; et rem idoneam, de qua quaeratur, et homines dignos, quibuscum disseratur, putant. Philo autem, dum nova quaedam commovet, quod ea sustinere[1] vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catulo[2], et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit[3], quod timebat. Quum enim ita negaret, quidquam esse, quod comprehendi posset (id enim volumus esse ἀκατάληπτον[4],) si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum, (iam enim hoc pro φαντασίᾳ verbum satis hesterno sermone trivimus;) visum igitur impressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset, ex eo, unde non esset[5]; — id nos a Zenone definitum rectissime dicimus; quî enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas, perceptum[6] cognitumque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit? hoc quum infirmat tollitque Philo, iudicium tollit incogniti, et cogniti. Ex quo efficitur, nihil posse comprehendi. Ita imprudens eo, quo minime vult, revolvitur. Quare omnis oratio contra Academiam suscipitur a nobis, ut retineamus eam[7] definitionem, quam Philo voluit evertere. Quam nisi obtinemus, percipi nihil posse concedimus.

VII. 19. Ordiamur igitur a sensibus: quorum ita clara iudicia et certa sunt, ut, si optio naturae nostrae detur, et ab ea Deus aliqui[8] requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an[9] postulet melius aliquid; non videam, quid quaerat amplius. Nec[10] vero hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbae respondeam; non enim is sum, qui, quidquid videtur[11], tale dicam esse, quale videatur. Epicurus hoc viderit, et alia multa[12]. Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et[13] sani sunt ac[14] valentes, et omnia[15] removentur, quae obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus, et situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus, aut diducimus; multaque facimus usque eo, dum adspectus ipse fidem faciat sui iudicii. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore; ut nemo sit nostrûm, qui[16] in sensibus sui cuiusque generis iudicium requirat acrius. 20. Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, aures[17] cantibus, quis est, quin[18] cernat, quanta vis sit[19] in sensibus? Quam multa vident pictores in

(1) = *sust. ea* Cd. Erl., unde *ea* suspectum G. (2) — *Catuli* Man. susp. (3) — *ipsum incidit* H. (4) — κατἀληπτὸν de Turnebi €. M. L. 1566. Aldus nepos. D. 1. 2. Supra scil. κατάληψις quomodo Latine dici posset, tentarat; hic idem conatur in illius negatione: referturque, ut vidit iam L., ad omnia ista *quum – negaret – comprehendi posse.* (5) Sic Augustinus *adv. Acad.* 2, 5. (hanc enim lect. firmat is, non, ut ait G., praecedentem.) Cdd. H. V. D. 1. G. — *quod esset – – quod non esset* L. €. 2. (6) Sic cum Cdd. B. G. 2. ∾ *perceptum id* V. — *id perc.* H. L. D. 1. (7) — om *eam* Cdd. aliq. B. (8) = *aliquis* H. L. 1. (9) — om. *an* L. (10) Sic G. 2. = *neque* Ceteri. (11) — *videatur* Cdd. aliq. V. (12) — *multa alia* B. H. M. L. 1. (— *et talia multa.* G. susp.) (13) — om. *et* H. V. L. (14) — *et* B. Grut. Ern. 1. (15) — *et si o.* L. (16) — *qui non* H. V. L. (17) Sic B. V. M. G. 2. — *et aures* H. L. D. 1. (Haec *ut – – cantibus* D. [ ].) (18) — *qui non* Cdd. aliq. H. L. in m. 1584., non 1566. (19) — *est* B. H. V. M.

umbris et in eminentia, quae nos non videmus! quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt, aut Andromacham, quum id nos ne suspicemur quidem. Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui; in quibus intelligentia, etsi vitiosa[1], est quaedam tamen. Quid? de tactu, et eo quidem, quem philosophi interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis, (in quo Cyrenaici solo putant veri esse iudicium, quia sentiatur[2]:) 21. potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiat[3], non apertissime insaniat[4]? Atqui qualia sunt haec, quae sensibus percipi dicimus, talia sequuntur ea, quae non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodam modo sensibus; ut haec: illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo iam haec tenemus comprehensa, non sensibus. Ille, deinceps, equus est, ille canis. Cetera series deinde sequitur, maiora nectens; ut haec, quae quasi expletam rerum comprehensionem amplectuntur: si homo est, animal est mortale, rationis[5] particeps. Quo e genere nobis notitiae rerum imprimuntur; sine quibus nec intelligi quidquam, nec[6] quaeri, aut disputari[7] potest. 22. Quod si essent falsae notitiae (ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare) si igitur essent hae falsae, aut eiusmodi visis impressae, qualia visa a falsis[8] discerni non possent; quo tandem his modo uteremur? quo modo autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus? Memoriae quidem certe, quae non modo philosophiam, sed omnes vitae * usus[9] omnesque artes una maxime continet, nihil omnino loci relinquitur. Quae potest enim esse memoria falsorum? aut quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit et tenet? Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una, aut duabus[10], sed ex multis animi perceptionibus constat? quam[11] si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus; sed quum alterum percepta et comprehensa tenere videmus[12], alterum non item. Quumque artium aliud eiusmodi genus sit, ut tantummodo animo[13] rem cernat; aliud, ut moliatur aliquid et faciat: quomodo aut[14] geometres cernere ea[15] potest, quae aut nulla sunt, aut internosci a falsis non possunt? aut is, qui fidibus utitur, explere numeros et conficere[16] versus? Quod idem in similibus quoque artibus continget;

---

(1) — *obtusior* Sch. susp. Sed *vitiosa*, quatenus semper est cum sensuum dumtaxat voluptate coniuncta. (2) Sanissima haec sunt, et confirmantur a Sexto Empirico *Lib.* 7. p. 409. *Fabric.* *φασὶν οἱ Κυρηναϊκοὶ κριτήρια εἶναι τὰ πάθη, καὶ μόνα καταλαμβάνεσθαι - - ἕκαστος γὰρ τοῦ ἰδίου πάθους ἀντιλαμβάνεται:* pro *sentiatur* poterat igitur dicere: *comprehendatur.* — *qui assentiatur* B. — *cui assentiatur* Cd. Paris. 5. male prob. Madvig I. p. 131. — *cui assentiantur* D. suspic. (3) — *sentiet* B. H. V. D. (4) — *insaniet* D. (5) — *ratione* Cdd. pleriq. Grut. (6) = *neque* - - *neque* H. (7) — *disputarive* V. M., ut sine causa volebat Ern. (8) — om. *a falsis* O1x. (9) Sic de Bremii Є. (*Fin.* p. 38.) G. 2. — *usum* Ceteri. (— *omnem vitae usum* Walkeri susp.) (10) ∞ *aut ex d.* B. H. M. L. (11) *quam* scil. perceptionem. v. Madvig I. 139. — *quas* e Walkeri Є. Ern. 1. G. 2. (12) — *videbimus* L. Є., ut volebat Ern. (13) — del. *animo* cum Cd. Gud. G. 2. Sed v. Madvig I. p. 140. (14) — *autem* e C3d. G. v. Sch. et Madvig. l. l. (15) = *ea cern.* B. H. ∞ om. *ea* V. (16) — *concinere* Sch. vana suspicio.

quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit?

VIII. 23. Maxime vero virtutum cognitio confirmat percipi et comprehendi multa posse. In quibus solis inesse etiam scientiam dicimus; quam nos non comprehensionem modo rerum, sed eam stabilem quoque et immutabilem[1] esse censemus: itemque sapientiam, artem vivendi, quae ipsa ex sese habeat constantiam. Ea autem constantia si nihil habeat percepti et cogniti, quaero, unde nata sit, aut[2] quo modo? Quaero etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre[3], intolerabili dolore lacerari potius, quam ut[4] officium prodat, aut fidem, — cur has igitur[5] sibi tam graves leges imposuerit, quum, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehensi, percepti, cogniti, constituti? Nullo igitur modo fieri potest, ut quisquam tanti aestimet aequitatem[6] et fidem, ut eius conservandae causa nullum supplicium recuset, nisi iis[7] rebus assensus sit[8], quae falsae esse non possunt. 24. Ipsa vero sapientia, si se ignorabit, sapientia sit, necne; quo modo primum obtinebit nomen sapientiae? deinde quo modo suscipere aliquam rem, aut agere fidenter audebit, quum certi nihil erit, quod sequatur? quum vero dubitabit, quid sit[9] extremum et ultimum bonorum, ignorans, quo omnia referantur, quî poterit esse sapientia? Atque etiam illud perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, quum quid agere incipiat, sequatur; idque initium esse naturae accommodatum. Nam aliter appetitio, (eam enim esse volumus ὁρμήν) qua ad agendum impellimur, et id appetimus, quod est visum, moveri non potest. 25. Illud autem, quod movet, prius oportet videri eique credi: quod fieri non potest, si id, quod visum erit, discerni non poterit a falso. Quo modo autem moveri animus ad appetendum potest, si id, quod videtur, non percipitur[10], accommodatumne naturae sit, an alienum? Itemque, si, quid[11] officii sui sit, non occurrit animo, nihil unquam omnino aget, ad nullam rem unquam impelletur, nunquam movebitur. Quod si aliquid aliquando acturus est, necesse est id ei verum, quod occurrit, videri. 26. Quid? quod, si ista[12] vera sunt, ratio omnis tollitur, quasi quaedam lux lumenque[13] vitae; tamenne in ista pravitate perstabitis? Nam quaerendi initium

---

(1) Sic e vera et naturali Latinitate Cdd. aliq. H. V. D. — om. *quoque* propter compendia scripturae Cdd. aliq. B. G. 2. (in quo singulare quoddam artificium quaesiverunt Grammatici nostri.) — *sed etiam stab. atque imm.* M. L. €., puto, nimis accurate. Hinc novo errore: *sed stab. quoque atque imm.* Ed. 1584. Grut. Ern. 1. *Timaei* 3. locus id solum probat, Tullium alibi quoque scripsisse *stabili et immutabili;* nequaquam vero om. esse v. *quoque.* (2) Sic M. L. G. ∞ *et* Ceteri. (3) — *perferri* Grut. solus ex meis. (4) Sic e Cdd. L. in m. 1584. D. G. 2. — *aut* H. V. M. L. 1566. 1. (5) — om. *igitur* L. D. 1. (non B. H. V. M.) (6) — *aeq. esse* H. (7) Sic M. L. 1. 2. — *his* H. V. D. G. ex errore v. c. Cd. Gud. *hiis.* (8) = *sit assensus* Cd. Gud. prob. G. (9) — om. *sit* Grut. Ern. 1. soli ex meis. (10) — *percipi non potest* H. (11) — *si id quod* H. V. (12) — *Quid? quod si, si ista* G. €. contra Latinitatem. cfr. Beier *Offic.* T. 2. p. 61. Madvig. I. p. 143. A Goerenzio deceptus Sch. €.: *Quid? quod si, ista si.* (13) Male Hülsemannus, G. Sch. receperunt Bentleii €. *dux.* Tam dispares metaphoras Tullius nunquam iunxisset part. *que.* Scil. *soni* ipsius causa scribere non poterat *quasi quaedam lux vitae:* sapiens ut erat, scripsit, *lux lumenque.*

ratio attulit: quae perfecit virtutem, quum esset ipsa ratio confirmata quaerendo. Quaestio autem est appetitio cognitionis; quaestionisque finis inventio. At nemo invenit falsa; nec ea, quae incerta permanent, inventa esse possunt: sed, quum ea, quae quasi involuta fuerunt, aperta sunt, tum inventa dicuntur. Sic et initium quaerendi, et exitus percipiendi et comprehendendi *tenetur[1]. Itaque argumenti conclusio, quae est Graece ἀπόδειξις, ita definitur: Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit[2].

IX. 27. Quod si omnia visa eiusmodi essent, qualia isti dicunt, ut ea vel falsa[3] esse possent, neque ea posset ulla notio discernere; quo modo quemquam[4] aut conclusisse aliquid, aut invenisse diceremus? aut quae esset conclusi argumenti fides? Ipsa autem philosophia, quae rationibus progredi debet, quem habebit exitum? Sapientiae vero quid futurum est? quae neque de se ipsa dubitare debet, neque de suis decretis; (quae philosophi vocant δόγματα;) quorum nullum sine scelere prodi poterit. Quum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur: quo e vitio et amicitiarum proditiones, et rerum publicarum nasci solent. Non potest igitur dubitari, quin decretum nullum falsum possit esse, sapientique satis non[5] sit, non esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debeat; quod movere nulla ratio queat. Talia autem neque esse, neque videri possunt eorum ratione, qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quidquam a falsis interesse. 28. Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, ud id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis, nihil posse percipi. Sed Antipatro hoc idem postulanti, quum diceret, ei, qui[6] affirmaret nihil posse percipi, consentaneum esse, unum tamen illud dicere percipi posse, ut alia non possent, Carneades acutius resistebat. Nam tantum abesse dicebat, ut id[7] consentaneum esset, ut[8] maxime etiam repugnaret. Qui enim negaret quidquam esse, quod perciperetur, eum nihil excipere: ita necesse esse[9], ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, comprehendi et percipi ullo modo posse. 29. Antiochus ad istum locum pressius videbatur accedere. Quoniam enim id haberent Academici decretum, (sentitis enim iam hoc me δόγμα dicere) nihil posse percipi; non debere eos in suo decreto, sicut in ceteris rebus, fluctuare, praesertim quum in eo[10] summa consisteret: hanc enim esse regulam totius philosophiae, constitutionem veri falsi, cogniti incogniti; quam rationem quoniam susciperent, docereque vellent, quae a quovis accipi oporteret, et quae repudiari, certe hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudicium esset, percipere eos debuisse: etenim duo esse haec maxima in philosophia, iudicium veri, et finem bonorum:

---

(1) Sic de Bentleii facillima E. Sch. 2. — *exitus* — — *tenet* Cdd. B. H. V. D 1. sine sensu. — *exitum* — — *tenetur* (scil. *esse*!!) G., quasi esset haec Bentleii E. — *exitum tenet* L. (2) — *ad id add.*, *q. n. perc.* Cdd. aliq. B. H. (3) — *vel falsa, vel vera* Cdd. aliq., unde Ern. volebat: *et vera et falsa.* (4) Sic B. H. V. L. Recte: negativum enim sensum haec habet interrogatio. — *quempiam* Cd. C. Steph. M. Ed. 1584. D 1. G. 2. (5) — om. *non* Cdd. multi. V. M. cfr. Beier *Offic.* I. p. 339. (6) Man. E. L. Seqq. — *eique* Cdd. H. V. (7) — *et* Cdd. aliq. B. H. — *id ei* L., ut volebat D. — *id* del. censet G. (8) — *sed* V. (9) — *est* V. (10) — om. *in eo* H.

nec[1] sapientem posse esse, qui aut cognoscendi esse[2] initium ignoret, aut extremum expetendi; ut, aut unde proficiscatur, aut quo perveniendum sit, nesciat: haec autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non possint, abhorrere[3] a sapientia plurimum. Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent. Sed de inconstantia totius illorum sententiae, si ulla sententia cuiusquam[4] esse potest nihil approbantis, [sit,] ut[5] opinor, dictum satis.

X. 30. Sequitur disputatio, copiosa illa quidem, sed paullo abstrusior; (habet enim aliquantum a physicis;) ut verear, ne maiorem[6] largiar ei, qui contra dicturus est, libertatem et licentiam. Nam quid eum facturum putem de abditis rebus et obscuris, qui lucem eripere conetur? Sed disputari[7] poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primum animal omne, deinde hominem maxime; quae vis esset in sensibus; quemadmodum primo[8] visa nos[9] pellerent; deinde appetitio ab his pulsa sequeretur; tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quae sensuum fons est, atque etiam ipsa[10] sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque alia visa sic arripit, ut his[11] statim utatur: aliqua recondit[12]; e quibus memoria oritur. Cetera autem similitudinibus constituit[13]; ex quibus efficiuntur notitiae rerum; quas Graeci tum[14] ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Eo quum accessit ratio argumentique conclusio rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem ratio perfecta[15] his gradibus ad sapientiam pervenit. 31. Ad rerum igitur scientiam vitaeque constantiam aptissima quum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem; et istam[16] κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes, comprehensionem dicemus[17], quum ipsam per[18] se amat, (nihil est enim ei veritatis luce dulcius,) tum etiam propter usum. Quocirca et[19] sensibus utitur, et artes efficit, quasi sensus alteros; et usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat, ex qua re[20] una vita omnis apta sit[21]. Ergo hi[22], qui negant quidquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitae; vel potius etiam[23] totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo: ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere. 32. Nec vero satis constituere possum, quod sit eorum consilium, aut quid velint. Interdum enim quum adhibemus ad eos oratio-

(1) = *neque* H. L. (2) — om. *esse* C1d. Margo 1584. (non L. 1566.) D. 1. = *initium esse* H. (3) ∾ *abhorret* H. (4) — *cuiusquam* suspectum Ern. (5) — om. *sit* C1d. Reg. — *sicut* D. — *sic*, *ut* G. Є. — *est*, *ut* Ern. 1. non e Cd., sed Є. 2. Videtur fuisse, *ut opinor*, *dictum'st satis.* (6) — *maiorem etiam* G. susp. (7) Sic Cd. Steph. M. D. 1. 2. — *sed si disp.* Cdd. aliq. B. — *sed id disp.* H. V. L. G. (hic invitus). (— *Scilicet disp.* G. susp.) (8) de L. Є. D. 1. G. 2. — *prima* Cdd. B. H. V. L. (9) ∾ *eos* L. (10) — *ipse* Ern. susp. (11) l. *iis.* (12) Sic M. Є. D. 1. G. 2. — *aliqua sic recondit* Cdd. B. H. V. L. (hic cum * *) — *alia quasi rec.* de P. Fabri Є. Lall. (13) Sic iam B. M. C. Steph. L. Seqq. ∾ *construit* Cdd. noti, etiam C. Stephani. H. V. (14) Sic H. V. M. L. 1. 2. — *quum* D. G. (15) ∾ *profecta* M. Steph. L., ut volebat G. (16) — om. *istam* St. (17) — *dicimus* L. (18) — *propter* L. (19) — *etiam* B. H. L. (20) — *re* suspectum Ern. del. Huels. (21) = *sit apta* B. H. (22) — om. *hi* H. ∾ *ii* M. (23) — *potius* suspectum G., qui suadet: *vel etiam totam ev. f.* — del. *etiam* Sch. 2. Є.

nem huiusmodi[1]: Si ea, quae disputentur, vera sint[2], tum omnia fore incerta; respondent: Quid ergo istud ad nos? num nostra culpa est? naturam accusa, quae in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit[3]. Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere; quantumque intersit inter incertum, et id, quod percipi non possit, docere conantur, eaque distinguere. Cum iis[4] igitur agamus, qui haec distinguunt: illos, qui omnia sic incerta dicunt, ut, stellarum numerus par an impar sit[5], quasi desperatos aliquos relinquamus. Volunt enim — et hoc quidem vel maxime animadvertebam vos[6] moveri — probabile aliquid esse et quasi veri simile, eaque se[7] uti regula et in agenda vita, et in quaerendo ac disserendo[8].

XI. 33. Quae ista regula est veri et falsi, si notionem veri et falsi, propterea quod ea non possunt internosci[9], nullam habemus? Nam si habemus, interesse oportet, ut inter rectum et pravum, sic inter verum et falsum. Si nihil interest, nulla regula est: nec potest is, cui est visio veri falsique communis, ullum habere iudicium, aut ullam omnino veritatis notam. Nam, quum dicunt, hoc se unum[10] tollere, ut quidquam[11] possit ita videri, ut non eodem modo falsum etiam possit videri[12], cetera autem concedere, faciunt pueriliter. Quo enim omnia iudicantur, sublato, reliqua se negant tollere: ut, si quis quem oculis privaverit, dicat, ea, quae cerni possent, non se ei[13] ademisse. Ut enim illa oculis modo cognoscuntur, sic reliqua visis; sed propria veri, non communi veri et falsi nota. Quamobrem, sive tu probabilem visionem, sive probabilem[14] et quae non impediatur, ut Carneades volebat, sive aliud quid proferes, quod sequare: ad visum illud, de quo agimus, tibi erit revertendum. 34. In eo autem, si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium, quia proprium in[15] communi signo notari non potest. Sin autem commune nihil erit; habeo, quod volo: id enim quaero, quod ita mihi videatur verum, ut non possit idem[16] falsum videri. Simili in errore versantur, quum * convicio[17] veritatis coacti, perspicua a perceptis volunt distinguere, et conantur ostendere, esse aliquid perspicui; verum[18] illud quidem impressum in animo atque mente[19], neque tamen id[20] percipi ac[21]

---

(1) — *eiusmodi* V. (2) Sic Cdd. multi. Ed. 1471. B. H. Lall. G. 2. — *disputentur*, (— *disputantur* L. D.) *vera non sint* V. M. L. D. 1. (3) — *abstrusit* B., ut volebat Ern. (4) Sic H. V. — *his* Ceteri. (5) Cum Cdd. D. Lall. 1. G. 2. — *impar sit*, *nesciatur* H. V. — *impar*, *nesciatur* M. — *par sit an impar*, *nesciatur* L.; postea volebat: — *nescitur*. (6) = *vos animadv.* V. — *nos* L. err. typogr. (7) — om. *se* Steph. L. (8) — *differendo* L. err. typogr. (9) Sic Cdd. omnes. B. H. V. M. D. (hic cum [].) — del. *veri et falsi* L. Є. 1. G. 2. Defendunt Wernsd. et Beier *Off.* 2. p. 18. (= *quae est ista r.* Cd. Gud. B. non Lamb. Errant G. et Sch.) ∾ *est* del. censet Beier. (10) = *unum hoc se* B. H. (11) — *quidquam verum* e Cd. volebat Man. (12) Sic L. Є. D. 1. G. 2. — *possit ita vid.* Cdd. H. V. (*ita* supra etiam excidit e G. edit.) (13) — *se ei non* Cdd. aliq. (14) Sic de P. Fabri Є. D. 1. G. 2. — *improbabilem* Cdd. H. V. (— *sive tu prob. visionem et quae non impediatur*, *sive improbabilem et quae impediatur* L. Є.) (15) — del. *in* M. L. in m. 1584. (non 1566.) (16) — *item* B. H. — *verum*, *ne possit item* V. (17) Sic Madvig I. p. 145. — *iudicio* Cdd. multi. B. H. L. G. — *quum convicti ac veritatis coacti* Cdd. aliq. Hinc Є, ut videtur: — *quum convicti ac vi veritatis c.* V. M. D. 1. — *quum vi veritatis c.* Sch. 2. sine ulla auctoritate. (18) ∾ *vere* L. Є. (19) — *impr. animo atque menti* L. Є. (20) = *id tamen* B. H. M. L. (21) — *aut* L. Є.

comprehendi posse. Quo enim modo perspicue dixeris album esse aliquid, quum possit accidere, ut id, quod nigrum sit, album esse videatur? aut quo modo ista aut perspicua dicemus, aut °menti impressa[1] subtiliter, quum sit incertum, vere, inaniterve[2] moveatur[3]? Ita neque color, neque corpus, nec veritas, nec argumentum, nec[4] sensus, neque perspicuum ullum relinquitur. 35. Ex hoc illud his usu venire solet, ut, quidquid dixerint, a quibusdam interrogentur: Ergo istuc[5] quidem percipis? Sed, qui ita interrogant, ab his irridentur. Non enim urgent, ut coarguant, neminem ulla de re posse contendere, neque[6] asseverare, sine aliqua eius rei, quam sibi quisque[7] placere dicit, certa et propria nota. Quod[8] est igitur istuc[9] vestrum probabile? Nam si, quod cuique occurrit et primo quasi adspectu probabile videtur, id confirmatur, quid eo levius? Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione, quod visum sit, id se dicent sequi: tamen exitum non habebunt; 36. primum quia his[10] visis, inter quae nihil interest, aequaliter omnibus abrogatur[11] fides; deinde, quum dicant posse accidere sapienti, ut, quum omnia fecerit diligentissimeque circumspexerit, exsistat aliquid, quod et veri simile videatur, et absit longissime a vero, °ne si[12] magnam partem[13] quidem (ut[14] solent dicere,) ad verum ipsum, aut[15] quam proxime accedant, confidere sibi poterunt. Ut enim confidant, notum iis[16] esse debebit insigne veri: quo obscurato et oppresso[17],' quod tandem sibi verum[18] videbuntur attingere? Quid autem tam absurde[19] dici potest, quam quum ita loquuntur: Est hoc quidem illius rei[20] signum, aut argumentum, et ea re id sequor, sed fieri potest, ut id, quod significatur, aut falsum sit, aut nihil sit omnino. Sed de perceptione hactenus. Si quis enim ea, quae dicta sunt, labefactare volet, facile, etiam absentibus[21] nobis, veritas se ipsa[22] defendet.

XII. 37. His satis cognitis, quae iam explicata sunt, nunc de assensione atque approbatione, quam Graeci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus: non quo[23] non latus locus sit; sed paullo ante iacta sunt fundamenta. Nam quum vim, quae esset[24] in sensibus, explicabamus, simul illud[25] aperiebatur, comprehendi multa et percipi sensibus; quod fieri sine assensione non potest. Deinde quum inter inanimum et animal

---

(1) Sic de D. Є. Lall. 1. G. 2. — *aut enim impr.* C1d. B. — *aut etiam impr.* C1d. — *aut impressa* Cdd. pleriq. H. V. M. L. D. (2) ∾ *inaniterne* M. L. (3) ∾ *animus mov.* volebat Manutius. cfr. §. 47. — *mens mov.* L. Є. (4) — *neque* ter. M. L. (5) = *istud* H. V. Sch. 2. (6) = *nec* V. (7) — *quis* vel *quisquam* Ern. suspicc. (8) — *quid* Ed. 1471. D. (9) = *istud* Sch. 2. — *illud* G. nescio unde. (10) ∾ *iis* V. (11) — *erogatur* Cdd. aliq. ∾ *derogatur* D. susp. (12) Sic dedi de Madvigii Є. I. p. 147. — *si* (omisso *ne*) Cdd. pleriq. B. — *quomodo si* ex interpol. H. V. M. L. D. 1. — *sic* G. Є. 2. (13) e Cdd. L. G. 2. — *magna parte* H. V. M. D. 1. (14) — *ut quidem* L. Є. (15) — *ut* cum Cdd. aliq. B. G. 2. Sed unicum exemplum Ciceronianum huius constructionis *confidere*, *ut*: *ad Q. fratr.* 1, 2, *in fine*, admodum dubiae est lectionis. (16) — *his* H. V. M. L. D. 1. (17) Sic L. D. 2. — *obscuro atque oppresso* H. G. — *obscuro et oppresso* V. M. 1. (18) Sic B. H. G. 2. = *verum sibi* V. L. D. 1. (19) — *obscurum* M. L. (20) Sic V. G. 2. = *rei illius* B. H. L. D. 1. (21) — *tacentibus* Davisii et Walkeri susp. (22) — *se ipsam* Cdd. aliq. B. (23) — *non quod* L. (24) — om. *vim* Cdd. aliq. (Grut. susp. — *quum quae essent* recepit Hülsem.) (25) — om. *illud* H.

hoc maxime intersit, quod animal[1] agit aliquid: — nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit —: aut ei sensus adimendus est; aut ea, quae est in nostra potestate sita[2], reddenda[3] assensio. 38. At vero animus quodam modo eripitur his[4], quos neque sentire, neque assentiri volunt[5]. Ut enim necesse est, lancem[6] in libra, ponderibus impositis, deprimi; sic animum perspicuis cedere. Nam, quomodo non[7] potest animal ullum[8] non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat: (Graeci id οἰκεῖον appellant:) sic non potest obiectam rem perspicuam non approbare. Quamquam, si illa, de quibus disputatum est, vera sunt, nihil attinet de assensione omnino loqui. Qui enim quid percipit, assentitur statim. Sed haec etiam sequuntur; nec memoriam sine assensione posse constare, nec[9] notitias rerum, nec artes: idque quod maximum est, ut sit aliquid in nostra potestate, in eo, qui rei nulli assentietur, non erit. 39. Ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis[10]? Maxime autem absurdum, vitia in ipsorum esse potestate, neque peccare quemquam, nisi assensione; hoc idem in virtute non esse; cuius omnis constantia et firmitas ex iis[11] rebus constat, quibus assensa est et quas approbavit; omninoque ante videri aliquid, quam agamus, necesse est, eique, quod visum sit, assentiatur[12]. Quare qui aut visum, aut assensum tollit, is omnem actionem tollit e vita.

XIII. 40. Nunc ea videamus, quae contra ab his[13] disputari solent. Sed prius potestis totius eorum rationis quasi fundamenta cognoscere. Componunt igitur primum artem quandam de iis[14], quae visa dicimus, eorumque et vim et genera definiunt: in his, quale sit id, quod percipi et comprehendi possit; totidem verbis, quot Stoici. Deinde illa exponunt duo, quae quasi contineant omnem hanc quaestionem: quae ita videantur, ut etiam[15] alia[16] eodem modo videri possint, nec[17] in his quidquam intersit, non[18] posse eorum alia percipi, alia non percipi: nihil interesse autem[19], non modo si omni ex[20] parte eiusdem modi sint, sed etiam si discerni non possint. Quibus positis, unius argumenti conclusione tota ab his causa comprehenditur. Composita[21] ea conclusio sic est: „Eorum, quae videntur, alia vera sunt, alia falsa: et, quod falsum est, id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, ut eiusdem modi etiam falsum[22] possit videri. Et, quae visa sint[23] eiusmodi, ut in iis nihil intersit, non posse[24] accidere, ut

---

(1) Sic cum Cdd. et Ven. 1471. Hüls. G. 2. — *quod inanimum nihil agit, animal* cet. H. V. L. D. 1. (2) Sic V. G. 2. = *sita pot.* H. L. D. 1. (3) — *credenda* Cdd. aliq. Hüls. — *prodenda* L. susp. non recepta. (4) ∾ *iis* M. (5) — *voluit* Sch. 2. err. typogr. (6) — *Etenim nec. est, ut l.* M. Steph. L. (7) — om. *non* Cdd. aliq. B. (8) — om. *ullum* D. err. typogr. cfr. Beier *Offic.* T. 1. p. 339. (9) = *neque* H. M. L. (10) — *nobis ipsis* L. (11) Sic M. L. — *his* Ceteri. (12) Sic Cdd. pleriq. B. V. M. D. Etsi praecedit *quam agamus*, huius v. subiectum est *virtus*, ut paullo ante *virtus assensa est.* Passive, nescio quam bene, cepit Madvig I. p. 131. ∾ *assentiamur* Cd. Reg. Herv. Lall. 1 G. — *assentiri* L. E. 2. (13) ∾ *iis* Ern. susp. (14) Sic M. L. — *his* Ceteri. (15) — *et* G. susp. (16) Sic B. D. 1. G. 2. — *alia multa* H. V. M. L. (17) = *neque* H. L. (18) — om. *non* Cdd. aliq. B. H. (— *non omnes posse* V.) (19) — *autem interesse* L. (20) Sic V. G. 2. = *ex omni* B. H. L. D. 1. (21) Sic cum Cd. R. D. G. 2. — *composita autem* H. V. M. L. 1. (22) Sic B. H. G. e Cdd. — *falsum etiam* V. L. D. 1. 2. (23) e Cdd. G. — *sunt* Ceteri. (24) — *potest* Man. E. L.

eorum alia[1] percipi possint, alia non possint. Nullum igitur est visum, quod percipi possit." 41. Quae autem sumunt, ut concludant id, quod volunt, ex his duo sibi putant concedi: neque enim quisquam repugnat. Ea sunt haec: „Quae visa falsa sint, ea percipi[2] non posse:" et alterum, „Inter quae visa nihil intersit, ex iis[3] non posse alia talia esse, ut percipi possint, alia, ut non possint:" reliqua vero multa et varia oratione[4] defendunt, quae sunt item duo: unum, „Quae videantur, eorum[5] alia vera esse, alia falsa[6]:" alterum, „Omne visum, quod sit a vero, tale esse, quale etiam a falso possit esse[7]." 42. Haec duo proposita non praetervolant, sed ita dilatant, ut non mediocrem curam adhibeant et diligentiam. Dividunt enim in partes, et eas quidem magnas: primum in sensus; deinde in ea, quae ducuntur[8] a sensibus, et ab omni consuetudine, quam obscurari[9] volunt. Tum perveniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem et coniectura ulla res percipi possit. Haec autem universa concidunt etiam minutius. Ut enim de sensibus hesterno sermone vidistis, item faciunt de reliquis: in singulisque rebus, quas in minima dispertiunt, volunt efficere, iis[10] omnibus, quae visa sint, veris, adiuncta esse falsa, quae a veris nihil differant; ea quum[11] talia sint, nihil[12] posse comprehendi.

XIV. 43. Hanc ego subtilitatem philosophia quidem dignissimam iudico, sed ab eorum causa, qui ita disserunt[13], remotissimam. Definitiones enim, et partitiones, et horum[14] luminibus utens oratio; tum similitudines dissimilitudinesque, et earum tenuis et acuta distinctio, fidentium est hominum, illa vera[15] et firma et certa esse, quae tutentur[16]: non eorum, qui clament, nihilo magis vera illa esse, quam falsa. Quid enim agant, si, quum aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam rem[17] transferri quamlibet? Si posse dixerint; quid dicere[18] habeant, cur illa vera definitio sit? si[19] negaverint; fatendum sit, quoniam vel illa definitio[20] transferri non possit in falsum, quod[21] ea definitione explicetur, id percipi posse: quod minime illi volunt. Eadem dici poterunt[22] in omnibus [partibus[23].] 44. Si enim dicent, ea, de quibus disserent[24], se dilucide perspicere, nec ulla communione visorum impediri, comprehendere ea se fatebuntur[25]. Sin autem negabunt vera visa a falsis posse distingui[26], qui

(1) ∾ *aliqua* B. H. L. (2) = *perc. ea* B. H. M. L. (— *non perc. posse* G. susp.) (3) Sic L. — *his* Ceteri. (4) — *ratione* Grut. 1. Videtur error typ. (5) Sic B. H. G. 2. — *eorum*, *quae vid.* V. L. D. 1. (6) Sic V. D. 1. G. 2. — *aliud verum esse*, *aliud falsum* B. H. M. L. (7) — om. *esse* M. (8) — *dicuntur* B. G. err. typogr. (9) — *obscurare* D. susp. (10) Sic L. — *his* Ceteri. (11) — *eaque quum* G. susp. (12) — *non* Cdd. aliq., etiam Stephan. Ed. 1471. B. H. V. Durand. (13) — *differunt* G. mira susp. (14) — *harum* L. E. (15) — *illa vero* B. H. V. (16) — *tuentur* Cdd. aliq. L. (17) — om. *rem* Grut. (18) Sic Cd. Reg. H. D. 1. G. 2. — *quid enim dic.* Cdd. pleriq. B. V. M. Grut. — *quid tum dic.* L. E. (19) ∾ *sin* Cd. Gud. Mox: — *ut fat. sit* G. susp. Sed v. Madvig I. p. 142. (20) Sic cum Cdd. B. L. in m. 1584. G. 2. — *illa vera def.* Cdd. aliq. H. V. M. D. 1. — *illa veri def.* Ascens. L. 1566. (21) — *vel quod* B. H. L. in m. 1584. Grut. (22) — *potuerint* Cdd. aliq. ex falsa correctione lect. *potuerunt* aliorum. Non erat, cur *potuerint* probaret G. (23) ∾ del. *partibus* G. E. 2. Recte. (24) ∾ *disserunt* H. V. — *disserant* Ern. E. (25) Sic iam V., tum G. 2. cum Cdd. aliq. — *se posse fat.* B. H. L. M. D. 1. (26) — om. *posse* cum Cdd. aliq. Goerenzius.

poterunt longius progredi? Occurretur enim, sicut occursum est. Nam concludi argumentum non potest, nisi iis[1], quae ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa eiusdem modi nulla possint esse. Ergo si rebus comprehensis et perceptis nisa[2] et progressa ratio hoc efficiet, nihil posse comprehendi; quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis? quumque ipsa natura accuratae orationis[3] hoc profiteatur, se aliquid patefacturam, quod non appareat[4], et, quo id facilius assequatur, adhibituram et sensus, et ea, quae perspicua sint[5]; qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse, quam videri volunt? Maxime autem convincuntur, quum haec duo pro congruentibus sumunt, tam vehementer repugnantia: primum, esse quaedam falsa visa: (quod quum volunt, declarant, quaedam esse vera:) deinde ibidem[6], inter falsa visa et vera nihil interesse. At[7] primum sumpseras, tamquam interesset: ita priori posterius, posteriori superius non iungitur[8]. 45. Sed progrediamur longius, et ita agamus, ut nihil nobis assentati esse videamur; quaeque ab his dicuntur, sic persequamur, ut nihil in praeteritis relinquamus. Primum igitur perspicuitas illa, quam diximus, satis[9] magnam habet vim, ut ipsa per sese ea, quae sint, nobis, ita ut sint, indicet. Sed tamen, ut maneamus in perspicuis firmius et constantius, maiore quadam opus est vel arte, vel diligentia, ne ab iis[10], quae clara sint ipsa per sese, quasi praestigiis quibusdam et captionibus depellamur. Nam, qui voluit subvenire erroribus Epicurus iis, qui videntur[11] conturbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse, opinionem a perspicuitate seiungere, nihil profecit[12]; ipsius enim opinionis errorem nullo modo sustulit.

XV. 46. Quamobrem, quum duae causae perspicuis et evidentibus rebus adversentur, auxilia totidem sunt contra comparanda. Adversatur[13] enim primum, quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa sunt[14], possint[15] agnoscere; alterum est, quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti quidam, quum eas dissolvere non possunt, desciscunt a veritate. Oportet igitur et ea, quae pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere, de quibus iam diximus: et esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum, captionesque discutere, quod deinceps facere constitui. 47. Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illi[16] solent non confuse loqui. Primum conantur ostendere, multa posse videri esse, quae omnino nulla sint[17], quum animi inaniter moveantur eodem modo rebus

(1) Sic M. L. — *his* Ceteri. (2) De Man. €. L. Seqq. — *visa* B. H. V. M. Grut. (3) — *rationis* Nescio qui ap. L. Hülsem. (4) — *apparebat* Cdd. aliq. D. Lall. (5) — *sunt* H. V. (6) Sic Cdd. aliq. B. M. L. G. 2. — om. *ibidem* Cdd. aliq. (Steph.) H. V. D. 1. (7) — *ac* H. V. (8) — *superius coniungitur* Cdd. aliq. H. V. Grut. (non L.) (9) — *sat* Cdd. aliq. (10) — *his* B. H. V. (11) Sic V. M. L. D. 1. — *Epicurus*, *is videtur* Edd. vett. B. H. — *E.* (*is*, *qui videtur* - - *cognitionem*) e Cd. G. 2. Sed vide Madvig I. p. 150. (12) Sic Ed. 1471. H. D. 1. G. 2. — *perfecit* B. — *fecit* V. M. (non est Man. €.) Grut. — *egit* L. €. (13) Sic Cd. Stephani. M. L. D. 1. G. 2. — *adversantur* Cdd. pleriq. B. V. H. (14) — *sint* de D. susp. Ern. 1. (15) — *non possint* L. €. (16) e Cdd. B. Lall. G. 2. — *illa* H. V. M. L. D. 1. (17) e Cdd. D. 1. G. 2. — *sunt* B. H. V. M. L.

iis, quae nullae sint, ut iis[1], quae sint. Nam quum dicatis, inquiunt, visa quaedam mitti a deo, velut ea, quae in somnis[2] videantur, quaeque oraculis, auspiciis, extis declarentur: (haec enim aiunt probari Stoicis[3], quos contra disputant:) quaerunt, quonam modo, falsa visa quae sint, ea deus efficere possit probabilia: quae autem plane proxime ad verum accedant[4], efficere non possit? aut, si ea quoque possit; cur illa non possit, quae perdifficiliter, internoscantur tamen? et, si haec, cur non inter quae nihil intersit[5] omnino? 48. Deinde, quum mens moveatur ipsa per sese, ut et ea declarant[6], quae cogitatione depingimus, et ea, quae vel dormientibus, vel furiosis[7] videntur; non[8], inquiunt, veri simile sit, sic etiam mentem moveri, ut non modo non[9] internoscat, visa vera illa[10] sint, anne falsa, sed ut in his nihil intersit omnino? ut, si qui tremerent et exalbescerent, vel ipsi per se, motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinsecus, nihil ut esset[11], quî distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quidquam[12] interesset inter intestinum[13], et oblatum. Postremo, si nulla visa sunt probabilia, quae falsa sint, alia ratio est. Sin autem sunt; cur non etiam quae non facile internoscantur? cur non, ut plane nihil intersit? praesertim quum ipsi[14] dicatis, sapientem in furore sustinere se ab omni assensu, quia nulla in visis distinctio appareat.

XVI. 49. Ad has omnes visiones inanes Antiochus quidem et[15] permulta dicebat, et erat de hac una re unius diei disputatio. Mihi autem non idem faciundum puto; sed ipsa capita dicenda. Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur; quod genus minime in philosophia[16] probari solet, quum aliquid minutatim et gradatim additur, aut demitur. *Soritas* hos[17] vocant, quia[18] acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane, et captiosum genus! Sic enim adscenditis: Si tale visum obiectum est a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde veri simile? cur deinde non[19], ut difficiliter a vero internoscatur? deinde, ut ne internoscatur quidem? postremo ut nihil inter hoc et illud intersit? Huc si perveneris, me tibi primum quidque[20] concedente; meum vitium fuerit: sin ipse tua sponte processeris; tuum. 50. Quis enim tibi dederit, aut omnia deum posse; aut ita facturum esse, si possit? quomodo autem sumis, ut, si quid cui simile esse possit, sequatur, ut etiam internosci difficiliter[21] possit? deinde, ut ne internosci[22] quidem? postremo, ut eadem sint[23]? ut, si lupi canibus similes[24], eosdem dices ad extremum. Et quidem honestis similia sunt

(1) — *his* utrobique B. H. V. (2) — *somniis* H. V. M. Grut. (3) Sic iam B. — *a St.* Cdd. aliq. H. V. M. L. (4) — *accedunt* B. H. V. M. (5) e Cdd. L. G. 2. — *sit* B. H. V. M. D. 1. (6) ∾ *declarent* Gud. Ven. 1494. B. (7) Sic V. D. G. e Cdd. = *vel fur. vel dorm.* B. H. L. 1. 2. (8) Sic H. V. G. 2. — *nonne* M. L. D. 1. (— *non, inquam* Cdd. aliq. H. V.) (9) Sic iam H. V., tum D. 1. G. 2. — om. *non* Grut. — *non modo ut int.* L. (10) Sic Ed. 1584. Seqq. — *vera illa visa* Cdd. aliq. B. H. V. M. L. in m. 1584. — *vera visa illa* Cdd. aliq. L. 1566. (11) — *nihil esset* D. E. 1. — *nihil interesset* H. M. (12) — *neque quidquam* cum C1d. D. 1. (13) — *impertitum* H. (14) — om. *ipsi* Cd. Stephani. Ed. 1584. Grut. (15) — om. *et* Cdd. aliq. B. D. 1. 2. (16) — *a ph.* Cdd. aliq. Ed. 1471. B. (17) — *hoc* e Cdd. D. (18) e Cdd. L. D. 1. G. 2. — *qui* B. H. V. M. (19) — *cur non demum* H. (20) — *quodque* Ern. susp. (21) = *diffic. intern.* H. (hic *difficulter*) V. L. D. (— *possint* D. E.) (22) — *ut ne vix nosci* H. Hinc M. Steph. L.: — *ut ne vix internosci.* (23) — *ut idem sit* M. Steph. L. (24) — *sint similes* (sic) L. E.

quaedam non honesta, et bonis non bona, et artificiosis minime artificiosa. Quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter haec interesse? Ne repugnantia quidem videmus? Nihil est enim, quod de suo genere in aliud genus transferri possit. At si efficeretur, ut inter visa differentium generum nihil interesset, reperirentur, quae et in suo genere essent, et in alieno. Quod fieri qui potest[1]? 51. Omnium deinde inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, quod fieri solere concedimus; sive in quiete, sive per vinum, sive per insaniam. Nam ab omnibus eiusdem modi[2] visis perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus. Quis enim, quum sibi fingit aliquid et cogitatione depingit, non, simul ac se ipse commovit atque ad se[3] revocavit, sentit, quid intersit inter perspicua et inania? Eadem ratio est somniorum. Num censes Ennium, quum in hortis cum Ser. Galba, vicino suo, ambulavisset[4], dixisse, „Visus sum mihi cum Galba ambulare?" At, quum somniavit, ita * narrat[5]:

— — — *visus Homerus adesse poëta.*

Idemque in Epicharmo:

*Nam videbar somniare, * memet esse[6] mortuum.*

Itaque, simul ut[7] experrecti sumus, visa illa contemnimus; neque ita habemus, ut ea, quae in[8] foro gessimus.

XVII. 52. At enim dum[9] videntur, eadem est in somnis[10] species, *et[11] eorum, quae vigilantes videmus! — Plurimum[12] interest; sed id omittamus. Illud enim dicimus, non eandem esse vim, neque integritatem dormientium et vigilantium, nec mente, nec sensu. Ne vinolenti quidem[13] quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, haesitant, revocant se interdum, iisque[14], quae videntur, imbecillius assentiuntur; quumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint[15], intelligunt. Quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere sentiant et dicant aliquid, quod non sit, id[16] videri sibi; et, quum relaxentur, sentiant, atque illa dicant Alcmaeonis:

Sed mihi neutiquam[17] cor consentit cum oculorum adspectu.

53. At enim ipse sapiens sustinet se in furore, ne approbet falsa pro veris. — Et alias quidem saepe, si aut in sensibus ipsius est aliqua forte gravitas, aut tarditas, aut[18] obscuriora sunt, quae videntur, aut a perspiciendo temporis brevitate excluditur. Quamquam totum hoc, sapientem aliquando sustinere assensionem, contra vos est. Si enim inter visa nihil interesset; aut semper sustineret, aut nunquam. Sed ex hoc genere toto[19]

---

(1) De huius loci distinctione consule Madvig I. p. 151. (2) ∞ *eiusmodi* L. Recte, puto. (3) — *commonuit atque ad sese* Lambini (non Davisii, ut ait G.) susp. haud recepta. (— om. *ipse* V.) (4) = *ambulasset* B. H. M. (5) Sic G. E. 2. — *narravit* Ceteri. (6) Sic de Ern. susp. G. 2. — *me et ego esse* Cdd. H. V. L. 1. — *med ego e.* M. et de L. suspic. D. (7) — *simulac* M. — om. *ut* L. (8) — om. *in* V. (9) — *quum* Cdd. aliq. B. (10) — *somniis* B. H. V. M. L. (11) Sic, ut volebat Madvig I. p. 154. L. 1566. — om. *et* Cdd. B. H. V. M. G. (mire defendens.) 2. — *ac eorum* D. E. — *sp. horum, et eorum* de altera L. susp. Ern. 1. (12) — *primum* V. M. (13) — om. *quidem* Cdd. multi. B'. prob. G. (14) Sic M. L. D. 1. — *hisque* B. H. V. G. 2. (15) — *fuerunt* B. H. V. (16) — om. *id* L. (17) — *nutiquam* Schneider *lat. Gramm.* I. p. 75. (— *mi* malebat G.) (18) — *aut si* L. susp. (19) — *tota* Cdd. aliq. Edd. vett. B. G. 2. Male; cfr. mox *in hoc omni genere. tota levitas* vero pro *quanta sit L.* vix dixisset Cic.

perspici potest levitas orationis eorum, qui omnia cupiunt confundere. Quaerimus gravitatis, constantiae, firmitatis, sapientiae iudicium: utimur exemplis somniantium, furiosorum, ebriosorum[1]. *Num illud attendimus[2], in hoc omni genere quam inconstanter loquamur? Non enim proferremus vino, aut somno oppressos, aut mente captos, tam absurde, ut tum[3] diceremus interesse inter vigilantium visa et sobriorum et sanorum, et eorum, qui essent aliter affecti; tum nihil interesse. 54. Ne hoc quidem cernunt, omnia se reddere incerta; quod nolunt; ea dico incerta, quae ἄδηλα Graeci. Si enim res se ita *habeat[4], ut nihil intersit, utrum ita cui videatur, [ut[5]] insano, an[6] sano; cui possit exploratum esse de sua sanitate? quod velle efficere, non mediocris insaniae[7] est. Similitudines vero aut geminorum, aut signorum annulis impressorum, pueriliter consectantur. Quis enim nostrûm similitudines negat esse, quum eae plurimis in rebus appareant? Sed, si satis est ad tollendam cognitionem, similia[8] esse multa multorum; cur eo non estis contenti, praesertim concedentibus nobis? et cur id potius[9] contenditis, quod rerum natura non patitur, ut non suo quidque genere[10] sit tale, quale est, nec sit in duobus, aut pluribus, nulla re differens ulla[11] communitas? † Ut sibi sint[12] et ova ovorum, et apes apium, simillimae: quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? Conceditur enim similes esse, quo contentus esse potueras: 55. tu autem vis eosdem plane esse[13], non[14] similes; quod fieri nullo modo potest. Dein[15] confugis ad physicos eos, qui maxime in Academia irridentur; a quibus ne tu quidem iam te[16] abstinebis: et ais Democritum dicere, innumerabiles esse mundos, et quidem sic quosdam inter sese[17] non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus intersit, et eos quoque innumerabiles[18]: itemque

---

(1) — *ebriorum* M. et e Cd. D. — *et ebrios.* H. (2) Sic G. €. 2. — om. *num* Cdd. B. H. V. D. 1. — *Illud attendamus* M. L. — *Nec illud attendimus* Ursini susp. (3) — *quum* H. V. Grut. 1. (4) Sic G. €. *de Fin.* 1. §. 25. Sch. 2. — *habeant* Ceteri. (— *habet* G. in *Acad.*) (5) ∞ del. *ut* Sch. 2. €. Ego [ ]. (6) — *aut* Cdd. aliq. H.; quod eo ducit, ut legatur: *utrum ita cui videatur, insano sano*, id est, „vel insano, vel sano." (7) — *insania* M. Grut. (8) ∞ *simillima* B. H. V. (9) = *potius id* Cdd. aliq. B. H. M. L. (10) — *in genere* L. (11) Sic Cdd. pleriq. H. V. M. D. 1. vide Madvig I. p. 154. — *nulla re d. nulla c.* (Cd. Paris. 3.) B. L. €. — *ulla re d. ulla c.* Sch. 2. €. — *ulla, re differens, communitas?* G. €. „sine ullo sensu." Madvig. (— *ulla* ante *comm.* om. Cdd. aliq.) (12) Locus corruptus. Sic Cdd. pleriq. H. V. D. 1. — *ut igitur sint* Cd. Gud. B. — *ut sint* G. €., quae non bene coit cum seqq.: *quid pugnas igitur?* — *At tibi sint* L. €. — *At, si vis, sint* D. susp. ∞ *Sint, ut sunt* Sch. 2. €. Ad sensum recte; de verbis ambigimus. *Ut* suspectissimum est, et, ni fallor, ortum e praecedente. Fortasse simpliciter fuit: *communitas. Sunt et ova* cet. (13) = *esse plane* Cdd. aliq. B. H. M. L. (14) — del. *non* censet G. *Praef.* p. xvii. perversâ €. Vide Madvig I. p. 157. (15) = *deinde* B. H. M. L. (16) — *ne iam quidem tu te* G. susp. (17) Sic Cd. Erl. M. L., ut volebat G. — *inter se* D. 1. G. 2. — *inter se esse* Cdd. pleriq. H. V. (18) Sic scripsi ego, ut habet casu quodam in lemmate G. Sensus est: „non solum sunt innumerabiles mundi omnes, sed ii quoque, qui pares sunt, itidem sunt innumerabiles." — *et eo quoque i.* Cdd. aliq. G. — *et eo quidem i.* Cdd. pleriq. B. Steph. Sch. 2. Sed non ideo mundi sunt innumerabiles, quod quidam sunt pares. — *et eos quidem* Cdd. aliq. H. V. M. D. 1.; vana ex parte repetitio superiorum *innumerabiles esse mundos*, ex altera parte intolerabilis lectio, propter praecedens *et quidem sic.* — del. haec *et eos q. i.* de Man. sententia L.

homines. Deinde postulas, ut, si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem intersit, concedatur tibi, ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic sit par[1], ut nihil differat, nihil intersit. Cur enim, inquies, quum ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni affirmat, in reliquis mundis, et in iis[2] quidem innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint; in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici?

XVIII. 56. Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior; potiusque refello[3], propter id, quod dilucide docetur a politioribus physicis, singularum rerum singulas proprietates esse. Fac enim antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam similes[4], quam dicuntur; num censes etiam eosdem fuisse[5]? Non cognoscebantur foris; at domi: non ab alienis; at a suis. An non videmus, hoc usu venire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos, consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, uti ne minimum[6] quidem similes[7] viderentur? 57. Hic, pugnes[8] licet, non repugnabo: quin etiam concedam, illum ipsum sapientem, de quo omnis hic sermo est, quum ei res similes[9] occurrant[10], quas non habeat denotatas[11], retenturum assensum, nec unquam ulli viso assensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse[12] non possit. Sed et[13] ad ceteras res habet quandam artem, qua vera a falsis possit distinguere; et ad similitudines istas usus adhibendus est. Ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum; sic tu internosces, si assueveris. Videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures, salvis rebus illis, qui gallinas alere permultas quaestus causa solerent; hi quum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere[14] solebant. 58. Neque id est contra nos[15]. Nam nobis satis est, ova illa internoscere[16]. Nihil enim magis assentiri potest[17], hoc illud esse, † quam si inter[18] illa omnino nihil inter-

---

(1) Sic Cdd. multi. V. D. G. — *sic par sit* Cdd. aliq. Ven. 1494. B. H. M. L. — *par sic sit* 2. — om. *sic* Grut. Ern. 1. (2) Sic scripsi cum D. e C1d., qui tamen omittunt *in.* — *his* Ceteri, solito errore. Paullo ante habes bis *inter eos*, et *eos quoque*, non *hos.* Scil., ut aliquoties iam dixi, a librariis confunduntur *hi* et *ii*, *his* et *iis*; ceteri casus longe rarius. (3) cum Cdd. B. D. 1. G. 2. — *refellam* Cdd. aliq. H. V. L. (— *potius refellam* M.) (4) — *similes fuisse* Cdd. aliq. L. D. (5) — om. *fuisse* G. nescio quo errore. (6) — *uti minimum* Ven. 1494. H. V. ∾ *ut qui ne min.* Sch. 2. €. Sed est ὑπερβολὴ facile concoquenda. (7) — *similes esse* Cd. Erl. V. M. Grut. (8) — *pugnent* M. (9) = *res sim. ei* Cdd. aliq. (*ei* del. censet G.) (10) ∾ *occurrent* M. (11) ∾ *dinotatas* Cdd. aliq. (12) = *esse falsum* Cdd. aliq. Ven. 1494. B. H. — del. *esse* G. €. (13) e Cdd. G. 2. — om. *et* Ceteri. (14) ∾ *discernere* Antiquus liber Manutii. Crat. H. Est ex correctione. (15) ∾ *vos* Cdd. aliq. Sensus esset: nec vero hac fabella Deliaca vos refutare volo; non nimis hoc urgeo. (16) ∾ *non internoscere* Cdd. aliq. B. Sensus esset: gallinarii quidem illi ova discernebant; nos sane id non possumus, nec quidquam tamen id refert; nihil enim magis assentiri possumus, ovum *a* esse ovum *b*, si inter illa omnino nihil interesset: nam hoc concesso „ovum - - interesset", veri et falsi natura tolletur: ergo, etiam si vel maxima sit ovorum similitudo, ita ut a nobis ea discerni nequeant, nihilominus assensionem retinemus. *nobis satis est*, satis habemus, *wir schicken uns darein*, *die Eyer nicht zu unterscheiden*, *geben aber dessen ungeachtet ihre Identität nicht zu.* (17) ∾ *par est* de D. susp. G. 2. Adhuc sub iudice lis est, an praeter part. *assensus*, infinit. *assentiri* et reliqua huius v. significatione passiva apud Cic. reperiantur. Ego vix credo, etsi ea sententia est Madvigii. H. l. de sensu non ambigitur. (— *assentiri possum* Ern. susp.) (18) Locus corruptus. ∾ *esse*, *quasi inter* Madvig. €. 1. p. 158.

esset; habeo enim regulam, ut talia visa vera iudicem, qualia falsa esse non possint[1]: ab hac mihi non licet transversum, ut aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia. Veri enim et falsi non modo cognitio, sed etiam[2] natura tolletur, si nihil erit, quod intersit: ut etiam illud absurdum sit, quod interdum soletis dicere, quum visa in animis[3] imprimantur, non vos[4] id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species et quasdam formas[5] eorum. Quasi vero non specie visa iudicentur! quae fidem nullam habebunt, sublata veri et falsi nota. 59. Illud vero perabsurdum, quod dicitis, probabilia vos sequi, si re nulla impediamini[6]. Primum qui potestis non impediri, quum a veris falsa non distent? deinde quod iudicium est veri, quum sit commune falsi? Ex his illa necessario nata est ἐποχή, id est assensionis retentio[7]; in qua melius sibi constitit Arcesilas, si vera sunt, quae de Carneade nonnulli existimant. Si enim percipi nihil potest, quod utrique visum est, tollendus assensus est. Quid enim est tam futile, quam quidquam approbare non cognitum? Carneadem autem etiam heri audiebamus, solitum esse *eo delabi[8] interdum, ut diceret, opinaturum, id est, peccaturum esse sapientem. Mihi porro non tam certum est, esse aliquid, quod comprehendi possit, (de quo iam nimium etiam[9] diu disputo,) quam sapientem nihil opinari, id est, nunquam assentiri rei vel falsae, vel incognitae. 60. Restat illud, quod dicunt, veri inveniendi causa contra omnia dici oportere, et pro omnibus. Volo igitur videre, quid invenerint[10]. Non solemus, inquit, ostendere. Quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? Ut, qui audient, inquit, ratione potius, quam auctoritate ducantur. Quid si utroque[11]? num peius est? Unum tamen illud non celant[12], nihil esse, quod percipi possit. An in eo auctoritas nihil obest? Mihi quidem videtur vel plurimum. Quis enim ista tam aperte perspicueque et perversa, et falsa secutus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam maior in Carneade et copia rerum, et dicendi vis fuisset?

XIX. 61. Haec Antiochus fere et Alexandriae tum, et multis annis post, multo etiam asseverantius, in Syria quum esset mecum, paullo ante quam est[13] mortuus. Sed iam confirmata causa, te, hominem amicissimum, (me autem appellabat;) et aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere: Tune, quum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris, eam philosophiam sequere, quae confundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, privat approbatione, omnibus orbat[14] sensibus? Et Cimmeriis quidem, quibus

---

Fortasse *quam* delendum, ita scil., ut artissime iungantur v. *hoc illud esse, si inter illa omnino nihil interesset.* (— *illa internoscere licere. At enim nihilo minus assentiri potest -- interesset. Non ita est. Habeo enim* L. C. 1566. = *inter ea* B.)

(1) — *possunt* Grut. D. (2) Sic V. G. 2. — *et* B. H. M. L. D. 1. (3) Sic L. in m. 1584. D. G. — *animis* om. *in* L. 1566. — *in animos* B. H. V. M. 1. 2. (4) — *vos non* L. (5) — *quasi f.* Walkeri susp. (6) — *impediremini* H. (7) — v. *id -- retentio* suspecta Man. et L. (8) Sic G. C. 2. — om. *eo* Cdd, B. H. V. D. 1. — *huc sol. esse del.* L. C. (9) — om. *iam* Cd. Steph. H. — *iam etiam nimium* L. (C.) (10) — om. *quid inv.* Cdd. aliq. (11) e Cdd. D. Lall. 1. G. 2. — *utrumque* B. H. V. L. — *utrinque* Cd. Dresd. (12) — *celamus* Cdd. aliq. B. ∾ *celamur* Gulielm. susp. prob. G. (13) Sic Cdd. aliq. Ed. 1471. B. D. 1. G. 2. — *esset* H. V. L. (14) ∾ *pr. approbatione omni, orbat* V. prob. Camerario.

adspectum solis sive deus aliquis[1], sive natura ademerat, sive eius loci, quem incolebant, situs, ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat: isti autem, quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum[2] reliquerunt. Quos si sequamur, iis[3] vinculis simus adstricti, ut nos commovere[4] nequeamus. 62. Sublata enim assensione, omnem et motum animorum, et actionem[5] rerum sustulerunt. Quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest. Provide[6] etiam, ne uni tibi istam sententiam minime liceat defendere. An tu[7], quum res occultissimas aperueris in lucemque[8] protuleris, iuratusque dixeris, ea te comperisse; (quod mihi quoque licebat[9], qui ex te illa[10] cognoveram;) negabis, esse rem ullam, quae cognosci, comprehendi, percipi possit? Vide, quaeso, etiam atque etiam, ne illarum quoque rerum pulcherrimarum a te ipso minuatur auctoritas. Quae quum dixisset ille, finem fecit. 63. Hortensius autem vehementer admirans, (quod quidem perpetuo Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus saepe tolleret; nec mirum, nam nunquam arbitror contra Academiam dictum esse subtilius,) me quoque, iocansne, an ita sentiens, (non enim satis intelligebam,) coepit hortari, ut sententia desisterem. Tum mihi Catulus, Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quae est habita memoriter, accurate, copiose, taceo; neque te, quo minus, si tibi ita videatur, sententiam mutes, deterrendum puto. Illud vero non censuerim, ut eius auctoritate moveare. Tantum enim non te monuit[11], inquit arridens, ut caveres, ne quis improbus tribunus plebis, quorum vides quanta copia semper futura sit, arriperet te, et in concione quaereret, quî tibi constares, quum idem negares quidquam certi posse reperiri, idem te comperisse dixisses. Hoc, quaeso, cave[12] ne te terreat. De causa autem ipsa[13] malim quidem te[14] ab hoc dissentire. Sin cesseris, non magno opere mirabor. Memini enim Antiochum ipsum, quum annos multos talia sensisset, simul ac visum sit, sententia destitisse. Haec quum dixisset Catulus, me omnes intueri.

XX. 64. Tum ego, non minus commotus, quam soleo in causis maioribus, huiusmodi quandam orationem[15] sum exorsus: Me, Catule, oratio Luculli de ipsa re ita movit, ut docti hominis, et copiosi, et parati, et nihil praetereuntis eorum, quae pro illa causa dici possent; non tamen, ut ei respondere[16] posse diffiderem. Auctoritas autem tanta plane me movebat, nisi tu opposuisses non minorem tuam. Aggrediar igitur, si pauca

(1) = *aliqui* Osann. *Anal.* p. 4. (2) e Cdd. D. 1. G. 2. — *despiciendum* B. — *aspiciendum* H. V. L. (3) — *his* H. V. (hic *vinclis.*) (4) — *movere* H. (5) — *rationem* Cd. Erl. V. (6) — *proinde* Cdd. aliq. B. — *proinde vide etiam* G. susp. (7) — *Ain tu?* G. E. Refutat Sch. (8) — *in lucem* M. (9) ∾ *liquebat* Cdd. aliq. prob. G. (10) — *eas* - - *illas* L. susp. non recepta. (11) Sic H. L. D. — *tantum enim te non monuit* M. — *tantum enim non te modo monuit* „Ita e codice nostro et Davisianis dedimus." Lall. Secutus est Ern. 1. prob. Madvig I. p. 160. Sed Davisiani habebant, uti B.: — *tantum enim te non modo m.* sicque sine dubio etiam Cd. a Lall. inspectus, quum Regium nominatim appellet Davis., cuius E. recepere Lall. Ern. Sed *modo* nec ambiguitate caret, et certe supervacaneum est. Inculcarunt librarii *tantum non* haud intelligentes. — *tantum enim te modo m.* perverse Cd. Steph. V. G. 2. (12) Sic B. H. D. C. 2. — om. *cave* V. M. *L.* 1. (13) — *ista* Cdd. aliq. H. (14) — *te quidem* H. — *equidem* G. susp. (15) Sic L. G. 2. — *quadam oratione* B. H. Victorius. M. D. 1. — *quasi oratione* e Cod. Grut. (16) — *respondere me* L. — *responderi* D. cfr. Madvig I. p. 114.

ante quasi de fama mea dixero. 65. Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi, ad hanc potissimum philosophiam me applicavi[1], non modo stultitiam meam, sed etiam mores et naturam condemnandam puto. Nam, si in minimis[2] rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coërcetur: ego[3] de omni statu consilioque totius vitae aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari quum[4] alios, tum etiam me ipsum velim? Itaque, nisi ineptum putarem, in tali disputatione id facere[5], quod, quum de re publica disceptatur, fieri interdum solet: iurarem per Iovem deosque penates, me et ardere studio veri reperiendi, et ea sentire, quae dicerem. 66. Quî enim possum[6] non cupere verum invenire, quum gaudeam, si simile veri quid invenerim? Sed, ut hoc pulcherrimum esse iudicem[7], vera videre, sic[8] pro veris probare falsa, turpissimum est. Nec tamen ego is sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, qui nihil opiner: sed quaerimus de sapiente. Ego vero ipse et magnus quidem[9] sum opinator, (non enim sum sapiens,) et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram,

Qua fidunt duce nocturna Phoenices in alto,

ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam teneant[10],

Quae cursu interiore, brevi convertitur orbe:

sed ad Helicen et clarissimos Septemtriones, id est, rationes has, latiore specie, non ad tenue limatas[11]. Eo fit, ut errem et vager latius. Sed non de me, ut dixi, sed de sapiente quaeritur. Visa enim ista quum acriter mentem, sensumve pepulerunt, accipio, iisque[12] interdum etiam assentior, nec percipio tamen. Nihil enim arbitror posse percipi. Non sum sapiens. Itaque visis cedo, neque possum resistere. Sapientis autem hanc censet Arcesilas vim esse maximam, Zenoni assentiens, cavere, ne capiatur; ne fallatur, videre[13]. Nihil est enim ab ea cogitatione, quam habemus de gravitate sapientis, errore, levitate, temeritate diiunctius[14]. Quid igitur loquar de firmitate sapientis? quem quidem nihil opinari, tu quoque, Luculle, concedis. Quod quoniam a te probatur, (ut praepostere tecum agam: mox referam[15] me ad ordinem,) haec primum conclusio, quam habeat vim, considera.

XXI. 67. Si ulli rei sapiens assentietur unquam, aliquando etiam opinabitur: nunquam autem opinabitur: nulli igitur rei assentietur. Hanc conclusionem Arcesilas probabat: confirmabat[16] enim et primum, et secundum. Carneades, nonnunquam[17] secundum illud dabat: assentiri aliquando. Ita sequebatur[18] etiam opinari: quod tu non vis, et recte, ut

(1) — *applicui* V. (2) = *minimis in* L. (3) Sic Steph. L. Seqq. ∞ *ergo* Cdd. pleriq., etiam Stephani. B. H. V. (4) — *tum* Cdd. multi. (5) — *quum in t. d. id facerem* L. (6) — *possim* Rathii susp. (7) — *iudicem esse* H. ∞ *iudico* Ern. susp. Recte: saepissime post v. *ut* indicat. in coniunct. est corruptus. (8) ∞ del. *sic* G. Є. 2. (— *si* Cdd. aliq.) (9) ∞ *quidam* M. L. Placet. (10) Sic Cdd. aliq., etiam Stephani. H. V. G. — *tenent* B. L. D. 1. 2. (11) cum Cdd. et B. G. 2. — *elimatas* Ceteri. Haec: *id est - - limatas* Sch. 2. [ ]. ∞ *ad rat.* G. Є. (12) Sic V. — *his* H. — *hisque* M. L. Seqq. (13) Suspecta haec *ne f.*, *v.* Castillonio. (14) = *disiunctius* B. H. M. L. (15) — *agam*, *iam enim r.* V. (16) Sic B. D. 1. G. 2.: — *probat: confirmabat* H. V. — *probat: confirmat* M. Steph. L. (17) Sic B. H. V. M. D. 1. 2. — *nonnunquam et secundum* L. — *nunquam secundum* e Cdd. G. Sed in toto hoc loco *primum* manifesto significat *opinari*, *secundum* autem *assentiri*. (18) Sic Cdd. aliq. Man. Є. L. Seqq. — *id assequebatur* H. V.

mihi videris. Sed illud primum, sapientem, si assensurus esset, etiam opinaturum, falsum esse et Stoici dicunt, et eorum adstipulator Antiochus: posse enim eum falsa a veris, et quae non possint[1] percipi, ab iis[2], quae possint, distinguere. 68. Nobis autem primum, etiam si quid percipi possit, tamen ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica. Quamobrem quum tam vitiosum esse constet, assentiri quidquam aut falsum, aut incognitum, sustinenda est potius omnis assensio, ne praecipitet, si temere processerit. Ita enim finitima sunt falsa veris, eaque, quae percipi non possunt, iis, quae possunt[3], (si modo ea sunt quaedam; iam enim videbimus:) ut tam praecipitem in locum[4] non debeat se sapiens committere. Sin autem omnino, nihil esse, quod percipi possit, a me sumpsero, et, quod tu mihi das, accepero, sapientem nihil opinari; effectum illud erit, sapientem assensus omnes cohibiturum: ut videndum tibi[5] sit, idne malis, an aliquid opinaturum esse sapientem. Neutrum, inquies, illorum. Nitamur igitur, nihil posse percipi; etenim de eo omnis est controversia.

XXII. 69. Sed prius pauca cum Antiocho, qui haec ipsa, quae a me defenduntur, et didicit apud Philonem tam diu, ut constaret, diutius didicisse neminem, et scripsit de his rebus acutissime; et idem haec non acrius[6] accusavit in senectute, quam antea defensitaverat. Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit; tamen inconstantia levatur[7] auctoritas. Quis enim[8] iste dies illuxerit, quaero, qui illi ostenderit eam, quam multos annos esse negitavisset[9], veri et falsi notam? Excogitavit aliquid? Eadem dicit, quae Stoici. Poenituit eum illa sensisse? Cur non se transtulit ad alios, et maxime ad Stoicos? eorum enim erat propria ista dissensio[10]. Quid? eum Mnesarchi poenitebat? quid[11]? Dardani? qui erant Athenis tum principes Stoicorum. Nunquam a Philone discessit, nisi posteaquam ipse coepit, qui se audirent, habere. 70. Unde autem subito vetus Academia revocata[12] est? Nominis dignitatem videtur, quum a re ipsa descisceret, retinere voluisse; quod erant, qui illum gloriae causa *facere[13] dicerent; sperare etiam[14], fore, ut ii[15], qui se sequerentur, Antiochii vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuisse sustinere concursum omnium philosophorum. Etenim de ceteris sunt inter illos non-

---

(1) — *possunt* Grut. solus. (2) Sic M. L. D. 1. — *his* H. V. G. 2. (3) Sic L. Є. D. G. 2. (nisi quod hi duo: *his.*) — *ab iis* Ern. 1. nescio quo errore. — om. *iis, quae possunt* Cdd. H. V. M., qui tres praeterea: *eaque quae percipi possunt.*) (4) Sic D. 1. G. 2. — *tamen in p. l.* H. V. M. L. 1566. (— *in tam pr. l.* L. susp.) (5) Sic H. V. G. 2. = *tibi vid.* M. L. D. 1. (6) — *non acutius haec* G. Є. recte repudiata a Sch. et Madvig I. p. 161. ∾ om. *non* H., ut volebat Ern. Est tamen falsa correctio. (— *hoc ut acrius* B.) (7) — *elevatur* H. (8) Sic cum Cdd. L. in m. 1584. D. G. 2. — *quis, inquam, enim* H. V. M. 1. — *quis enim unquam* L. Є. 1566. — *quisnam enim* D. Є. Nati sunt errores e lect. B.: — *quisquam enim iste.* (9) Sic D. G. 2. — *negavisset* H. V. L. 1. De interpunctione seqq. v. Madvig. I. p. 162. (10) — *defensio* B. H. M. L. (11) — *quid?* G. Є. 2. Male. (12) — *renovata* M. (13) Sic Cam. Є. et L. 1566. Rursus Ern. susp. sane verissima. — *causa fecerunt, sp.* Cdd. pleriq. B. H. Corrupte. — *causa facerent sperare, fore,* Margo Cr. V. 1. G. 2. (videtur Є., sane mala.) ∾ *c. fecisse dicerent, sp.* e Cdd. aliq. D. prob. Madvig. Sed haec quoque est Є; peiusque sane est perfectum: eo ipso enim tempore, quo is Acad. veterem revocabat, adversarii dicebant id eum facere, non, fecisse. (14) — *enim* D. Є. — *etiam* [ ]. G. del. Sch. 2. improb. Gernhardo. (15) Sic M. L. D. 1. — solito errore *hi* B. H. V. G. 2. (Item infra, ubi *ii* etiam V.)

nulla communia: haec Academicorum est una sententia, quam reliquorum philosophorum nemo probet. Itaque cessit; et ut ii[1], qui sub *Novis[2] solem non ferunt, item ille, quum aestuaret, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum umbram secutus est. 71. Quoque solebat uti argumento tum, quum ei placebat, nihil posse percipi, — quum quaereret, Dionysius ille Heracleotes utrum comprehendisset certa illa nota, qua assentiri dicitis oportere, illudne, quod multos annos tenuisset Zenonique magistro credidisset, honestum quod esset, id bonum solum esse; an quod postea defensitavisset, honesti inane nomen esse, voluptatem esse summum bonum: qui ex illius commutata sententia docere vellet, nihil ita signari in animis nostris a vero posse, quod non eodem modo possit a falso —: is[3] curavit, quod[4] argumentum ex Dionysio ipse sumpsisset, ex eo ceteri sumerent. Sed cum hoc[5] alio loco plura, nunc ad ea, quae a te, Luculle, dicta sunt.

XXIII. 72. Et primum quod initio dixisti, videamus, quale sit: similiter a nobis de antiquis philosophis[6] commemorari, atque seditiosi solerent claros viros, sed tamen populares aliquos nominare. Illi quum res non bonas tractent, similes bonorum videri volunt. Nos autem ea *dicimus[7] nobis videri, quae vosmet ipsi nobilissimis philosophis placuisse conceditis. Anaxagoras nivem nigram dixit esse. Ferres me, si ego idem dicerem? Tu, ne si dubitarem quidem. At quis est hic? num[8] sophistes? — sic enim appellabantur ii, qui ostentationis, aut quaestus causa philosophabantur[9] —: maxima fuit et gravitatis et ingenii gloria. 73. Quid loquar[10] de Democrito? Quem cum eo conferre possumus non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? qui ita sit ausus[11] ordiri, *Haec loquor de universis*. Nihil excipit, de quo non profiteatur. Quid enim esse potest extra universa? quis hunc philosophum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquisque inferioris aetatis? qui mihi cum illo collati quintae classis videntur. Atque is non hoc dicit, quod nos, qui, veri esse aliquid, non negamus, percipi posse, negamus: ille verum plane negat esse: sensus quidem non obscuros dicit, *sed tenebricosos[12]; sic enim appellat eos. Is, qui hunc maxime est admiratus, Chius Metrodorus initio libri, qui est de Natura: „*Nego*, inquit, *scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem, nescire, aut*

---

(1) — *ut enim ii* H. M. Steph. L. Correxerat V. (cum Cd. Stephani.) (2) de P. Fabri €. Ern. 1. G. 2. — *sub nubes* Cdd. B. H. V. — *sub nube* M. D. €. (— *qui nisi sub nube* L. €.) (3) — *his* e C2d. G. v. Madvig I. p. 163. (4) ∞ *ut*, *quod* L. (€.) (5) Sic D. €. 1. G. 2. — *quum hoc* V. — *cum haec* H. L. Grut. — *cum ex hoc* Cdd. pleriq. (6) — *antiquos philosophos* L. (€.) — *de a. physicis* Bentleii susp. (7) Sic V. G. = *dicimus ea* Ceteri. (8) Sic M. Seqq. — *nunc hic* B. H. V. (9) e Cdd. H. 2. — *appellantur* - - *philosophantur* Cdd. aliq. H. V. M. L. D. 1. — *appellabantur* - - *philosophantur* B. Grut. (*hi* h. l. quoque reduxerunt G. Sch. 2.) Ceterum suspecta haec *sic* - - *philos.* erant Schaefero ad *Dionys. de C. V.* p. 406: (10) — *loquor* M. (11) — *sit ita ausus* immani hiatu Ven. 1494. B. H. prob. Goerenzio. (12) Sic praeeunte ex parte Davisio h. l. constituit et distinxit Madvig I. p. 164. — *ille verum esse* (= *esse verum* G. 2.) *plane negat: esse sensus quidem non* (*nec* M.) *obscuros*, *nec* (*sed* G. €. 2.) *tenebricosos* (*sic enim appellat eos is* - - *de natura.*) *Nego*, *inquit* Ceteri, nisi quod L. 1566.: — *dicit obscuros*, *sed et tenebr.* Sed volebat: *dicit*, *sed obscuros et tenebr.* ∞ *eos* [ ]. Madvig.

scire[1] *: nec omnino, sitne aliquid, an nihil sit.*" 74. Furere tibi Empedocles videtur: at mihi dignissimum rebus iis, de quibus loquitur, sonum fundere. Num ergo is excaecat nos, aut orbat sensibus, si parum magnam vim censet in iis[2] esse ad ea, quae sub eos subiecta sunt, indicanda? Parmenides, Xenophanes, minus bonis quamquam versibus, sed tamen[3] illis versibus increpant eorum arrogantiam, quasi irati, qui, quum sciri nihil possit, audeant, se scire, dicere. Et ab his aiebas[4] removendum Socratem et Platonem. Cur? An de ullis certius possum dicere? Vixisse cum his equidem videor: ita multi sermones perscripti[5] sunt, e quibus dubitari non possit, quin Socrati nihil sit visum sciri posse. Excepit unum tantum, *scire se, nihil se scire:* nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris hoc[6] persecutus non esset, nisi probavisset. Ironiam enim alterius, perpetuam praesertim, nulla fuit ratio persequi.

XXIV. 75. Videorne tibi, non, ut Saturninus, nominare modo illustres homines, sed imitari[7] nunquam nisi clarum, nisi nobilem? Atqui[8] habebam molestos vobis, sed minutos, Stilponem[9], Diodorum, Alexinum; quorum sunt contorta et aculeata quaedam *σοφίσματα* — sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. Sed quid eos colligam, quum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum? Quam multa ille contra sensus, quam multa contra omnia, quae in consuetudine probantur! "At dissolvit idem[10]. Mihi quidem non videtur: sed dissolverit sane. Certe tam multa non collegisset, quae nos fallerent probabilitate magna, nisi[11] videret iis[12] resisti non facile posse. 76. Quid Cyrenaei[13]? minime contempti philosophi; qui[14] negant, esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quae tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut[15] voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire; sed tantum sentire[16], affici se quodam modo. Satis multa de auctoribus. Quamquam ex me quaesieras, nonne putarem post illos veteres tot seculis inveniri verum potuisse, tot ingeniis tantisque studiis quaerentibus. Quid inventum sit, paullo post videro, te ipso quidem[17] iudice. Arcesilam vero non obtrectandi causa cum Zenone pugnavisse, sed verum invenire voluisse, sic intelligitur. 77. Nemo, inquam[18], superiorum non modo expresserat, sed ne dixerat quidem, posse hominem nihil opinari;

---

(1) Sic e Cdd. D. 1. G. — *aut scire nos* Cdd. aliq. — *aut scire, scire nos* H. V. M. L. (— *Nego, inquit, scire nos aliquid; ne id ipsum quidem scire, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: nec omn.* Sch. €. 2., praeeunte ex parte Wyttenbachio. Recte haec reiicit Madvig.) (2) — *his* bis H. V. G. 2. (3) — om. *tamen* C1d. Ven. 1494. B. G. Potius leg. *sed tamen illi vers.* (4) Sic L. Seqq. — *aiebat* B. H. V. M. (5) — *praescripti* Erl. V. (6) B. H. V. — *haec* Ceteri. (7) Sic cum C8d. B. G. — *sed etiam im.* Ceteri. (— *neminem* pro *nunquam* D. susp. — *imitari? num quem nisi* de Man. €. Lall.) (8) — *Atque* B. M. (9) — *Stilbonem* H. V. M. (10) Sic Lall. e Davisii €, qui e vestigiis Cdd. sic edidit: — *probantur? At dissolvit. Idem mihi* —: — *probantur, dissolvit? Idem mihi* H. V. M. L. 1. G. 2. (11) = *ni* Cdd. G. 2. (12) Sic M. — *his* Ceteri. (13) Sic de Gruteri et Guyeti sententia G. 2. — *Cyrenaei videntur? minime* vel: *Cyrenaei? videntur min.* H. M. L. D. 1. — *Cyrenaei? videntur mihi min.* V. (14) ∞ *hi* L. (€.) (15) — *et* H. M. L. (16) ∞ om. *sentire* cum Gud. Ven. 1494. et B. G. (17) Sic Cdd. (etiam Stephani.) H. V. M. G. 2. — *quoque* L. D. 1. (18) — *unquam* Cdd. aliq. L. in m. 1584. (non 1566.)

nec solum posse, sed ita necesse esse sapienti. Visa est Arcesilae quum vera sententia, tum honesta et digna sapiente. Quaesivit de Zenone fortasse, quid futurum esset, si nec percipere quidquam posset sapiens, nec opinari sapientis esset. Ille, credo, nihil opinaturum[1]; quoniam esset, quod percipi posset. Quid ergo id esset[2]? Visum, credo. Quale igitur visum? tum illum ita definisse[3], ex eo, quod esset, sicut esset, impressum et signatum et effictum[4]. Post requisitum, etiamne, si eiusdem modi[5] esset visum verum, quale vel[6] falsum? Hic Zenonem vidisse acute, nullum esse visum, quod percipi posset, si id tale esset ab eo, quod est, ut eiusdem modi[7] ab eo, quod non est, posset esse. Recte consensit Arcesilas; ad definitionem additum: neque enim falsum percipi posse, neque verum, si esset tale, quale vel falsum. Incubuit autem in eas disputationes, ut doceret, nullum tale esse visum a vero, ut non eiusdem modi etiam a falso possit[8] esse. 78. Haec[9] est una contentio, quae adhuc permanserit. Nam illud, nulli rei assensurum esse sapientem, nihil ad hanc controversiam pertinebat. Licebat enim nihil percipere[10], et tamen opinari; quod a Carneade dicitur probatum: equidem[11] Clitomacho plus, quam Philoni, aut Metrodoro, credens, hoc magis ab eo disputatum, quam probatum, puto. Sed id omittamus. Illud certe, opinatione et perceptione sublata, sequitur, omnium assensionum retentio: ut, si ostendero, nihil posse percipi, tu concedas, nunquam[12] assensurum esse.

XXV. 79. Quid ergo est, quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nuntiant? quos tu, Luculle, communi[13] loco defendis: quod ne id[14] facere posses, idcirco heri, non necessario loco, contra sensus tam multa dixeram. Tu autem te negas infracto remo, neque columbae collo commoveri. Primum cur? Nam et in remo sentio non esse id, quod videatur; et in columba plures videri colores, nec esse plus uno. Deinde nihilne praeterea diximus? — Maneant illa omnia; iaceat ista causa[15]: veraces suos esse sensus dicit. — Igitur semper auctorem habes eum[16], qui magno suo periculo causam agat! Eo enim rem demittit[17] Epicurus, si unus sensus *semel* in vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum. 80. Hoc est verum esse[18], confidere suis testibus, et importune insistere! Itaque Timagoras Epicureus negat sibi unquam, quum oculum torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas; opinionis enim esse mendacium, non oculorum.

---

(1) Sic H. L. D. G. 2. — *opinatur* V. M. Grut. 1. (2) = *esset id* V. L. D. (3) Sic H. V. G. 2. = *definivisse* M. L. D. 1. (4) Sic de Man. Є. L. D. 1. G. 2. — *effectum* H. V. (5) Sic de D. sententia G. 2. — *eiusmodi* H. V. L. D. 1. (— *etiam, nisi eiusmodi* V.) (6) Sic cum Cdd. B. D. 1. G. 2. — om. *vel* H. V. M. L. (7) Sic Ern. Є. 1. G. 2. — *eiusmodi* H. V. L. D. (8) — *posset* Ern. Є. 1. 2. — om. *esse* H. (9) cum Cdd. B. D. G. — *haec autem* H. V. L. 1. 2. (10) — *percipere nihil* H. (11) — *equidem enim* G. Є. (12) — *nihil* B. H. (13) — *omni* B. V. (14) — *istud* B. — del. *id* de Man. Є. Hüls. — *quod ne tu f.* L. in m. 1584. (15) Sic Reg. et Cantabr. uterque a sec. m. prob. Madvig I. p. 174. Ante *veraces* supple cogitatione: „nihilominus Epicurus" — *Maneant illa omnia, lacerat ista causa* corrupte Cdd. pleriq. B. V. M. D. 1. — pro *lacerat*: — *latrat* Crat. *lateat* H. — *laborat* de Ern. susp. Sch. 2. (— *lacerat iste causam* L.) — *si maneant illa omnia, laceratis istam causam* G. Є. prob. Beier *Offic.* T. 2. p. 269. (16) cum Cdd. D. 1. G. 2. — *habes et eum* H. V. L. (17) — *dimittit* H. V. G. (18) — del. *verum esse* G. Є. Sch. 2. Vide Madvig. Est: „simplicem, candidum esse."

Quasi quaeratur, quid sit, non quid videatur! Sed[1] hic quidem maiorum similis: tu vero, qui visa sensibus alia vera dicas esse, alia falsa, quî ea distinguis? Desine[2], quaeso, communibus locis: domi nobis ista nascuntur. Si, inquis, deus[3] te interroget, sanis modo et integris sensibus, num amplius quid desideras[4]? — quid[5] respondeas? — Utinam quidem roget! Audiat, quam nobiscum male egerit[6]. Ut enim vera videamus, quam longe videmus[7]? Ego Catuli Cumanum ex hoc loco video: Pompeianum non cerno[8]; neque quidquam interiectum est, quod obstet: sed intendi longius acies[9] non potest. O praeclarum prospectum! Puteolos videmus: at familiarem nostrum C. Avianum[10], fortasse in porticu Neptuni ambulantem, non videmus. 81. At ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille et octoginta[11] stadia quod abesset, videbat. — Quaedam volucres longius. Responderem igitur audacter isti vestro deo, me plane his oculis non esse contentum. Dicet[12] me acrius videre, quam illos[13] pisces fortasse, qui neque videntur a nobis, et nunc quidem sub oculis sunt, neque ipsi nos suspicere possunt. Ergo ut illis aqua, sic nobis aër crassus offunditur. — At amplius non desideramus. — Quid? talpam num[14] desiderare lumen putas? — Neque tam quererer cum deo, quod parum longe, quam quod falsum viderem[15]. Videsne navem illam? Stare nobis videtur: at iis, qui in navi sunt, moveri haec villa. Quaere rationem, cur ita videatur: quam ut maxime inveneris, quod haud scio, an non[16] possis; non tu[17], verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere, ostenderis.

XXVI. 82. Quid[18] ego de navi? Vidi enim a te remum contemni. Maiora fortasse quaeris. Quid potest esse sole maius? quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant maiorem esse, quam[19] terram. Quantulus nobis videtur! Mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multo;

(1) ∞ *Sit* e Cdd. aliq. G. — *Sic* Cdd. aliq. B. H. V. (2) Sic H. V. L. D. 1. — *et desine* Cdd. aliq. B. ∞ *sed desine* G. €. 2. (3) — *si quis deus* M. L. 1. (4) ∞ *desideres* L. (5) — *quod* G. €. vide Sch. (6) Sic locum constituerunt G. Sch. 2. sicque Cd. Ursini. Lall., nisi quod *audiet*. — *audias*, *quam nobiscum male egerint* H. Grut. D. Item Ern., sed hic: *egerit*. — *audies*, *quam nobiscum male agerent* B. V. — *audiat*, *quam nobiscum male agatur* M. Steph. L. (7) Sic Cd. Ursini. Lall. Ern. 1. 2. — *videbimus* H. V. L. D. G. (— *viderimus* D. susp.) (8) Sic Cd. Ursini. D. — del. *video* G. prob. Gernhardo. Sed rectissime h. l. se habet solita apud Cic. oppositio v. *videre* et *cernere*. — *Cumanam* (*Cumanum* Sch. 2.) *ex hoc loco regionem video*, *Pomp. n. c.* H. V. L. 1. 2. (∞ *e regione* pro *regionem* Lipsii susp.) (9) = *acies longius* B. H. V. (10) — om. praenomen H. V. L. D. 1. (11) Sic cum Cdd. B. D. 1. G. 2. — *octingenta* H. V. L. (12) — *Dicit* M. L. (13) e C1d. B. G. 2. — *ullos* Ceteri. Fortasse: *quam mullos illos fortasse*. (14) *Quid? talpam non d.* e C1d. D. 1. (15) Sic Man. Steph. L. Oliv., et si fides collatoribus, O1x. — *quereretur* – – *videret*. H. V. D. 1. G. 2. Sed fac, Ciceronem h. l. non se, ut supra, sed miro utique modo talpam cum Deo querentem introduxisse, ne ea quidem queri poterat, potius quod falsum, quam quod parum longe videret; prorsus nihil enim videbat, ex antiquorum opinione. (16) — del. *non* censet Beier *Offic*. T. 2. p. 271. v. Madvig I. p. 179. (17) — *te* L. (18) ∞ *sed quid* Ern. susp. prob. G. (19) — *qua* L. Pro *duodeviginti* G. dubiam suspicionem profert: — *duodetriginta*. Tu vide Lactantium *Institt*. 3, 23, 12. *Xenophanes dicentibus mathematicis orbem lunae duodeviginti partibus maiorem esse, quam terram, stultissime credidit.* Hinc Ciceronis error.

nec[1] maiorem quidem multo putat[2] esse, vel tantum esse, quantus videatur: ut oculi aut non multum mentiantur, aut nihil[3]. Ubi igitur illud est *semel*? Sed ab hoc credulo, qui nunquam sensus mentiri putat, discedamus: qui[4] ne nunc quidem, quum ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut, celeritas eius quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videatur[5]! 83. Sed, ut minuam controversiam: videte, quaeso, quam * in parvo lis sit[6]. Quattuor sunt capita, quae concludant[7], nihil esse, quod nosci, percipi, comprehendi possit; de quo haec tota quaestio est. E quibus primum est, esse aliquod visum falsum: secundum, non posse id percipi: tertium, inter quae visa nihil intersit, fieri non posse, ut eorum alia percipi possint, alia non possint: quartum, nullum esse visum verum a sensu profectum, cui non appositum[8] sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit. Horum quattuor capitum secundum et tertium omnes concedunt. Primum Epicurus non dat. Vos, quibuscum res est, id quoque conceditis. Omnis pugna de quarto est. 84. Qui igitur P. Servilium Geminum videbat, si[9] Quintum se videre putabat, incidebat in eiusmodi[10] visum, quod percipi non posset, quia nulla nota verum distinguebatur a falso: qua distinctione sublata, quam haberet in C. Cotta[11], qui bis cum P. Gemino[12] consul fuit, agnoscendo[13] eiusmodi notam, quae falsa esse non posset[14]? Negas tantam similitudinem in rerum natura esse. Pugnas omnino, sed cum adversario facili. Ne sit sane: videri certe potest. Fallet igitur sensum; et si una fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. Sublato enim iudicio illo, quo oportet agnosci, etiam si ipse erit, quem videris, qui tibi videbitur[15], tamen non ea nota iudicabis, qua dicis oportere[16], ut non possit esse eiusdem modi falsa. 85. Quando igitur potest tibi P. Geminus Quintus videri, quid habes explorati[17], cur non possit[18] tibi Cotta[19] videri, qui non sit, quoniam aliquid videtur esse, quod non est? Omnia dicis sui generis esse, nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem[20], nec admodum credibile, *nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum.* Haec refelli possunt: sed pugnare nolo. Ad id enim, quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat; an internosci non possit, etiam si differat. Sed, si hominum similitudo tanta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, Lysippus eodem aere, eadem temperatione, eodem caelo, † aqua[21],

---

(1) Sic Cdd. aliq. B. H. G. — *ne* V. L. D. 1. 2. (2) — *putant* B. H. V. (3) e Cdd. G. 2. — *aut non multum, aut nihil ment.* H. D. — *aut nihil, aut non multum ment.* L. ∞ *aut nihil mentiantur, aut non multum ment.* V. M. 1. (4) ∞ om. *qui* L. 1566. Recte, puto. — *qui ne nunc quidem putat* H. V. (5) — *stare nobis videtur* L. (6) Sic dedi de Durandi Є. prob. Madvig I. p. 133. — *in parvulis sitis* sine sensu H. V. D. 1. G. 2. — *in parvulis sita sit* L. Є. (7) — *concludunt* H. V. L. (8) — *oppositum* G. Sch. 2. errore typogr. (9) — *sed* e Cdd. G. 2. v. Madvig I. p. 178. (10) — *huiusmodi* B. H. (11) cum Cdd. Ern. 1. G. 2. — *haberet C. Cotta* D. — *haberet M. Cotta* H. V. L. (12) e Cdd. D. — om. praenomen Ceteri. (13) — *agnoscendi* L. Є. (14) — *possit* B. H. V. L. (15) — *videtur* cum Cdd. aliq. B. D. 1. (16) — *dicis esse oportere* L. (17) — *exploratum* Cdd. aliq. B. H. prob. G. (18) — *possit item* G. susp. (19) Lege *C. Cotta*. (20) — *est id quidem* L. — *id est q.* D. (21) Etsi P. Faber satis ingeniose explicare tentavit locum inextricabilem, nihil tamen profecit; nam id quidem mortalium captum superat, caelo (*οὐρανῷ*,) et aqua vel confici statuas aeneas, vel caeli et aquae

ceteris omnibus, centum Alexandros[1] eiusdem modi facere non posset[2]? qua igitur notione discerneres[3]? 86. Quid? si in eiusdem modi[4] cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquae[5] poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quaerendus annularius aliqui[6], quoniam gallinarium invenisti Deliacum, illum, qui ova cognosceret[7]?

XXVII. Sed adhibes artem advocatam etiam sensibus. Pictor videt, quae nos non videmus; et, simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. — Quid? hoc nonne videtur contra te valere, si sine magnis artificiis, ad quae pauci accedunt, nostri quidem generis admodum[8], nec videre, nec audire possumus? Iam illa praeclara, quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura! — 87. Cur non extimescam opinandi temeritatem? Etiamne hoc affirmare potes, Luculle, esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet, quae finxerit, vel, ut[9] tuo verbo utar, quae fabricata sit hominem? Qualis ista fabrica est? ubi adhibita[10]? quando? cur? quo modo? Tractantur ista ingeniose: disputantur etiam eleganter. Denique videantur sane, ne affirmentur modo. Sed de physicis mox, et quidem ob eam causam, ne tu, qui idem me facturum paullo ante dixeris, videare mentitus. Sed ut[11] ad ea, quae clariora sunt, veniam: res iam universas profundam, de quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo — de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem, inferiorem[12] fuisse: itaque ab eo armatum esse Carneadem. — 88. Ea sunt eiusmodi[13], quae a te diligentissime tractata sunt. Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa imbecilliora esse dicebas, quam vigilantium, siccorum, sanorum. Quo modo? quia; quum experrectus esset, Ennius, non[14], *se vidisse Homerum*, sed, *visum esse:* Alcmaeo autem,

Sed mihi neutiquam cor consentit —

Similia de vinolentis. Quasi quisquam neget, et, qui experrectus sit,

---

in statuis aeneis, dum flantur et expoliuntur, ullas alias esse partes. Iam inspice testimonia ab eo allata. In primo Plutarchi *de defectu orac. C.* 47. sermo est de ὑποκρητηριδίῳ Delphico, ferreo, non aereo; in altero Antiphontis apud *Pollucem* 7. §. 169. *βάψις χαλκοῦ καὶ σιδήρου* de armis instrumentisque ex aere cyprio confectis, non de statuis aereis (*di bronzo*); in tertio Plutarchi *de Pythiae oraculis C.* 4. de *πίνῳ* s. *ἰῷ παλαιουμένου τοῦ χαλκοῦ* ab aëre temporis progressu, non ab artifice, dum elaborat signa, in iisdem effecto. Quid multa? *caelum* h. l. apud Cic. non est *οὐρανός*, sed *γλυφεῖον*, scalprum; et *aqua* corruptum ex ∞ *acu*, quod vel gloss. est v. *caelo*, vel re vera *acu* aliqua s. stilo (*Schraffirnadel*) statuarii post signi fusionem elaborabant tenuiora oris lineamenta, capillos, plicas; uti in crassioribus, quae post flatum signum haud satis expressa, vel vitiosa viderentur, de *caelo* cogitandum est, si *acum* toleramus.

(1) — *certum Alexandrum* H. V. (2) — *possit* M. L. Grut. (3) — *discernes* L. (4) — *eiusmodi* B. H. V. M. (5) = *ecqua* L. (6) = *aliquis* H. L. (non V.) (7) — *agnosceret* cum C2d. Ern. 1. (8) vide Madvig I. p. 181. (9) — om. *ut* L. (10) — *adhibita est* H. L. (11) — *videare esse mentitus. Sed ut* Cd. Stephani. (— *videare mentitus esse. Ut* D. susp.) (12) — *se ipso inf.* L. E. (13) ∞ *eiusdem modi* de G. susp. Sch. 2. (14) cum C3d. G. — *non diceret* Ceteri. Sic §. 89. — *incitato furore dicit* C2d. Davisii a sec. manu.

eum somnia[1], et, cuius furor consederit, putare, non fuisse ea vera, quae essent sibi visa in furore. Sed non id agitur: tum, quum videbantur, quo modo viderentur[2], id quaeritur. Nisi vero Ennium non putamus ita totum illud audivisse,

O pietas animi —

(si modo id somniavit) ut si[3] vigilans audiret. Experrectus enim potuit illa visa putare, ut erant, somnia[4]: dormienti vero aeque, ac vigilanti, probabantur[5]. Quid? Iliona somno illo,

Mater te appello —

nonne ita[6] credit filium locutum, ut experrecta[7] etiam crederet? unde enim illa: — *Age*

Adsta: mane: audi: iteradum eadem istaec mihi[8]?

num videtur minorem habere visis, quam vigilantes, fidem?

XXVIII. 89. Quid loquar de insanis? qualis tandem fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus? quisquam sanissimus tam certa putat, quae videt, quam is putabat, quae videbantur? Quid? ille, qui:

Video, video te. Vive, Ulixes[9], *dum licet,*

nonne etiam bis se exclamavit[10] videre, quum omnino non videret? Quid? apud Euripidem Hercules, quum, ut Eurysthei filios, ita[11] suos configebat sagittis, quum uxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem; non perinde movebatur falsis, ut veris moveretur[12]? Quid? ipse Alcmaeo tuus, qui negat *cor sibi cum oculis consentire*, nonne ibidem incitato[13] furore:

Unde haec flamma oritur?

et illa deinceps,

Incede, incede[14]*: adsunt, adsunt: me, me expetunt.*

Quid? quum virginis fidem implorat,

Fer mi auxiliom: pestem abige a me, flammiferam hanc vim,
quae me excruciat[15]!

** Caerulea incinctae angui*[16] *incedunt: circumstant cum ardentibu' taedis —*

num dubitas, quin sibi haec videre videatur? Itemque cetera:

---

(1) e Cdd. D. 1. G. 2. — *somniare* O2x. H. V. — *somniasse* L. (€.) (2) Sic de D. suspic. (firmata a multis Cdd., qui habent *viderentur* altero loco) Sch. 2. — *videantur — — videntur* H. V. D. — *videntur — — videantur* L. €. 1. G. (3) — *si* D. [ ]. (4) Sic verissime L. €., ut rursus eadem €. Madvig I. p. 182. — *et somnia* Ceteri. (— *esse somnia* D. susp.) (5) e Cdd. Grut. Seqq. — *probantur* B. H. V. L. (6) Sic O1x. confirmans D. susp. receptam ab Ern. 1. G. 2. — *illa* B. H. V. L. D. (7) — *ut vere exp.* B. H. L. vide Grut. (8) Sic Manutius. Rursus Bothe *Poëtae scen.* p. 50. (— *eadem et istaec mihi* Vossius ad *Trag. fr.* 1620. p. 32.) — *Age, adsta — — eadem et ista mihi* Cdd. H. V. L. — *Age, adsta — — eademmet ista mihi* Grut. nescio unde. Ern. 1. 2. — *Age, adsta — — eademmet istaec mihi* G. uno nescio quo versu. (9) Sic G. ex *L.* 3. *de Orat.* §. 162. Sch. 2. — *vivum, Ulysses* Ceteri. (10) = *excl. se* V. L. D. 1. (11) — del. censebat V. *ita*, confutatus a Mureto *V. L.* 17, 10. (12) — *ut si veris m.* vel *moveretur* delendum. G. suspicc. Scil. recentiorum plerique scripsissent: *motus esset* vel *fuisset.* (13) — *incitatus* D. susp. prob. Ern. (14) — *Incende, incende* H. M. L. (15) cfr. Bothe *Poëtae scen.* p. 32. (qui: *flammigeram.*) (16) Sic G. €. 2. = *caeruleo — — angui* Columna. Voss. Bothe. — *caeruleae — — igni* Cdd. H. V. L. D. 1.

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus[1];
Diana facem[2] *iacit a laeva.*

90. Qui magis haec crederet, si essent, quam credebat, quia videbantur? Apparet enim iam *cor cum oculis consentire.* Omnia autem haec proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, inter visa vera et falsa ad[3] animi assensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, quum illa falsa[4] vel furiosorum, vel somniantium recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quaeritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui experrecti sint, aut eorum, qui furere destiterint[5]: sed qualis visio fuerit aut furentium, aut somniantium tum, quum commovebantur. Sed abeo a sensibus. 91. Quid est, quod ratione percipi possit? Dialecticam inventam esse dicitis, veri et falsi quasi[6] disceptatricem et iudicem. Cuius veri et falsi? et in qua re? In geometriane, quid sit verum aut[7] falsum, dialecticus iudicabit? an in literis? an[8] in musicis? — At ea non novit! — In philosophia igitur? Sol quantus sit, quid ad illum? Quod sit summum bonum, quid habet, ut queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quae coniunctio, quae disiunctio vera sit[9], quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet? Si haec et horum similia iudicat, de se ipsa iudicat. Plus autem pollicebatur. Nam haec quidem iudicare ad ceteras res, quae sunt in philosophia multae atque magnae, non est satis. 92. Sed quoniam tantum in ea arte[10] ponitis; videte, ne contra vos tota nata sit: quae primo progressu festive[11] tradit elementa loquendi et ambiguorum intelligentiam concludendique rationem: tum, paucis additis, venit ad soritas, lubricum sane et periculosum locum; quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus.

XXIX. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nulla[12] omnino in re minutatim interrogati[13]: dives pauper; clarus obscurus sit; multa pauca; magna parva; longa brevia; lata angusta: quanto aut addito, aut dempto certum respondeamus, non habemus. — 93. At vitiosi sunt soritae. — Frangite[14] igitur eos, si potestis, ne molesti sint. Erunt enim, nisi cavetis[15]. Cautum est, inquit. Placet enim Chrysippo, quum gradatim interrogetur, verbi causa, tria, pauca sint, anne multa; aliquanto prius, quam ad multa perveniat[16], quiescere, id est,

---

(1) Sic Cdd. H. V. D. 1. cfr. Hermann *Elem. doctr. metr.* p. 386. Beier *Offic.* T. 2. p. 74. (— *incendunt* B. H. M.) — *lunat* cum Ascens. G. 2. — *genu* L. E. (— *Luna*, *innixans* Wakefield ad *Lucr.* 3, 1013.) (2) — *faces* O1x prob. G. (3) — *et* Sch. 2. err. typogr. (4) = *falsa illa* M. L. 1. (5) Sic de D. sententia Ern. 1. G. 2. — *sunt -- destiterint* Cdd. B. H. V. M. — *sunt -- destiterunt* L. D. (6) — om. *quasi* Cd. Erl. (7) — *vel* M. L. D. 1. 2. (non H. V.) (8) — *aut* Grut. Ern. 1. (non H. V. L.) (9) — *quid disiunctione verum sit* Gud. Dresd. — *quae coniunctio disiunctiove vera sit* G. susp. (= *diiunctio* V.) (10) = *in ea arte tantum* M. L. (11) — *festine* Cdd. aliq. B. (12) — *ulla* M. L. D. (13) Sic Cdd. aliq. D. 1. G. 2. ut §. 104. ∞ *interroganti* Cdd. aliq. B H. V. M. L. (14) — *angite* e Cdd. aliq. De Allio. (15) — *caveatis* H. M. L. (16) Sic Cdd. pleriq. Edd. ante G. ut §. 94. *prius, quam ad finem veniam.* ∞ *perveniatur* e Cd. G. 2. (— *pervenias* Ern. susp.)

quod ab iis[1] dicitur, ἡσυχάζειν. Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. Sed quid proficit[2]? Sequitur enim, qui te ex somno excitet et eodem modo interroget. Quo[3] in numero conticuisti, si ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progrediere rursus, quoad videbitur. — Quid plura? hoc enim fateris[4], neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse. Cuius generis error ita manat, ut non videam, quo non possit accedere. 94. Nihil me laedit, inquit: ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo; eoque magis, si locus is, quo ferentur[5] equi, praeceps erit. Sic me, inquit, ante sustineo, nec diutius captiose interroganti respondeo[6]. Si habes, quod liqueat, neque respondes; superbis[7]. Si non habes; ne tu quidem percipis[8]. Si, quia obscura; concedo. Sed negas te usque ad obscura progredi. Illustribus igitur rebus insistis. Si id tantummodo, ut taceas, nihil assequeris. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te, an loquentem? Sin autem usque ad novem, verbi gratia, sine dubitatione respondes[9], pauca esse, in decimo insistis; etiam a certis et illustribus[10] cohibes assensum. Hoc idem me in obscuris facere non sinis. Nihil igitur te contra soritas ars ista adiuvat; quae[11] nec augenti, nec minuenti[12], quid aut primum sit, aut postremum, docet. 95. Quid? quod eadem illa ars, quasi Penelope[13] telam retexens, tollit ad extremum superiora. Utrum ea vestra[14], an nostra culpa est? Nempe fundamentum dialecticae est, quidquid enuntietur (id autem appellant[15] ἀξίωμα; quod est quasi *effatum*,) aut verum esse, aut falsum. Quid igitur? haec vera, an falsa sunt? *Si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiris*[16]. Haec scilicet inexplicabilia esse dicitis. Quod est odiosius, quam illa, quae nos non comprehensa[17] et non percepta dicimus.

XXX. Sed haec omitto. Illud quaero, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum indicium invenitur, ut respondere possitis, verane, an falsa sint; ubi est illa definitio, *effatum esse*[18] *id, quod aut verum, aut falsum sit?* Rebus sumptis, adiungam, ex his sequendas esse alias,

---

(1) — *his* H. V, G. 2. (2) — *proficitur* e C1d. G. 2. Vide Madvig I. p. 184. (— *proficis* D. susp.) (3) — *quod* H. V. M. (4) — *fateberis* L. susp. (5) — *ferrentur* e C1d. D. (6) Sic Cdd. aliq. V. G. 2. — *sustinebo - - respondebo* Cdd. aliq. H. L. D. 1. — *sustinebo - - respondeo* Grut. (7) — *superbe* B. M. L. (8) Sic V. D. 1. G. 2. — *perspicis* H. M. L. (9) — *respondeas* V. (10) Sic iam L. €., ut videtur: itemque Sch. 2. de G. susp. — *illustrioribus* Ceteri. (11) — *quod* B. H. (12) Sic de L. susp. D. 1. G. 2. (sicque habet Ox. U., si fides collatoribus.) — *augendi nec minuendi* Cdd. Edd. vett. H. V. (— *augentem nec minuentem* L. 1566. €.) (13) — *Penelopae* L. Grut. (14) = *vestra ea* B. H. (15) Sic Cdd. aliq. H. V. G. 2. — *appellatur* M. L. D. 1. (16) Sic e Cdd. aliq. G. Varie haec captiuncula constitui potest; itaque Cdd. certos aliquos secutus sum. Recte ad sensum Sch. 2. €.: ∞ *idque verum dicis, mentiris, an verum dicis?* Sed rem pervagatam contraxit Cicero, eoque magis, quod recurrit §. 96. — *idque verum mentiris, verum dicis* H. — *idque verum dicis; mentiri verum dicis* V. L. D. 1. — *atque verum dicis, mentiris et verum dicis* Castillon €. (17) Sic Cdd. multi. Ed. 1471. B. H. V. G. — *incomprehensa* Cdd. aliq. M. Steph. L. D. 1. 2. Vetus est controversia, sed quae dirimi videtur v. *et non percepta*, pro quo *et impercepta* aeque dicere potuisset cum Ovidio, ut v. *incomprehensus* est Prudentianum. Cfr. §. 99. (18) — *est* Ed. 1584. Grut. 1. sine auctoritate. (= *id esse* H.)

alias improbandas, quae sint in genere contrario. 96. Quo modo igitur hoc conclusum esse iudicas? *Si*[1] *dicis nunc lucere, et verum dicis; lucet igitur.* Probatis certe genus, et rectissime conclusum dicitis. Itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut[2] quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis; aut ars ista nulla est. Vide[3] ergo, hanc conclusionem probaturusne sis: *Si dicis te mentiri, verumque dicis; mentiris. Dicis autem te mentiri, verumque dicis: mentiris igitur.* Quî potes hanc non probare, quum probaveris eiusdem generis superiorem? Haec Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. Quid enim faceret huic conclusioni? *Si lucet; lucet. Lucet autem; lucet igitur.* Cederet[4] scilicet. Ipsa enim ratio connexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo[5] haec[6] ab illa conclusione differt? *Si mentiris; mentiris. Mentiris autem; mentiris igitur.* Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. 97. Quî igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet, eadem est in utroque. Sed hoc extremum eorum est: postulant, ut excipiantur haec inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo videant[7]: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt. Etenim quum ab Epicuro, qui totam dialecticam et contemnit, et irridet, non impetrent, ut verum esse concedat, quod ita effabimur, *aut vivet cras Hermachus, aut non vivet:* quum dialectici sic statuant, omne, quod ita disiunctum sit, quasi, *aut etiam, aut non*, non modo verum esse, sed etiam necessarium: vide, quam sit cautus[8] is, quem isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse, necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere. Nulla autem est in natura rerum talis necessitas. Cum hoc igitur dialectici pugnent, id est, Antiochus et Stoici: totam enim evertit dialecticam. Nam si e contrariis disiunctio, (contraria autem ea dico, quum alterum ait, alterum negat[9],) si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est. 98. Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? Quum aliquid huiusmodi inciderat, sic ludere[10] Carneades solebat: *Si recte conclusi*[11]; *teneo*[12]. *Sin vitiose; minam Diogenes reddet*[13]. Ab eo enim Stoico dialectica[14] didicerat: haec

---

(1) Sic Cdd. H. V. D. 1. In talibus omnino diiudicare nos non possumus, utrum Cicero ipse putidum iudicarit, primo praesertim loco (recurrit §. 96.) syllabatim exhibere quotidianos illos, et in scholis saepissime tritos syllogismos, satisque habuerit, dimidiatos eosdem afferre, ut versiculos Tragicorum, an truncarit eos librariorum stupor. Illud mihi quidem probabilius videtur. cfr. *de Fato.* C. 13. Defectum e Cdd. supplerunt L.: — *Si dicis nunc lucere, et verum dicis, lucet. Dicis autem lucere.* G. vero cum Sch. 2.: — *Si dicis lucere et verum dicis, lucet. Dicis autem nunc lucere* cet. (2) ∾ *aut* G. [ ]. del. Sch. 2. Sed dictum est in dialecticis plane, ut §. 97. *aut etiam*, *aut non*, quo disiunctio magis appareat. (3) — *video* O1x. B. H. V. (4) — *crederet* Cd. Steph. H. M. (5) — *igitur* Cd. Gud. B. H. (6) — *hoc* B. H. V. (7) Sic Cdd. aliq. V. Gronov. 1692. G. 2. ∾ *adeant* Cdd. aliq. B. H. M. L. D. 1. Difficillima est optio: nam *videant* aeque potest esse e calami errore, atque *adeant* e docto gloss. V. *videre* hoc sensu usurpatum ubique fere corruptelis obnoxium erat; cfr. *ad Attic.* 14, 21. (8) — *catus* de L. susp. non recepta D. 1. (9) Sic Cdd. aliq. L. Seqq. — *ait* - - *neget* Cdd. pleriq. V. ∾ *aiat* - - *neget* Edd. vett. H. prob. G. (10) — *concludere* B. H. (11) Sic (O1x.) L. D. Seqq. — *conclusit* Cdd. aliq. B. H. V. M. Grut. (12) — *te teneo* D. susp. ante Hülsem. (13) — *reddat* M. (14) e Cd. G. 2. ∾ *dialecticam* Ceteri.

illud ante[1]. Estne quisquam tanto inflatus errore[2], ut sibi se illa scire persuaserit? Non quaero rationes eas, quae ex coniectura pendent; quae disputationibus huc et illuc trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem. Geometrae provideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere, et qui omnia vobis[3], quae describunt, probant. Non quaero ex his illa initia mathematicorum; quibus non concessis, digitum progredi non possunt. *Punctum* esse, quod magnitudinem nullam habeat: *extremitatem* et[4] quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit: *lineamentum*, longitudinem latitudine carentem[5]. Haec quum vera esse concessero, si adiiciam[6] iusiurandum, sapientemne[7] † prius, quam[8] Archimedes, eo inspectante, rationes omnes descripserit eas, quibus efficitur, multis partibus solem maiorem esse, quam terram, iuraturum putas? Si fecerit, solem ipsum, quem deum censet[9] esse, contempserit. 117. Quod si geometricis rationibus non est crediturus, quae vim afferunt in docendo, vos ipsi ut dicitis; nae ille longe aberit, ut argumentis credat philosophorum; aut, si est crediturus, quorum potissimum? Omnia physicorum licet explicare. Sed longum est. Quaero tamen, quem sequatur. Finge aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse: quam potissimum sententiam eliget et disciplinam[10]? Etsi quamcunque eliget[11], insipiens eliget. Sed sit ingenio divino, quem unum e[12] physicis potissimum probabit? Nec plus[13] uno poterit. Non persequor quaestiones infinitas: tantum de principiis rerum, e quibus omnia constant, videamus, quem probet; est enim inter magnos homines summa dissensio.

XXXVII. 118. Princeps Thales, unus e septem, cui sex reliquos concessisse primas[14] ferunt, ex aqua dixit constare omnia. At hoc Anaximandro, populari et sodali suo, non persuasit: is enim infinitatem naturae dixit esse, e qua[15] omnia gignerentur. Post eius auditor Anaximenes, infinitum aëra: sed ea, quae ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras, materiam

---

(1) Non debetur *ante* Lambino, sed sic habent iam H. V. M. — *a te* Cdd. pleriq. B. ∾ *vel, ut illud ante* dedit G. — *verum i. a.* D. et Ern. susp. Altior hic latet corruptela. (2) — *tumore* Bentleii susp. (3) — *nobis* Cdd. aliq. H. L. (non D., ut ait G.) (4) ∾ om. *et* L. (5) Sic D. G. 2. (*lineamentum* Cd. Maff. B. M.) — *lineamento sine ulla latitudine c.* Cdd. pleriq. H. V. 1. — *lineam autem longitudinem latitudine c.* L. Є. Ceterum haec: *lineamentum -- carentem* de G. sententia Sch. 2. transposuit ante: *extremitatem -- sit.* (6) ∾ *adigam* de Man. Є. admodum probabili L. Sch. 2. (prob. D.) (7) — *sapientem, eumne* Sch. 2. Є. e G. adnot. desumpta; qui tamen eandem non probabat, *adiiciam* defendens. (8) Ut sana ratio iubet, leg. cum P. Fabro: ∾ *postquam* probb. D. Ern. Castillon. Madvig. Recepit Lall., vel potius (del. *prius*): ∾ *quum: crediturus* in seqq. omnino est *συνώνυμον* v. *assensurus.* (9) — *censent* Rosa, non Lambinus. (— *si ferreum solem ipsum, quem deum esse censet, contenderit.* Crat. H.) (10) Errat in adnot. G. Res sic se habet. Sic de D. susp. Ern. 1. (nisi quod *et* praetulit Davisiano *aut.*) cum Ern. faciunt G. 2. — *quam potissimum sententiam melius eliget aut disciplinam* Cdd. aliq. L. D. sicque probabiliter habent Gud. et Fr. Cod. — *quam potiss. sent. et disc. melius eliget? si* H. — *qua potissimum sententia melius eliget disciplinam* V. M. Grut. (11) — *elegerit* D. susp. prob. Ern. (12) = *ex* B. H. V. (13) ∾ *nec enim plus* H. V. M. Vere. (14) Sic Scala et Man. Є. L. Seqq. — *consesisse* (sic) *primas* Cdd. aliq. (B.) — *concessisse primos* H. V. (15) Sic Cdd. aliq. Ed. 1471. B. H. V. L. D. 1. — *a qua* Grut. G. 2.

infinitam: sed ex ea particulas, similes inter se, minutas[1]; eas primum confusas, postea in ordinem adductas a mente[2] divina. Xenophanes, paullo etiam antiquior, unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse deum[3], neque natum unquam[4], et sempiternum; conglobata[5] figura: Parmenides, ignem, qui moveat terram, quae ab eo formetur: Leucippus, plenum et inane: Democritus huic in hoc similis, uberior in ceteris: Empedocles, haec pervulgata et nota quattuor: Heraclitus, ignem: Melissus, hoc, quod esset infinitum et immutabile, et fuisse semper, et fore. Plato ex materia in se omnia recipiente mundum esse factum censet a deo sempiternum. Pythagorei, ex[6] numeris et[7] mathematicorum initiis proficisci volunt omnia. Ex his eliget vester sapiens unum aliquem, credo, quem sequatur: ceteri tot viri et tanti repudiati ab eo condemnatique discedent[8]. 119. Quamcunque vero sententiam probaverit, eam sic animo comprehensam habebit, ut ea, quae sensibus; nec magis approbabit nunc lucere, quam, quoniam Stoicus est, hunc mundum esse sapientem, habere mentem, quae et se, et ipsum fabricata sit, et omnia moderetur, moveat, regat. Erit ei[9] persuasum etiam, solem, lunam, stellas omnes, terram, mare, deos esse, quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permanet[10] et transeat; fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret.

XXXVIII. Sint ista vera: (vides enim iam me fateri aliquid esse veri,) comprehendi ea tamen et percipi, nego. Quum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi[11] ista dixerit; veniet, flumen[12] orationis aureum fundens, Aristoteles, qui illum desipere dicat: neque enim ortum esse unquam mundum, quod nulla fuerit, novo consilio inito, tam praeclari operis inceptio, et ita esse eum[13] undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere[14], ut hic ornatus unquam dilapsus occidat. Tibi hoc repudiare, illud autem superius, sicut caput et famam tuam, defendere necesse erit: mihi, ne ut dubitem quidem, relinquatur[15]? — 120. Ut omittam levitatem temere assentientium, quanti libertas ipsa[16] aestimanda est, non mihi necesse esse, quod tibi est! Cur deus, omnia nostra[17] causa quum faceret, (sic enim vultis,) tantam vim natricum viperarumque fecerit? cur tam multa pestifera[18] terra marique disperserit? Ne-

(1) — *infinitam, id est, particulas similes inter se et minutas* L. (*et m.* habent Cdd. aliq.) (2) — *adductas mente* B. H. V. M. (3) — *verum deum* B. H. (4) Sic Cdd. multi. B. H. M. L. 1. G. 2. — *usquam* Grut. D. (— *usquam quidquam* V.) (5) — *et congl.* L. (6) — om. *ex* V. (7) — om. *et* Gud. B. (8) — *discedant* Cdd. aliq. B. H. (9) Sic Cdd. aliq. L. D. 1. G. 2. — *enim* Cdd. aliq. H. — om. *ei* Cd. Erl. V. M. Grut. (10) Sic Cdd. multi. B. G. 2. ∞ *permeet* H. V. M. L. D. 1. Etsi videtur correctio. (11) — om. *tibi* M. Steph. L. (12) — *illud fl.* H. V. (non B. Videtur sane interpolatio.) (13) Sic Cdd. aliq. H. V. D. G. 2. = *eum esse* L. 1. (14) ∞ *efficere* Walkeri susp. probb. Ern. et Sch. (— *diuturnitasve temporum efficere* D. susp.) (15) Sic B. H. V. M. D. 1. 2. ∞ *relinquetur* L. (non Manutius 1555.) — *quum mihi - - relinquatur.* e Cd. G. Est interpolatio. (16) e Cdd. G. 2. — *ista* B. H. V. L. D. 1. (17) e Cdd. aliq. et Lactantio *Institt.* 7, 4, 11. G. 2. — *nostri* Ceteri. (18) cum Lactantio (sine varietate.) G. 2. — *cur mortifera tam multa perniciosa* Cdd. H. V. D. (qui *perniciosa* [ ]) Ern. 1. ∞ *cur mortifera tam multa, tam multa perniciosa* L. E. Vere, puto. (— om. *perniciosa* Cd. Cantabr.)

gatis haec tam polite tamque subtiliter effici potuisse sine divina aliqua sollertia. Cuius quidem vos maiestatem deducitis usque ad apium formicarumque perfectionem: ut etiam inter deos Myrmecides aliquis, minutorum opusculorum fabricator, fuisse videatur. 121. Negas sine deo posse quidquam[1]. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti deo immunitatem magni quidem muneris: sed[2] quum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est aequius habere ipsos deos! Negat opera deorum se uti ad fabricandum mundum. Quaecunque sint, docet, omnia effecta esse[3] natura: nec, ut ille, qui asperis et laevibus et hamatis uncinatisque corporibus concreta haec esse dicat, interiecto inani. Somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optantis[4]. Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum esse, docet ponderibus et motibus. Nae ille[5] et deum opere magno[6] liberat, et me timore. Quis enim potest, quum existimet, se curari a deo[7], non et dies, et noctes divinum numen horrere? et, si quid adversi acciderit, (quod cui non accidit?) extimescere, ne id iure evenerit? Nec Stratoni tamen assentior; nec[8] vero tibi. Modo hoc, modo illud probabilius videtur.

XXXIX. 122. Latent ista omnia, Luculle, crassis occultata[9] et circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare in caelum, terram intrare possit: corpora nostra non novimus; qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur[10]. Nec eo tamen, aiunt empirici[11], notiora esse illa; quia possit fieri, ut patefacta et detecta mutentur. Sed ecquid nos eodem modo rerum naturas persecare, aperire, dividere possumus, ut videamus, terra penitusne[12] defixa sit et quasi radicibus suis haereat, an media pendeat? 123. Habitari ait Xenophanes in luna, eamque esse terram multarum urbium et montium. Portenta videntur: sed tamen neque ille, qui dixit, iurare posset, ita se rem habere; neque ego, non ita. Dicitis etiam[13], esse e regione nobis, e contraria parte terrae[14], qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Ἀντίποδας vocatis: cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis, qui, quum audiunt, desipere vos arbitrantur? Hicetas[15] Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia, stare[16] censet; neque

(1) — *p. quidquam esse* D. susp. (2) — *et quum* G. C. (3) — *esse effecta* L. 1. (4) — *opinantis* H. (5) Sic Cdd. aliq. Crat. D. G. 2. — *sic ille* H. V. L. 1. (6) ∞ *opera magna* L. Ingeniose. (7) Sic Cdd. Ven. 1494. G. 2. = *curari se a deo* B. H. V. — *a deo se cur.* M. L. D. 1. (8) = *neque* B. H. V. L. (9) — *obscurata* e *Martiano Capella* 5. p. 168. *Grotii.* praeferebat Durand. Martianus habet: *Latent ista omnia, Varro, magis* (an *magnis?*) *obscurata et circumfusa tenebris.* Haec ego pro versiculo antiqui poëtae habere nequeo, id quod visum est G. 2.: eo magis, quod si Martiano ulla fides tribuenda est in prima ed. fuit *magnis*, voc. sane non poëticum. Rem conficit *Acad.* 1. §. 44. et Lactantius *Institt.* 3, 28, 12. *Anaxagoras pronuntiat, circumfusa esse tenebris omnia.* Hoc ergo dictum obversabatur Tullio, pronuntianti *ténebris*, non *tenébris.* (10) — *ut ea viderent* Man. C. Steph. L. (11) Sic Cdd. aliq. Ed. 1471. B. D. 1. G. 2. — *empiricis* H. V. L. (qui ipse probabat *empirici.*) (12) — *terrane penitus* Cdd. aliq. M. L. (13) e Cdd. G. 2. — *neque ego, non ita. Etiam dic.* Ern. 1. — *neque ego. Nonne etiam dic.* B. H. V. L. Grut. D. (14) Haec *e c. p. terrae* L. erant suspecta. — *et c. p. t.* mavult G. (15) e C1d. D. 1. G. 2. — *Nicetas* H. V. L. (16) — *stare omnia* Cdd. aliq. Ven. 1494. B. H.

praeter terram, rem ullam in mundo moveri: quae quum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae, si[1], stante terra, caelum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paullo obscurius. Quid tu, Epicure? loquere. Putas esse solem tantulum? — * Ego ne bis quidem tantum[2]! — Sed et vos ab illo irridemini, et ipsi illum vicissim eluditis. Liber igitur a tali irrisione Socrates, liber Aristo Chius, qui nihil istorum sciri putat posse. 124. Sed redeo ad animum, et corpus. Satisne tandem ea nota sunt nobis, quae nervorum natura sit, quae venarum? tenemusne, quid animus sit[3]? ubi sit? denique, sitne, an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? Si est: tresne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis; an simplex unusque sit? si unus et[4] simplex, utrum sit ignis, an anima, an sanguis? an, ut Xenocrates[5], * numerus[6] nullo corpore? (quod intelligi, quale sit, vix potest:) et, quidquid est, mortale sit[7], an aeternum? nam utramque in partem[8] multa dicuntur. Horum aliquid vestro sapienti certum videtur: nostro, ne quid maxime quidem probabile sit, occurrit; ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta.

XL. 125. Sin agis verecundius, et me accusas, non quod tuis rationibus non assentiar, sed quod nullis; vincam animum, cuique assentiar, deligam. Quem potissimum? quem? Democritum: semper enim, ut scitis, studiosus nobilitatis fui[9]. Urgebor iam omnium vestrûm convicio. Tune aut inane quidquam putes esse, quum ita completa et conferta sint omnia, ut et, quod movebitur corporum, cedat[10], et, qua quodque[11] cesserit, aliud illico subsequatur? aut atomos ullas, e quibus quidquid efficiatur, illarum sit dissimillimum? aut sine aliqua mente rem ullam effici posse praeclaram? et, quum in uno mundo ornatus hic tam sit mirabilis, innumerabiles, supra infra, dextra sinistra, ante post, alios dissimiles, alios eiusdemmodi mundos esse? et, ut nos nunc simus ad Baulos, Puteolosque videamus[12], sic innumerabiles paribus in locis

---

(1) Sic Man. Є. L., ut volebat Bentleius. (prob. D.) G. 2. — *quasi* H. V. D. 1. (2) Sic L. Є. firmata, si fides collatoribus, ab Ox. U. Vide Madvig I. p. 184. — *Ego ne vobis quidem tantum* Cdd. aliq. H. V. M. D. 1. — *Egone? vos quidem t.* Cdd. aliq. Lall. G. 2. Lambini Madvigiique lectio probabilem utique praebet sensum. Sed collatis locis compluribus, ubi eiusmodi responsa incipiunt v. *Egone?* v. c. §. 148. et verbis §. 82. *vel tantus esse*, *quantus videatur*, mihi legendum videtur: ∞ *Egone? equidem tantum!* scil. *tantum* reprimit εἰρωνείαν v *tantulum*. Amicus volebat: ∞ *Egone? tantum quidem.* Sed illud praefero. Inepta sane sunt supplementa *vobis*, *vos*, *nos* (ut habent alii apud D., et B., orta omnia e v. *ne-equidem* vel *quidem.* — *ne nobis quidem tantum* P. Fabri, et Castillonii suspp.) (3) — *sit animus* Ven. 1494. H. ∞ *animus quid sit*? G. susp. (4) — om. *unus et* Cdd. aliq. V. M. L. (5) — *Xenocratis* L. 1566. Volebat sc.: — *Xenocrati.* Margo 1584. (6) de Bentleii Є. G. 2. — *mens* Cdd. H. V. M. L. D. 1. (7) — om. *sit* Cdd. aliq. B. (8) Sic Cdd. aliq. L. D. 1. G. 2. — *in utraque parte* B. H. V. — *utraque in parte* M. Grut. (9) — *fuit* H. V. (10) — *quodcunque moveatur corpus et cedat* L. 1566. Sed volebat: *quacunque quodque moveatur corpus*, *ea aliud cedat*, *et qua quodque cesserit*, *ea aliud i. s.* — *corporum* pro gloss. habebat Guyetus. ∞ *corpus*, *corpori cedat* Nescio cuius susp. (11) Sic Ern. Є. 1. G. 2. — *quidque* Ceteri. (12) e Cdd. G. 2. — *sumus--videamus* B. H. V. M. — *sumus--videmus* (Ox.) L. D. 1.

esse[1], eisdem nominibus, honoribus, rebus gestis, ingeniis, formis, aetatibus, eisdem de rebus disputantes? et, si nunc, aut si etiam dormientes, aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere? Tu vero ista ne[2] asciveris, neve fueris commenticiis rebus assensus. Nihil sentire, est melius, quam tam prava sentire. — 126. Non ergo id agitur, ut aliquid assensu meo comprobem; quae tu[3], vide, ne impudenter etiam postules, non solum arroganter; praesertim quum ista tua mihi ne probabilia quidem videantur. Nec enim divinationem, quam probatis, ullam esse arbitror; fatumque illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. Ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo; atque haud scio, an ita sit.

XLI. Sed cur[4] rapior in invidiam? licetne per vos nescire, quod nescio? an Stoicis ipsis inter se disceptare, mihi[5] cum his[6] non licebit? Zenoni, et reliquis fere Stoicis, Aether videtur summus deus, mente praeditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quasi maiorum est gentium Stoicus, Zenonis auditor, Solem dominari et rerum potiri putat. Ita[7] cogimur dissensione sapientum, dominum nostrum ignorare; quippe qui nesciamus, Soli, an Aetheri serviamus. * Solis autem magnitudo (ipse enim hic radiatus me intueri videtur, ac monet, ut crebro faciam mentionem sui:) vos ergo huius magnitudinem, quasi decempedâ permensi, refertis: huic me, quasi malis architectis, mensurae vestrae nego credere. — Hoc ergo dubium est[8], uter nostrûm sit, leniter[9] ut dicam, verecundior! — 127. Neque[10] tamen istas quaestiones physicorum exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi[11] pabulum, consideratio contemplatioque naturae. Erigimur; elatiores[12] fieri videmur; humana despicimus; cogitantes[13] supera atque caelestia, haec nostra, ut exigua et minima[14], contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum[15]

---

(1) — *esse eisdem* e C2d. G. sed est: „innumerabiles exsistere, *ὑπάρχειν*, eadem nomina habentes: non, qui sensus est perversi illius v. ordinis: innumerabiles eadem habere nomina cet. (2) — *ne ista* M. L. (3) v. Madvig I. p. 187. (*quae tu*, scil. comprobas.) — *quod tu* D. susp. non recepta, prob. Ern. (4) — *quum* H. V. (5) — om. *mihi* Cdd. aliq. B. H. V. D. (6) — *iis* M. L. D. 1. (7) Sic Cdd. aliq. V. D. G. 2. — *itaque* B. H. M. L. 1. (8) Sic dedi fere cum Madvigio I. p. 188. — *Solis autem magnitudo (ipse enim hic radiatus me intueri videtur) admonet, ut crebro faciam mentionem sui. Vos ergo huius magnitudinem quasi decempeda, hinc (enim* addunt M. D. 1.) *me, quasi malis architectis, mensurae vestrae nego hoc permensi refertis. Ergo credere dubium est* V. M. D. 1. et paucis mutatis Cdd. B. H. (haec habet: *huic etenim quasi m. a.*) Iam in nostra lectione *ác monet* est e P. Fabri €. Transponenda v. *permensi ref.* primus vidit Manutius. *huic* e Cdd. B. H. Non male, urbane certe, D. suspicatus est: ∞ *quasi mali architecti. Hoc* ante *ergo* Madvig del. censet, vel leg. *hic.* — *solis autem magnitudo quam obscura est! Ipse enim hic radiatus me intuens videtur admonere, ut crebró faciam mentionem sui. Vos vero huius magnitudinem quasi decempeda permensi refertis. Huic mensurae vestrae me quasi mali sitis architecti, nego ego crédere. Dubium est* L. €. 1566. — *S. a. m. (i. e. h. r. i. videtur) admonet, ut c. f. m. sui. Vos ergo h. m., q. decempeda permensi, refertis: hinc me, q. m. a., m. v. nego credere. Hoc ergo, credo, dubium est* G. €. Sch. 2., nisi quod hic €.: *refertis: ego me.* (9) Sic D. €. 1. G. 2. — *leviter* Ceteri. (10) = *nec* V. (11) = *quasi quoddam* Cd. Gud. B. H. (12) — *altiores* C1d. (prob. L.) D. Lall. — *latiores* Cdd. aliq. H. V. (13) ∞ *cogitantesque* H. V. (14) — *minuta* L. susp. non recepta. (15) = *quum* V.

maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Si vero aliquid occurret[1], quod veri simile videatur; humanissima[2] completur[3] animus voluptate. 128. Quaeret igitur haec et vester sapiens, et hic noster: sed vester, ut assentiatur, credat, affirmet; noster, ut vereatur temere opinari, praeclareque agi secum putet, si in eiusmodi rebus, veri simile quod sit, invenerit. Veniamus nunc ad bonorum malorumque notionem. Sed paullum[4] ante dicendum est. Non mihi videntur considerare, quum[5] physica[6] ista valde affirmant, earum etiam rerum auctoritatem, si quae illustriores videantur, amittere. Non enim magis assentiuntur, neque approbant[7] lucere nunc, quam, quum cornix cecinerit, tum aliquid eam aut iubere, aut vetare: nec magis affirmabunt, signum illud[8], si erunt mensi, sex pedum[9] esse, quam solem, quem metiri non possunt, plus quam duodeviginti partibus maiorem esse, quam terram. Ex quo illa conclusio nascitur: si, sol quantus sit, percipi non potest, qui ceteras res eodem modo, quo magnitudinem solis, approbat, is eas res non percipit. Magnitudo autem solis percipi non potest. Qui igitur id[10] approbat, quasi percipiat, nullam rem percipit. Responderint, posse percipi, quantus sol sit. Non repugnabo, dummodo eodem pacto cetera percipi comprehendique dicant. Nec enim possunt dicere, aliud alio magis minusve comprehendi; quoniam omnium rerum una est definitio comprehendendi.

XLII. 129. Sed quod coeperam: Quid habemus in rebus bonis et malis explorati? — nempe fines constituendi sunt, ad quos et bonorum et malorum summa referatur —: qua de re est igitur inter summos viros maior dissensio? Et[11] omitto illa, quae relicta iam videntur, et Herillum[12], qui in cognitione et scientia summum bonum ponit: qui quum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit, et quam non multum a Platone. Megaricorum fuit[13] nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum secuti, Parmenides et Zeno: itaque ab his Eleatici[14] philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus; a quo iidem illi Megarici dicti, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et idem semper[15]. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo autem, quod is Eretria[16] fuit, Eretriaci appellati; quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur: *Herilli[17] similia, sed, opinor, explicata uberius et ornatius.

---

(1) — *occurrit* Cd. B. Huels. (2) — *divinissima* Bentleii susp. (3) — *complebitur* L. (4) cum Cdd. B. G. 2. = *paullulum* Ceteri. (— *et paullulum* H. V.) (5) — *se quum* L. €. (6) Sic M. L. D. 1. G. 2. — *physici* Cdd. pleriq. B. H. V. Grut. (7) — *assentientur* - - *approbabunt* Ern. susp. (= *nec approbant* V.) (8) — *ullum* Cdd. aliq. Ed. 1471. B. D. (9) — *si erunt sex mensi pedum* B. H. V. (10) — *illud* Cdd. aliq. Ed. 1471. B. — om. *id* Grut. 1. 2. (11) — *omitto et* L. ∞ del. censet hoc *et* Madvig I. p. 201. (12) — om. *et* Cdd. aliq. — *vide et illum* B., qua corruptela firmatur Dav. suspicio Madvigio probata: ∞ *ut Herillum.* (13) Sic cum Cdd. aliq. B. G. 2. — *a Platone Megarici, quorum fuit* H. V. M. L. D. 1. (14) — *Eretriaci* H. V. (15) Sic V. M. D. Seqq. — *et idem et semper* Cdd. aliq. B. H. L. (16) cum Cdd. Ed. 1471. B. D. Seqq. — *Eretrias* H. V. M. L. (17) Sic dedi de Madvigii €. I. p. 202., in quam ante lectam eius adnot., ego quoque incideram. Sic etiam supra *Herillum* corruptum est in Ox. et B. in *illum.* — *illi* e Cdd. D. 1. G. 2. — *ulli* Cdd. aliq. B. — *illis* H. V. M. L. — *alii* G. susp.

130. Hos si contemnimus et iam abiectos putamus, illos certe minus despicere debemus, Aristonem, qui, quum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea[1], quae ille verbis, Nihil esse bonum, nisi virtutem; neque[2] malum, nisi quod virtuti esset contrarium: in mediis ea momenta, quae Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri; quae ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho[3] autem, ea ne sentire quidem sapientem; — quae ἀπάθεια nominatur[4]. Has igitur tot sententias ut[5] omittamus; haec nunc videamus, quae diu[6] multumque defensa sunt. 131. Alii, voluptatem finem esse[7], voluerunt: quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat; unde Cyrenaici. Post Epicurus; cuius est disciplina nunc notior; neque tamen cum Cyrenaicis de ipsa voluptate consentiens. Voluptatem autem[8] et honestatem finem[9] esse[10] Calliphon censuit: vacare omni molestia, Hieronymus: hoc idem cum honestate, Diodorus; ambo hi Peripatetici. Honeste autem vivere, fruentem rebus iis[11], quas primas homini natura conciliet, et vetus Academia censuit, (ut indicant scripta Polemonis, quem[12] Antiochus probat maxime,) et Aristoteles, eiusque amici[13] nunc[14] proxime videntur accedere. Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret[15] Stoicis, summum bonum esse[16], frui iis[17] rebus, quas primas natura conciliavisset. Honestum autem, quod ducatur[18] a conciliatione naturae, Zeno statuit finem esse bonorum; qui inventor et princeps Stoicorum fuit.

XLIII. 132. Iam illud perspicuum est, omnibus his[19] finibus bonorum, quos exposui, malorum fines esse contrarios. Ad vos nunc refero, quem sequar? modo ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat: Quemlibet, modo aliquem. Nihil potest dici inconsideratius. Cupio sequi Stoicos. Licetne (omitto per Aristotelem[20], meo iudicio in philosophia prope singularem:) per ipsum Antiochum? qui appellabatur Academicus; erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus[21]. Erit igitur res iam in discrimine. Nam aut Stoicus constituatur[22] sapiens, aut veteris Academiae. Utrumque non potest. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio. Nam omnis ratio vitae definitione summi boni continetur; de qua qui dissident, de omni vitae ratione[23] dissident. Non potest igitur uterque esse sapiens[24], quoniam tanto opere dissentiunt, sed alter. Si Polemoneus, peccat Stoicus, rei falsae assentiens; (vos quidem nihil dicitis a sapiente tam

(1) Sic H. V. Grut. Seqq. — *illa* B. M. L. (2) = *nec* V. (3) ∞ *Pyrrhoni* D. susp. (4) Sic cum Cdd. aliq. iam Ascens. Crat. H. L. D. Seqq. — *quae ἀπαϑῆ (sic) nominatur* V. — *quae ἀπάϑη nominantur* Ven. 1494. (B.) M. (5) ∞ om. *ut* M. L. (6) Sic L. Seqq. — *haec videamus, quae nunc diu* Cdd. B. H. V. M. (7) — *esse bonorum* e gloss. Cdd. aliq. B. D. (8) — om. *autem* Cdd. aliq. Ed. 1471. B. D. (9) ∞ *fines* (O1x.) M. L. (10) — *esse bonorum* rursus e gloss. Cdd. aliq. Ed. 1471. B. D. (11) — *his* B. H. V. G. 2. (12) — *quae* H. V. (13) ∞ *aemuli* de Bentleii C. Durand. (14) — *huc* Cdd. Scalae. probb. Fabro, Ern. (15) — *ut se opp.* Cd. Paris. (16) — del. *esse* censebat Ern. (17) — *his* B. H. V. D. G. 2. (18) — *honesta autem videre, quod ducatur* Cdd. aliq. Ed. 1471. B. — *honeste autem vivere, quod d.* C1d. prob. D. recepit Lall. (19) ∞ *iis* M. L. 1. 2. (= *finibus iis* M.) (20) cum Cdd. B. D. G. 2. — *per ipsum Ar.* H. V. M. L. 1. (21) Sic Cdd. aliq. M. L. D. Seqq. — *Stoicis* B. H. V. (22) — *constituetur* Ern. susp. (23) = *ratione vitae* M. L. 1. (24) = *sapiens esse* V. M. L. D.

alienum esse:) sin vera sunt Zenonis, eadem in veteres Academicos Peripateticos dicenda. †Hic igitur, neutri assentiens, si nunquam, uter est prudentior[1]? 133. Quid? quum ipse Antiochus dissentit quibusdam in rebus ab his[2], quos amat, Stoicis, nonne indicat, non posse illa probanda[3] esse sapienti? Placet Stoicis, omnia peccata esse paria. At hoc Antiocho vehementissime displicet. Liceat tandem mihi considerare, utram sententiam sequar. Praecide, inquit: statue aliquando quidlibet. Quid? †quae dicuntur [quidem,] et acuta mihi videntur in utramque partem, et paria[4]; nonne[5] caveam, ne scelus faciam? Scelus enim dicebas esse, Luculle, dogma prodere. Contineo igitur me, ne incognito assentiar: quod mihi tecum est dogma commune. 134. Ecce multo maior etiam dissensio. Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Deus ille, qui nihil censuit deesse virtuti; homuncio hic, qui multa putat praeter virtutem homini partim cara esse, partim etiam necessaria[6]. Sed ille, vereor, ne virtuti plus tribuat, quam natura patiatur, praesertim Theophrasto multa diserte copioseque dicente[7]. Et hic, metuo, ne vix sibi constet; qui quum dicat esse quaedam et corporis, et fortunae mala, tamen eum, qui in his omnibus sit, beatum fore censet[8], si sapiens sit. Distrahor: tum[9] hoc mihi probabilius, tum illud videtur; et tamen, nisi alterutrum sit, virtutem iacere plane puto. Verum in his discrepant.

XLIV. 135. Quid? illa[10], in quibus consentiunt, num pro veris probare possumus? Sapientis animum nunquam nec cupiditate moveri, nec[11] laetitia efferri. Age, haec probabilia sane sint: num etiam illa? nunquam timere, nunquam dolere. Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur? non doleat? nec, si deleta sit[12]? Satis[13] durum! sed Zenoni necessarium, cui, praeter honestum, nihil est in bonis; tibi vero, Antioche, minime, cui, praeter honestatem, multa bona; praeter turpitudinem, multa mala

---

(1) Locus corruptus. ∾ *utroque est prudentior* Sch. 2. Є. ad sensum, recte. F. ∾ *et nunquam.* (— *si nunquam, uter sit sapiens, apparebit, nome utroque est prudentior?* L. Є) (2) ∾ *iis* M. L. 1. (3) ∾ *probabilia* e C1d. in Ed. aliqua posteriore Man. ∾ *non esse illa probanda sapienti* L. Є. D. (4) Locus corruptus. Sic editur inde a V. (nisi quod M. om. *quae.*) ∾ om. *quidem* Cdd. multi. Edd. vett. Ceteros errores et suspicc. vide apud Dav. — *quid? quod quae dicuntur et acuta mihi videntur in utramque partem, et paria?* Guyeti susp. prob. Madvig I. p. 204. Sed nescio, quid h. l. sibi velit istud *quod*, quod recte se haberet, si de certo aliquo dogmate sermo esset a diversis philosophorum sectis aut defenso, aut reiecto. Sed h. l. manifesto generatim loquitur. Praeterea, quaenam ista est Latinitas: „haec mihi acuta videntur in utramque partem"? Transpositione, ut iam bis terve ab aliis factum est in hoc libro, sanandus est locus difficillimus, scilicet: *Quid? quae dicuntur in utramque partem, et acuta mihi videntur, et paria?* (quomodo in his versabor?) Fortasse praeterea *aeque* excidit ante similes ductus v. *acuta.* (5) — *sed nonne* L. Є. (6) — *p. clara* (sic) *esse, partim necessaria* H. V. (7) ∾ *contra* L. Є. inseruit ante v. *diserte*, Sch. 2. de G. sententia ante v. *dicente.* (8) — *censeat* Cdd. aliq. B. (9) — *quum* B. L. D. 1. (non H. V. M.) (10) Sic Ascens. H. L. D. Seqq. — *illud* Cdd. noti. B. V. M. Grut. (11) Sic V. D. Seqq. = *neque - - neque* B. H. M. L. (12) e Cdd. G. 2. — *sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat?* H. V. M. D. 1. — *s. n. t. nec si p. deleatur, doleat?* L. Є. (13) ∾ om. *satis* cum aliq. Cdd. D. Non male. Sic *Phil.* 12, §. 4. *Durum videbatur.* ubi varietas Naugerio-Iuntina itidem ex interpol.: *Verum durum videbatur.*

videntur, quae et venientia metuat sapiens necesse est, et venisse doleat. Sed quaero, quando ista fuerint ab Academia vetere decreta, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent? Mediocritates illi probabant, et in omni permotione naturalem volebant esse quendam modum. Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu. Est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter a natura[1] dicebant permotiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa; misericordiam aegritudinemque, clementiae; ipsam iracundiam, fortitudinis quasi cotem esse dicebant: recte, secusne, alias viderimus[2]. 136. Atrocitas quidem ista[3] tua quo modo in veterem Academiam irruperit, nescio: illa vero ferre non possum, non quo[4] mihi displiceant; sunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quae παράδοξα nominantur: sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. Illi unquam dicerent, sapientes solos reges? solos divites? solos formosos? omnia, quae ubique essent, sapientis esse? neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam, nisi sapientem? postremo, solum civem, solum liberum? insipientes omnes, peregrinos, exsules, servos, furiosos? denique scripta[5] Lycurgi, Solonis, duodecim tabulas nostras, non esse leges? ne[6] urbes denique, aut civitates, nisi quae essent sapientium? 137. Haec tibi, Luculle, si es assensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam moenia: mihi autem bono modo, tantum, quantum videbitur.

XLV. Legi apud Clitomachum, quum Carneades et Stoicus Diogenes ad senatum in Capitolio starent, A. Albinum, qui tum, P. Scipione et M. Marcello Coss., praetor esset, eum, qui cum avo tuo, Luculle, consul fuit, doctum sane[7] hominem, ut indicat ipsius historia scripta Graece, iocantem dixisse Carneadi: *Ego tibi, Carneade*[8], *praetor esse non videor, quia sapiens non sum: nec haec urbs, nec in ea civitas*. Tum ille, *Huic, Stoico, non videris*. Aristoteles, aut Xenocrates, quos Antiochus sequi volebat, non dubitavisset[9], quin et praetor ille esset, et Roma urbs, et eam civitas incoleret. Sed ille noster[10] est plane, ut supra dixi, Stoicus perpauca balbutiens. 138. Vos autem mihi veremini[11], ne labar ad opinionem, et aliquid adsciscam et comprobem incognitum: quod minime vultis. Quid consilii datis? Testatur saepe Chrysippus, tres solas esse sententias, quae defendi possint, de finibus bonorum: circumcidit et amputat multitudinem: aut enim honestatem esse finem, aut voluptatem, aut utrumque; nam qui summum bonum dicant[12] id esse, si vacemus omni molestia, eos invidiosum nomen volu-

---

(1) — *a nat. util.* Cdd. aliq. B. (2) — *videbimus* Ern. susp. (3) = *ista quidem* L. (4) = *non quod* M. L. (5) Sic distinguunt meae Edd. praeter D., qui cum Cdd. aliq.: — *furiosos denique? Scripta* (— Pro *scripta* G. susp. est: *scita*.) (6) ∞ *nec* L. Vere, puto. cfr. Goerenz p. 248. de partt. *ne* et *nec* confusis agentem. (— *ne urbes quidem* Man. susp.) (7) = *sane doctum* H. M. L. (8) de forma *o Carneade* cfr. Bünemann ad Lact. p. 656. (9) = *dubitasset* H. M. L. (10) — *vester* D. C. Lall. (11) — *mihi vereri videmini* dubia L. susp. (— *Vos autem, qui veremini, ne labar ad opinationem - - quod minime vultis, quid consilii datis?* Bentleii susp.) (12) — *dicant summum b.* M. L.

ptatis fugere; sed in vicinitate versari: quod facere eos etiam, qui illud idem cum honestate coniungerent; nec multo secus eos, qui ad honestatem prima naturae commoda adiungerent: ita tres relinqui[1] sententias, quas putet probabiliter posse defendi. 139. Sit sane ita[2]; (quamquam a Polemonis et Peripateticorum et Antiochi finibus non facile divellor; neque quidquam habeo adhuc probabilius:) verumtamen video, quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur. Labor eo, ut[3] assentiar Epicuro, aut Aristippo. Revocat virtus, vel potius reprehendit[4] manu: pecudum illos motus esse dicit: hominem iungit[5] deo. Possum esse medius: ut, quoniam Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur; Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur; ut[6] Calliphontem sequar, cuius quidem sententiam Carneades ita studiose defensitabat, ut eam probare etiam videretur. Quamquam Clitomachus affirmabat, nunquam se intelligere potuisse, quid Carneadi probaretur. Sed, si ipsum[7] velim sequi; nonne ipsa veritas[8] et gravis et recta ratio mihi obversetur[9]? Tu, quum honestas in voluptate contemnenda consistat, honestatem[10] cum voluptate, tamquam hominem cum belua, copulabis?

XLVI. 140. Unum igitur par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate. De quo Chrysippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio. Alterum si sequare[11], multa ruunt, et maxime communitas cum hominum genere, caritas, amicitia, iustitia, reliquae virtutes; quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita. Nam quae voluptate, quasi mercede aliqua[12], ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis. Audi contra illos, qui nomen honestatis a se ne intelligi quidem dicant, nisi forte, quod gloriosum sit in vulgus, id honestum velimus dicere: fontem omnium bonorum in corpore esse; hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae; a qua qui aberravisset, eum nunquam, quid in vita sequeretur[13], habiturum. 141. Nihil igitur me putatis[14], haec[15] et alia innumerabilia quum audiam, moveri? Tam moveor, quam tu, Luculle; neque[16] me minus hominem, quam te putaveris. Tantum interest, quod tu, quum es commotus, acquiescis[17], assentiris, approbas; verum illud, certum, comprehensum, perceptum, ratum, firmum, fixum vis[18]; deque eo nulla ratione neque pelli, neque moveri potes. Ego nihil eiusmodi esse arbitror, cui si assensus sim, non assentiar saepe falso[19], quoniam vera a falsis nullo discrimine separantur, praesertim quum iudicia

---

(1) Sic G. Є. 2. — *relinquit* Cdd. aliq. V. D. 1. = *reliquit* B. H. M. L. (2) = *ita, sane* L. (— om. *quamquam* Ern. 1. err. typogr.) (3) Sic de Gruteri Є. D. 1. G. 2. — *labor*, *ut* M. Є. — *laboro*, *ut* Cdd. pleriq. B. H. V. L. (4) — *prehendit* L. (5) — *jungi* D. susp. G. errore typogr. (6) — *aut* cum Cdd. aliq. Grut. — om. *ut* L. (7) Sic cum C2d. D. G. 2. — *ipsum finem* Cdd. B. H. V. M. 1. — *ipsius finem* L. Є. (8) Sic cum optimis Cdd. B. H. V. D. 1. 2. prob. Madvig I. p. 145. (cfr. *de Fin.* 4, §. 55.) ∞ *severitas* Cdd. aliq. M. L. Grut. G. prob. Doederlein *Synon.* p. 78. (9) ∞ *adversetur* L. Є. (10) — *sic honest.* G. Є. 2. e corruptela Cdd. aliq. et B.: — *si honest.* Cfr. Madvig I. p. 146. (11) — *sequere* Cd. Erl. (12) — om. *aliqua* Cd. Gud. (13) — *sequatur* M. Є., ut videtur. L. (14) — *putabis* M. L. (— *putas* G. dubia susp.) (15) ∞ *et haec* e C2d. G. (16) = *nec* V. (17) — *asciscis* Cdd. aliq. (18) — *f. fuisse vis* H. V. M. L. (19) — *false* V. M.

ista dialecticae nulla sint. 142. Venio enim iam ad tertiam partem philosophiae. Aliud iudicium Protagorae est, qui putet[1] id cuique verum esse, quod cuique videatur: aliud Cyrenaicorum, qui praeter permotiones intimas, nihil putant esse iudicii: aliud Epicuri, qui omne iudicium in sensibus, et in rerum notitiis, et in voluptate constituit. Plato autem omne iudicium veritatis, veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis[2] ipsius et mentis esse voluit. 143. Numquid horum probat noster[3] Antiochus? Ille vero ne maiorum quidem suorum. Ubi enim aut Xenocratem sequitur, cuius libri sunt de ratione loquendi multi, et multum probati? aut ipsum Aristotelem, quo profecto nihil est acutius, nihil politius? A Chrysippo pedem nunquam[4].

XLVII. Qui ergo Academici appellamur[5], an abutimur gloria nominis? aut cur cogimur eos sequi, qui inter se dissident? In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quo modo iudicare oporteat, verum, falsumne sit, si quid ita connexum est, ut hoc: *si dies est, lucet*; quanta contentio est? aliter Diodoro[6], aliter Philoni, Chrysippo aliter placet. Quid? cum Cleanthe, doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet! quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater et Archidemus, opiniosissimi[7] homines, nonne multis in rebus dissentiunt? 144. Quid me igitur, Luculle, in invidiam, et tamquam in concionem vocas? et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas iubes? quo enim spectat illud, quum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? qui si undique omnes convenerint, facile[8] contra vos incitabuntur. Expromam primum illa invidiosa, quod eos omnes, qui in concione stabunt, exsules, servos[9], insanos esse dicatis: deinde ad illa veniam, quae iam non ad multitudinem, sed ad vosmet ipsos, qui adestis, pertinent. Negat enim vos Zeno, negat Antiochus, scire quidquam. Quo modo? inquies; nos enim defendimus, etiam insipientem[10] multa comprehendere. — 145. At scire negatis[11] quemquam rem ullam, nisi sapientem. Et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. Nam, quum extensis digitis adversam manum ostenderat, *visum*, inquiebat, huiusmodi est. Deinde, quum paullum digitos constrinxerat[12], *assensus* huiusmodi. Tum, quum plane compresserat, pugnumque fecerat, *comprehensionem* illam esse dicebat; qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, *κατάληψιν*, imposuit. Quum autem laevam manum adverterat[13], et illum pugnum arcte vehementerque compresserat: *scientiam* talem esse dicebat; cuius compotem, nisi sapientem, esse neminem. Sed qui sapientes aut sint, aut fuerint[14], ne ipsi quidem solent dicere. Ita tu nunc, Catule, lucere nescis; nec[15] tu, Hor-

---

(1) — *putat* L. Є. prob. D. (2) — *cognitionis* Cdd. aliq. B. (3) — *vester* D. Є. Lall. (4) — *nusquam* e marg. Cd. Regii D. 1. (5) ∞ *Quid - - appellamur?* M. L. (6) — *Diodoto* Grut. Ern. 1. (soli ex meis.) (7) — *opinosissimi* V. (8) — *facile etiam* G. susp. (9) — om. *v. qui in - - servos* Cdd. multi. Unde D. cum Cdd. aliq. et B. volebat: *quod eos omnes vos insanos esse d.* (10) = *insip. etiam* Gud. (11) — *negaris* L. solus. (err. typogr.) (12) — *contraxerat* Cdd. aliq. V. D. (13) Sic Cdd. aliq. B. G. 2. — *admoverat* H. V. M. D. 1. — *pugno admoverat* L. Є. (14) Sic Cdd. pleriq. Ed. 1471. B. H. D. G. — *qui sapientes sint, aut fuerint* Cld. Paris. Ern. 1. 2. — *qui sapiens sit, aut fuerit* Cdd. aliq. V. M. L. Grut. (15) — *neque* L. — *et* D. susp.

si, in tua villa nos esse. 146. Num minus[1] haec invidiose dicuntur? nec tamen nimis[2] eleganter: illa subtilius. Sed, quo modo tu, si nihil comprehendi[3] posset, artificia concidere dicebas, neque[4] mihi dabas, id, quod probabile esset, satis magnam vim habere ad artes; sic ego nunc tibi refero, artem sine scientia esse non posse. An pateretur hoc Zeuxis, aut Phidias, aut Polycletus, nihil se scire, quum in his esset tanta sollertia? Quod si eos docuisset aliquis, quam vim habere diceretur scientia, desinerent irasci: ne nobis quidem succenserent, quum didicissent, id tollere nos, quod nusquam esset; quod autem satis esset ipsis, relinquere. Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primum iurare *ex sui animi sententia* quemque voluerunt; deinde ita teneri, *si sciens falleret*, quod inscientia multa versaretur in vita: tum, qui testimonium diceret, ut *arbitrari* se diceret, etiam quod ipse vidisset: quaeque iurati iudices cognovissent, ea, non ut[5], esse facta, sed ut, *videri*, pronuntiarent[6].

XLVIII. 147. Verum, quoniam non solum nauta significat, sed etiam Favonius ipse insusurrat, navigandi nobis, Luculle, tempus esse, et, quoniam satis multa dixi, est mihi[7] perorandum. Posthac tamen quum haec quaeremus, potius de dissensionibus tantis summorum virorum disseramus, de obscuritate naturae, deque errore tot philosophorum, qui de bonis contrariisque rebus tanto opere discrepant, ut, quum plus uno verum esse non possit, iacere necesse sit tot tam[8] nobiles disciplinas: quam de oculorum sensuumque reliquorum mendaciis, et de sorite, aut pseudomeno; quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt. 148. Tum Lucullus, Non moleste, inquit, fero, nos haec[9] contulisse. Saepius enim congredientes nos, et maxime in Tusculanis nostris, si quae[10] videbuntur, requiremus. Optime, inquam: sed quid Catulus sentit? quid Hortensius? Tum Catulus, Egone? inquit, ad patris revolvor sententiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil putem posse; assensurum autem non percepto, id est, opinaturum sapientem, existimem; sed ita, ut intelligat[11] se opinari, sciatque nihil esse, quod comprehendi et percipi possit; †per ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans[12], illi alteri sententiae, nihil esse, quod percipi possit, vehementer assentior. Habeo, inquam, sententiam tuam, nec eam admodum aspernor. Sed tibi quid tandem vide-

---

(1) — *num nimis* M. — *non minus* L. (2) — *minus* Cdd. aliq. B. L. (3) = *comprehendi nihil* Cdd. aliq. V. (4) = *nec* V. (5) Sic G. Є. 2. — *ut ea non ut esse f.* B. H. V. — *ut ea non esse f.* M. L. D. 1. (6) Sic M. L. Seqq. ∞ *pronuntiarentur* Cdd. multi. B. H. V. — *pronuntiaretur* Cdd. aliq. (7) — *sit mihi per.* Cdd. aliq. (*si* vel *sic mihi p.* Alii.) — del. *est* G. (8) — *tot et tam* M. L. (9) — *hic* Cdd. aliq. B. (10) = *si qua* H. M. B. 1. 2. (11) — *ut si intell.* Cdd. aliq. H. V. — *ut simul int.* D. susp. (12) Locus corruptus. ∞ *quare* (sic volebat Man.) *ἐποχὴν illam omnium rerum non probans* Madvig susp. I. p. 204. — *nec* vel *parum* - - *comprobans* vel *et* - - *improbans* Aliae aliorum suspicc. v. Davis. (— *nec* recepit Lall.) — *percipi possit. Habeo, inquam, sententiam tuam, neque* (*neque* etiam M.) *eam admodum aspernor. Sed tibi quid tandem videtur, Hortensi? Tum ille ridens, ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans, illi - - assentior. Teneo te* cet. L. Є. 1566. — *percipi possit; ἐποχὴν enim illam* cetera, ut nos. L. in m. 1584. — *perc. possit: pariter ἐποχὴν illam* G. susp.

tur, Hortensi? Tum ille ridens, Tollendum[1]. Teneo te, inquam: nam ista Academiae est propria sententia. Ita, sermone confecto, Catulus remansit: nos ad naviculas nostras descendimus.

---

(1) — *Tollendam* de Turnebi sententia L. in m. 1584. „Hoc *tollendum* aliter interpretor ac vulgo solent, qui de assensu tollendo accipiunt. Sed, quoniam Hortensius hoc ridens dixit, significasse eum puto *tollendas esse anchoras*, *et navigandi tempus esse*. Id deinde lusu ex amphibolia sic accipit Cicero, quasi de assensu tollendo intellexisset." Sch.

Addenda. §. 66. Miram suam C.: *ad rationes has latiore spatio non attenuate limitatas*] postea ipse improbavit Goerenz *Finn.* p. 366.

§. 105. *eisdem sensibus reliqua*] e Cdd. dedit Goer., paullo ante relinquens *iisdem*. „Sic (*eisdem*) enim ubique vel *isdem* scripsisse Ciceronem, multis rationibus commoti, nunquam *iisdem* iudicamus." — Quasi vero de Tulliana ὀρϑογραφίᾳ quidquam certi nunc posset definiri, praeter pauca illa, quae notarunt Quintilianus et grammatici veteres!

§. 106. *meminit Scyron*] *Syron* probabiliter leg. esse monet Goer. *Finn.* p. 296.

§. 113. *sed qui minor etiam*] edidi cum G. et Sch. sed nunc in corruptis istis verbis latere censeo nomen aliquod proprium v. c. *sed Clitomachus* vel simile quid; talia enim divinari non queunt.

M. TULLII CICERONIS
ACADEMICORUM POSTERIORUM
LIBER PRIMUS
AD
M. TERENTIUM VARRONEM.

(Accedit in hoc libro integra varietas rarissimae editionis I. W. Huberi: M. T. C. Academicorum librorum quatuor reliqua ad fidem Codicum manuscriptorum emendata. Coloniae *(Basileae)* apud Petrum Martellum MDCCXLVIII. 8.: *(Hb.)* — *Bazalerii editio hunc librum non complectitur: Wernsdorfii Vindicias cognovi tantummodo e Diario Lipsiensi* 1807. *p.* 2189. *Seqq. In hoc libro Goerenzius satis diligenter consuluit Manutium et Lambinum, in altero fere neglectos.)*

I. 1. In Cumano nuper quum mecum Atticus noster esset, nuntiatum est nobis a M. Varrone, venisse eum Roma pridie vesperi, et, nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse. Quod quum audissemus[1], nullam moram interponendam putavimus, quin videremus hominem nobiscum et studiis eisdem[2] et vetustate amicitiae coniunctum. Itaque confestim ad eum ire perreximus; paullumque quum eius villa abessemus[3], ipsum ad nos venientem vidimus; atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum longo intervallo[4] ad suam villam reduximus. 2. Hic pauca primo, atque ea[5] percontantibus nobis, ecquid[6] forte Roma novi: Atticus[7], Omitte ista, quae nec percontari, nec audire sine molestia possumus, quaeso, inquit; et quaere potius, ecquid ipse novi. Silent enim diutius Musae Varronis, quam solebant: nec tamen istum[8] cessare, sed celare, quae scribat, existimo. Minime vero, inquit ille:

---

(1) = *audivissemus* Cdd. aliq. M. (2) = *iisdem* M. L. (3) — *paullumque quum abissemus via* Ven. 1494. prob. Ern. (— *ut mos amicorum est se visentium longo intervallo*, *ad* D. susp.) Recte v. *longo intervallo* de tempore, quo inter se confabulati sint primos post complexus lenteque redierint, non de spatio ipso, explicavit Wernsd. et Gernhard. (4) — *longo intervallo eum* L. (5) — om. *ea* cum Ven. 1494. Ern. 1. *(percontantibus* V. G. 2. = *percunctantibus* Ceteri.) (6) Sic Cd. Eliens. (et O2x. Fallitur G.) De Man. susp. L. D. 1. G. 2. — *et si quid* H. V. M. (7) — *Atticus autem* L. susp. Nunquam is vel dedit, vel C.: — *tum Att.*, ut ait G. (8) — del. *istum* cum Ven. 1494. Ern. 1. — *ipsum* O1x., ut volebat Ern.

intemperantis enim arbitror esse[1], scribere quod occultari velit[2]; sed habeo opus magnum in manibus, quod[3] iam pridem ad hunc ipsum[4] (me autem dicebat,) quaedam institui, quae et sunt magna sane, et limantur a me politius. 3. Et ego, Ista quidem, inquam, Varro, iam diu exspectans, non audeo tamen flagitare: audivi enim e Libone nostro, cuius nosti studium, (nihil enim eiusmodi celare possumus,) non te ea[5] intermittere, sed accuratius tractare, nec de manibus unquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus nunquam in mentem venit a te requirere: sed nunc, posteaquam sum ingressus res eas, quas tecum simul didici, mandare monumentis, philosophiamque veterem illam a Socrate ortam Latinis literis illustrare; quaero, quid sit, cur, quum multa scribas, genus hoc praetermittas, praesertim quum et ipse in eo excellas, et id studium totaque ea res[6] longe ceteris et studiis et artibus[7] antecedat[8].

II. 4. Tum ille, Rem a me saepe deliberatam et multum agitatam requiris. Itaque non haesitans respondebo; sed ea dicam, quae mihi sunt in promptu; quod ista ipsa de re multum, ut dixi, et diu cogitavi[9]. Nam quum philosophiam viderem diligentissime Graecis literis[10] explicatam, existimavi, si qui de nostris eius studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius, quam nostra lecturos: sin a Graecorum artibus et disciplinis abhorrerent[11], ne haec quidem curaturos, quae sine eruditione Graeca intelligi non possunt[12]: itaque ea nolui scribere, quae nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent. 5. Vides autem eadem ipse; didicisti enim non posse nos[13] Amafinii[14], aut Rabirii similes esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione[15] concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. Nos autem praeceptis dialecticorum, et oratorum etiam[16] — quoniam utramque vim, virtutem[17] esse nostri putant, — sic parentes, ut legibus, verbis * quoque[18] novis cogimur uti:

---

(1) = *esse arbitror* Hieronymus *in Rufinum* 1. *col.* 349. M. L. (2) — *velis* Hieron., ut volebat Walker. (3) ∞ *quo* sc. opere. C2d. prob. G. Sed librarii isti *quod* male pro pronomine habuisse videntur, quum sit coniunctio; tum *quod opus quaedam institui* sane corrigendum putabant. — *quae* Cdd. aliq. — *quia* D. susp. (4) Sic M. L. 1. 2. — *ad hunc eum ipsum* Cdd. H. V. D. (errant Ern. G.) Hb. G. Sed vide Beier *Offic.* T. 2. p. 21. (5) = *ea te* M. (6) — *ars* O1x., ut volebat Leodeg. a Quercu. (7) — *rebus* Bentleii susp. (8) — *antecellat* Cdd. aliq. L. (9) — Haec *sed ea - - cogitari* G. [ ]. — Del. Sch. 2. v. *quod ista - - cogitavi.* (10) — *literis Graecis* M. L. (11) — *abhorrent* Grut. solus ex meis, errore typogr., ut videtur. Huelsem. Hanc vero ipsam Cdd. omnium l. esse affirmat G. Certe Grut. Dav. Oxonn. nihil notarunt. (12) — *possent* Cdd. aliq. (13) — *vides autem (eadem enim ipse didicisti) non posse nos* D. suspic. prob. Ern. (14) Sic Cdd. aliq. Sch. 2. — *Amafanii* Ceteri. (15) ∞ *argumentatione* de Bentleii Є. Sch. 2. Sed vide Alexandrum Aphrodis. apud Suidam in v. *διεξοδικούς. τὴν διαλεκτικὴν - - μὴ διεξοδικοὺς ποιεῖσθαι τοὺς λόγους, ἀλλ' ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει.* cet. (16) Sic H. Tum e Cdd. Grut. Seqq. — om. *etiam* M. L. (— *oratorum. Et quoniam* V.) (17) — *utramque vim unam esse* M. Є. L. (*virtutem* ego quoque corruptum censeo: latet in hoc voc. aliquod respondens Graeco *ἀντίστροφος*, vel simpliciter *iunctam; vir* – est geminatio v. *vim.*) (18) de Ern. sententia G. 2. — *quamquam* Cdd. Edd. ceterae, praeter Lall., qui de D. susp.: — *nonnunquam.*

quae docti, ut dixi, a Graecis petere malent[1], indocti a nobis ne accipient quidem[2]; ut frustra omnis suscipiatur labor. 6. Iam vero physica, si Epicurum, id est, si Democritum probarem, possem scribere ita plane, ut Amafinius. Quid est enim magnum, quum causas rerum efficientium[3] sustuleris, de corpusculorum — ita enim appellat atomos[4], — concursione fortuita loqui? Nostra tu physica nosti, † quae contineantur[5] ex effectione, et ex materia ea, quam fingit et format effectio; adhibenda † enim[6] geometria est. † Quoniam[7] quibusnam quisquam enuntiare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere haec ipsa de vita et moribus, de expetendis[8] fugiendisque rebus? Illi enim[9] simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent: apud nostros autem[10], non ignoras, quae sit et quanta subtilitas. 7. Sive enim Zenonem sequare: magnum est efficere, ut quis intelligat, quid sit illud verum[11] et simplex bonum, quod non possit ab honestate seiungi. Quod bonum quale sit, negat omnino Epicurus sine voluptatibus[12] sensum moventibus nec suspicari[13]. Si vero Academiam[14] veterem persequamur, quam nos, ut scis, probamus: quam erit[15] illa acute explicanda nobis! quam argute, quam obscure etiam, contra Stoicos disserendum! Totum igitur illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo, et ad vitae constantiam[16], quantum[17] possum, et ad delectationem animi: nec ullum arbitror, ut apud Platonem est, maius aut melius a diis datum munus homini. 8. Sed meos amicos, in quibus est[18] studium, in Graeciam mitto, id est, ad Graecos ire iubeo[19], ut

---

(1) de D. susp. Ern. 1. G. 2. — *mallent* Cdd. H. V. D. Hb. — *malunt* M. L. (2) *accipient* de D. sententia Ern. Seqq. Sic G. 2. — *a nobis ne accipiunt quidem* (sic) Crat. H., quia scil. nobis praeferunt Amafinios. — *ne a nobis quidem accipiunt* (*accipient* Ern. 1.) V. M. L. Hb. 1. „qui tamen doctissimi sumus." Nimis arroganter. (3) — *efficientes* L. susp. (4) — om. *atomos* Cd. Ursini. Huels. (5) Locus corruptus. — *continuantur* L. €. — *concinnentur* G. dubia susp. ∞ *continentur* Madvig I. p. 108., nescio an consulto. — *quae quum contineantur* e Cdd. D. Hb. Fortasse: *quo collineent:* cfr. *de Finn.* 3, 6, 22. Verbum est ubique fere corruptum. (6) ∞ *etiam* M. €. 1555. Recte, ut censet etiam Madvig. (7) Etiam hoc corruptum, etsi defendere studet Madvig. ∞ *iam* verissime ad sensum M. €. 1555. — *quamquam*, uti Wernsdorf. coniecerat, rursus G. €. 2. (Sch. €. etiam: — *quibus* pro *quibusnam.*) Sensus clarus est: quanto difficilius nobis sit, quam Amafinio alicui physica exponere, optime tu perspicis, qui nostra physica nosti. Longe ea quidem subtiliora sunt, quam Epicurea: quippe quae versentur in causarum efficientium et materia ab iisdem formata contemplatione coniuncta. Praeterea adhibenda nobis est geometria, quam ex toto negligunt Epicurei, quamque Latino sermone tractare haud facile est. Iam vero ethica disciplina maiores etiam offert difficultates Latine scribenti. (8) — *et de exp.* cum Cdd. V. D. Hb. (9) — om. *enim* L. (10) Sic, si fides collatoribus, O2x. L. prob. D. — *enim* Ceteri. Sexcenties haec confunduntur. Ceterum totum locum sic refinxit L.: — *effectio: (adhibenda enim ea materiae est:) haec ipsa de vita et moribus, de expetendis fugiendisque rebus. Illi simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent: apud nostros autem non ignoras, quae sit et quanta subtilitas; quam quibusnam queam enuntiare verbis? aut quem illa ad intelligendum poterit adducere? Sive* cet. (11) ∞ *unum* Walkeri susp. (12) — *negat o. E. se sine v.* L. €. — *se negat* cet. e Bas. G. 2. Tu vide Madvig I. p. 111. (13) — *vel s.* L. €. ∞ *ne suspicari quidem* Durandi susp. (14) — *sive Ac.* de Turnebi €. L. D. Hb. (15) ∞ *erunt* Ern. susp. (16) — *ad vitae consuetudinem et constantiam.* M. solus ex meis. Huels. (17) Sic Edd. vett. H. Ern. 1. G. 2. — *quantam* V. M. L. D. Hb. (18) — *id est* Durand. (19) ∞ Haec *id est* — — *iubeo* iam Lambino suspecta, [] Wetzel. Sch. 2.

ea a fontibus[1] potius hauriant, quam rivulos consectentur. Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat, unde studiosi scire possent; ea, quantum potui, (nihil enim magno opere meorum miror) feci, ut essent nota nostris. A Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelii[2] nostri occasum ne a Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice[3]; quae[4], quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in his[5] ipsis antiquitatum prooemiis, philosophice[6] scribere voluimus; si modo consecuti sumus.

III. 9. Tum ego, Sunt, inquam, ista, Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt[7], ut possemus aliquando, qui, et ubi essemus, agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum[8]; tu domesticam, tu bellicam[9] disciplinam; tu sedem[10] regionum, locorum[11]; tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumque[12] poëtis nostris, omninoque Latinis et literis luminis, et verbis attulisti[13]: atque ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum[14] parum. 10. Causam autem probabilem tu quidem affers: aut enim Graeca legere malent[15], qui erunt eruditi; aut ne haec quidem, qui illa nesciunt. Sed da[16] mihi nunc, satisne probas? Immo vero et haec, qui illa non poterunt[17], et qui Graeca poterunt, non contemnent[18] sua. Quid enim causae est, cur poëtas Latinos Graecis literis eruditi legant, philosophos non legant? an, quia[19] delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii[20], qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poëtarum? — quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem; sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sint, aut Demosthenem imitati. 11. Ego autem (dicam enim, ut res est) dum

---

(1) — *ea e f.* L. susp. (2) — *Laelii* H. V. (3) — *dialectice dicta* M. L. (4) Locus sane corruptus; mancum etiam putabat Casaub. ∞ *quaeque* cet. G. Є. 2. Non male. — *itemque* cet. Sch. susp. (5) e Cdd. G. h. l. recte. — *iis* Ceteri praeter Hb., qui: *eis*. (6) Sic Cdd. aliq. (O2x.?) M. L. Lall. Respondet v. *dialectice*. — *philosophiae* Cdd. pleriq. H. V. D. Hb. 1. G. 2. Sed *prooemiis philosophiae* genit. caret sensu; quocirca Ern. transponendum censebat post v. *laudationibus;* perverse utique, quum laudationes intelligantur funebres. G. autem ratio, *philosophiae* (dativ.) *scribere* vix Latina est. (7) — *reduxerunt* Augustin. *C. D.* 6, 2. M. L. (8) — *sacerd. munera* L. (9) — *publicam* Augustin. (10) — *sedium* tamquam ex Augustino Wernsd. G. 2. Sed ibi Benedictini e Mss. plerisque Augustini iamdudum ediderunt *sedem*. Cfr. etiam Madvig. I. p. 114. (11) — *et loc.* L. = *locorum*, *regionum* Ven. 1494. H. (Augustinus nostram l. firmat.) (12) — *plurimum quidem* Cdd. complures. H. V. Hb. Lall. (∞ *plurimumque idem* D. susp) (13) Sic Cdd. H. V. D. Hb. G. 2. — *attulisti*, *et verbis* M. L. Grut. 1. (— *rebus* pro *verbis* volebat Man.) (14) — *docendum* M. L. (15) — *mallent* V. (16) ∞ *sed da te mihi* M. 1555. Є. optime. — *sed eam mihi n. satisne pr.* Cd. Stephani. Turneb. L. Alii aliter. (17) — *potuerunt* V. (18) — *contemnant* Cdd. pleriq. H. V. (19) — om. *quia* Ven. Asc. H. — D. [ ]. (— *atqui d. E.* Ern. susp. Non eiecit is *quia.*) (20) — om. *multi alii* M. L. (= *Attius* G. 2.)

me ambitio, dum honores, dum causae, dum rei publicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio, multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam; et, ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo. Nunc vero et fortunae gravissimo perculsus[1] vulnere, et administratione rei publicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc honestissimam iudico. Aut enim huic aetati hoc maxime aptum est; aut iis[2] rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum; aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius; aut, si haec ita non sunt, nihil aliud video, quod agere possimus. 12. Brutus quidem noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam Latinis literis persequitur, nihil ut iisdem[3] de rebus Graecia desideret[4]; et eandem quidem sententiam sequitur, quam tu. Nam Aristum Athenis audivit aliquamdiu, cuius tu fratrem Antiochum. Quamobrem da, quaeso, te huic etiam generi literarum.

IV. 13. Tum ille, Istuc[5] quidem considerabo; nec vero sine te. Sed de te ipso quid est, inquit, quod audio? Quanam, inquam, de re? Relictam a te veterem iam[6], inquit; tractari autem novam. Quid? ergo, inquam, Antiocho id[7] magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere? certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime. Quamquam Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negat[8] in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Est, inquit, ut dicis: sed ignorare te non arbitror, quae contra Philonis[9] Antiochus scripserit[10]. 14. Immo vero et ista[11], et totam veterem Academiam, a qua absum iam diu[12], revocari[13] a te, nisi molestum est, velim: et simul, assidamus, inquam, si videtur. Sane istud[14] quidem, inquit: sum enim admodum infirmus. Sed videamus, idemne Attico placeat fieri a me, quod te velle video. Mihi vero, ille[15]: quid est enim, quod malim, quam ex Antiocho iam pridem audita recordari? et simul videre, satisne ea commode dici possint Latine?

Quae quum dicta[16], *in conspectu consedimus omnes.*

15. Tum Varo ita exorsus est: Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab[17] ipsa natura involutis, in

(1) Sic e Cdd. L. G. — *percussus* Ceteri mei, etiam V. Sch. 2. (2) — *his* Cdd. aliq. Hb. G. 2. (3) = *eisdem* Hb. (4) — *Graeca desideret* de Grut. €. Lall. — *Graeca desideres* M. €. — *a Graecis desideret* L. €. — *Graecia desideretur* D. susp. In Caesare *Oudendorpii* p. 379. vulgatam defenderat. (5) = *istud* G. 2. (6) — del. *iam* de G. sententia Sch. 2. — *veterem Academiam* de Bentl. susp. Huels. ∞ *veterem illum* Madvig. susp. ∞ *veterem meam* Nescio cuius €. (7) — del. censebat *id* Ern. (8) Sic de D. et Ern. sententia G. 2. — *negaret* Cdd. V. D. Hb. 1. — *negarat* H. — *negarit* M. L. (9) Sic Cdd. Grut. D. Hb. G. 2. — *Philonem* Ven. H. V. M. L. 1. — *Philonia* Madvig I. p. 116. cfr. *Att.* 12, 23. *ex Apollodori.* (10) — *scripsit* V. (11) Sic e Cdd. Ern. 1. Lall. — *istam* Ceteri, etiam G. invitus. (12) Sic scripsi cum viro docto in m. Lamb. meae et Huels. — *a qua absum tam diu* M. €. Hb. G. 2. — *aqua absumptam tam diu* Cdd. H. V. D. 1. — *aqua absumptam iam diu* e Cdd. L. (13) ∞ *renovari* V. (14) — *illud* L. (15) ∞ *inquit ille* M. €. L. Post *malim* inserendum esse *v. inquit* opinantur G. 2. (16) Versiculum hunc esse veteris poëtae post Gul. agnoverunt G. 2. — *quum sint dicta* Cdd. aliq. — *quum dicta sint* Cdd. aliq. — *quum sunt dicta* M. L. — *quum essent d.* Ascens. H. D. Hb. 1. (17) — om. *ab* Cd. Ursini. prob. D.

quibus omnes[1] ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse; ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret; caelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret[2], vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum[3]. 16. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab iis[4], qui illum audierunt, perscripti varie et copiose[5] sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent, ipse, se nihil scire, id unum sciat: ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum[6], quod haec esset una omnis[7] sapientia non arbitrari, sese scire, quod nesciat. Quae quum diceret constanter, et in ea[8] sententia permaneret, omnis eius oratio tum[9] in virtute laudanda, et[10] in hominibus[11] ad virtutis studium cohortandis consumebatur; ut e Socraticorum libris, maximeque Platonis, intelligi potest. 17. Platonis autem auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam, quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimo[12] studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, et Aristotelem Stagiritem[13]: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio: illi autem, qui Platonis instituto in Academia, (quod est alterum gymnasium,) coetus erant et sermones habere soliti, e[14] loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinae formulam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus et nulla affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est [disserendi[15]] (quod minime Socrates probabat,) ars quaedam philosophiae[16], et rerum ordo, et descriptio disciplinae. 18. Quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una; nihil enim inter Peripateticos, et illam veterem Academiam differebat. Abundantia quadam ingenii praestabat, ut mihi videtur, Aristoteles quidem[17], sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio.

V. Sed quid ago? inquit: aut sumne sanus, qui haec vos doceo? nam etsi non sus Minervam, ut aiunt; tamen inepte, quisquis[18] Minervam docet. Tum Atticus, Tu vero, inquit, perge, Varro; valde enim amo nostra atque nostros, meque ista delectant, quum Latine dicun-

---

(1) — *omnibus* Cdd. H. V. (*omnes* correxit iam M. Mox ∾ *fuerant* volebat Ern.) (2) — *censet* e Ball. D. (3) — *viv. conferre* Cdd. aliq. Ven. H. M. L. Hb. e gloss. (4) — *his* G. 2. (5) e Cdd. L. G. 2. — *varie copioseque* Hb. — *varie, copiose* H. V. M. D. 1. (6) ∾ *iudicatum* de L. susp. Sch. 2. (7) — *una hominis s.* L. E. — *una omnino s.* Ern. susp. (8) — om. *ea* M. L. (9) — *quum* L. (10) — *tum* L. (11) Sic G. 2. — *in hominibus omnibus* Cdd. aliq. H. V. D. Hb. 1. — *in omnibus homin.* M. L. (Errat G.) (12) cum Cdd. multis Sch. 2., ut voluerat G. — *praestantissimos* Ceteri. (13) — *Stagiritam* L. (14) = *ex* M. L. (15) ∾ *disserendi* [ ]. D. 1. ∾ Del. L. in m. 1584. (non 1566.) Durand. Lall. G. 2. Recte. Defendit Wernsd. Eius censor Lips. *philosophiae* pro gloss. habebat. (16) — *philosophia* L. prob. D. (17) ∾ del. *quidem* G. E. 2. (18) — *quisque* Cdd. aliq. (non H. V.)

tur, et isto modo. Quid me, inquam, putas, qui philosophiam iam professus sim populo[1] nostro exhibiturum? Pergamus igitur, inquit, quoniam placet. 19. Fuit ergo[2] iam accepta a Platone philosophandi ratio triplex; una, de vita et moribus: altera, de natura et rebus occultis: tertia, de disserendo, et quid verum, quid falsum[3]; quid rectum in oratione pravumve; quid consentiens sit[4], quid repugnet[5], iudicando. Ac primam partem illam[6] bene vivendi a natura petebant, eique parendum esse dicebant: neque ulla alia in re, nisi in natura, quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur; constituebantque, extremum esse rerum expetendarum et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et vita. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus: valetudinem, vires, pulchritudinem, in toto: in partibus autem, sensus integros, et praestantiam aliquam partium singularum: ut in pedibus, celeritatem; vim, in manibus; claritatem, in voce; in lingua etiam explanatam vocum expressionem[7]: 20. animi autem, quae essent ad comprehendendam ingeniis[8] virtutem idonea; eaque ab iis in naturam[9], et mores dividebantur. Naturae celeritatem ad discendum et memoriam dabant: quorum utrumque mentis esset[10] proprium et ingenii. Morum autem putabant studia esse, et quasi consuetudinem: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant; in quibus erat philosophia ipsa. In qua quod inchoatum est, neque absolutum[11], progressio quaedam ad virtutem appellatur: quod autem absolutum, id est, virtus, quasi[12] perfectio naturae, omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima. 21. Ergo haec animorum. Vitae autem (id erat enim[13] tertium) adiuncta esse dicebant, quae ad virtutis usum valerent. Nam virtus cernitur[14] in quibusdam, quae non tam naturae, quam beatae vitae, adiuncta sunt. Hominem esse censebant, quasi partem quandam civitatis et universi generis humani, eumque esse coniunctum cum hominibus humana[15] quadam societate. Ac de summo quidem atque[16] naturali bono sic agunt: cetera autem pertinere ad id putant aut adaugendum[17], aut tuendum[18]; ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum.

---

(1) — *me pop.* L. C. (2) — om. *ergo* Ven. H. (3) Sic Man. Rursus G. C. 2. — *et quid falsum* Ceteri, etiam V. L. (4) Sic G. C. 2. — om. *sit* Priores. (5) — *quid repugnans* M. L. C. (6) Sic H. M. L. 2. = *primam illam partem* V. D. Hb. 1. — *primum partem illam* e Cdd. G. Falso. Respondent §§. 24. et 30. (7) e Cdd. Sch. 2. — *impressionem* Ceteri. (8) e Cdd. Grut. D. (hic [ ].) 1. G. 2. — *ingenii* H. V. M. L. Hb. — del. Huels. (9) — om. *v. eaque ab iis* C2d., quorum librarii, nescio quo stupore, *animi* pro nom. plur. habebant, quamvis sequebatur *quae*. His C2d. obsecuti sunt G. et Sch. 2. (10) — *est* H. Lego: ∾ *esse.* (11) ∾ *neque perfectum* Cdd. aliq. H. V. (non vero M. L., ut ait G.) (12) — *et quasi* L. in m. 1584. (13) e Cdd. G. 2. = *enim erat* Ceteri. (14) Sic G. C. 2. — *Iam virtus animi bonis et corporis cernitur* Ceteri. v. *animi bonis et corporis* e gloss. (scil. ad praecedens v. *adiuncta*) orta esse primus vidit Walker, delevitque ea Huelsem. (*Iam virtus, praeterquam animi bonis et corporis, cernitur - - quam beatissimae vitae* cet. Bentleii susp.) (15) — *communi* I. F. Gronovii susp. ∾ *mundana* Bentleii susp. (16) — *ac* M. L. (17) Sic Ern. 1. G. 2. — *aut ad augendum* Cdd. H. V. D. Hb. ∾ *aut augendum* e Cd. Memm. L. (— *aut ad agendum* M.) (18) Sic L. Ern. 1. G. 2. — *aut ad tuendum* H. V. M. D. Hb.

VI. 22. Atque haec illa[1] sunt tria genera, quae putant plerique Peripateticos dicere. Id quidem non falso; est enim haec partitio illorum: illud imprudenter, si alios esse Academicos, qui tum appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. Communis haec ratio, et utrisque hic bonorum finis [videbatur[2],] adipisci, quae essent prima naturâ[3], quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia, aut maxima. Ea sunt autem maxima, quae in ipso animo atque in ipsa virtute versantur. Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit, in una virtute esse positam beatam vitam: nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur et[4] corporis, et cetera, quae supra dicta sunt, ad virtutis usum idonea. 23. Ex hac descriptione, agendi quoque aliquid in vita, et officii ipsius initium reperiebatur; quod erat in conservatione earum rerum, quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga desidiae voluptatumque contemptio: ex quo laborum dolorumque susceptio multorum magnorumque[5], recti honestique causa; et earum rerum, quae erant congruentes cum descriptione naturae, unde et[6] amicitia exsistebat, et iustitia atque aequitas; haeque[7] et voluptatibus, et multis[8] vitae commodis anteponebantur. Haec quidem fuit apud eos morum institutio, et eius partis[9] quam primam posui, forma atque descriptio. 24. De natura autem — id enim sequebatur, — ita dicebant, ut eam dividerent in res duas; ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens, eaque[10] efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant: in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque; neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur[11]. Sed quod ex utroque, id iam corpus, et quasi *qualitatem* quandam[12] nominabant; dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis (quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec iam diu tractantur,) utamur verbis interdum inauditis.

VII. 25. Nos vero, inquit Atticus; quin etiam Graecis licebit utare, quum voles, si te Latina forte deficient. — Bene[13] sane facis: sed enitar[14], ut Latine loquar, nisi in huiuscemodi verbis, ut philosophiam, aut rhetoricam[15], aut physicam, aut dialecticam appellem, quibus, ut

---

(1) — om. *illa* Cd. Bas. et M., ut ait G. Meus M. non. Sed refertae erroribus in auctoritatibus laudandis sunt Goerenzii adnotatt.; quocirca me nemo ex iis corrigat. (2) — *videantur* C1d. — *videntur* alius apud G. ∞ del. *videbatur* G. Є. 2. (3) Sic de Davisii sententia G. 2. — *in prima n.* Cdd. H. V. — *prima in n.* M. L. D. Hb. 1. ∞ *prima naturae* Bremii susp. (4) — *etiam* e Cdd. L. in m. 1584. (non 1566.) D. Hb. Lall. (5) — *multorum*, *magnorum* Cd. in m. 1584. Grut. D. Hb. 1. Ceteri, ut nos. (6) — om. *et* Grut. solus ex meis, err. typogr. Huels. (7) — *haec* M. L. (non *hae*, ut ait G.) — *haecque* O1x. (8) — *cunctis* D. susp. (9) Sic D. Є. Hb. 1. Lall. G. 2. — *artis* Priores. (10) Sic Cdd. H. V. G. 2. — *ea*, *qua* M. — *ex qua* L. — *ea*, *quae* Grut. D. Hb. 1. (11) — Haec *nihil* - - *cogatur* alienum h. l. videbantur L. (12) Sic Cdd. H. V. Manutius meus, D. Seqq. — om. *quasi* Cdd. Ursini. Manutius Goerenzii. — om. et *quasi*, et *quandam* L. (13) Ne *benigne s. facis* proponerem, prohibuit Wopkens p. 11. (14) — *enitar*, *inquit* Durandus. (15) — *ethicam* de prava Huelsemanni Є. G. Tu vide Sch. et cfr. *de Finn.* 5, 2, 5. (Ceterum *rhetoricen*, - *physicen* - *dialecticen* cum O1x. M. L. Hb.)

aliis multis, consuetudo iam utitur pro Latinis. *Qualitates* igitur appellavi, quas ποιότητας Graeci vocant: quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum vero[1] verba nulla sunt publica: suis utuntur. Et id quidem[2] commune omnium fere est artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina; aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in his[3] rebus tot iam secula versantur; quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur? 26. Tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, ut effecisti[4], sed etiam verborum. Audebimus ergo, inquit, novis verbis uti, te auctore, si necesse erit[5]. Earum igitur qualitatum sunt aliae principes, aliae ex his[6] ortae. Principes sunt uniusmodi et simplices; ex his[7] autem ortae, variae sunt et quasi multiformes. Itaque aër[8] (utimur enim pro Latino) et[9] ignis, et aqua, et terra, primae[10] sunt; ex his[11] autem ortae, animantium formae, earumque rerum, quae gignuntur e terra. Ergo illa initia, et[12], (ut e Graeco vertam,) elementa dicuntur; e quibus aër et ignis movendi vim habent et efficiendi: reliquae partes, accipiendi et quasi patiendi; aquam dico, et terram. — Quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare[13], eorumque[14] quattuor, quae supra dixi, dissimile Aristoteles quiddam[15] esse rebatur. 27. Sed subiectam putant[16] omnibus sine ulla specie atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum et tritius) materiam quandam, ex qua omnia expressa atque effecta[17] sint: quae tota omnia accipere possit[18], omnibusque modis mutari[19], atque ex omni parte: eoque etiam interire, non in nihilum, sed in suas partes, quae infinite secari ac dividi possint, quum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat: quae autem moveantur, omnia intervallis moveri; quae intervalla item[20] infinite dividi possint. 28. Et quum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse diximus,

---

(1) — *quoque* Cd. Bas. M. L. — om. *vero* Cld. (— *Sic dialecticorum verba* G. susp.) Hoc dicit Cicero: philosophorum verba complura iamiam transierunt in usum communem, ita ut rhetores historicique iis uti non reformident: ea *vero* verba, quae dialecticae sunt propria, ut res ipsa postulat, a dialecticis dumtaxat usurpantur, quia nullus iis est locus vel in consuetudine, vel in aliis scriptis. (2) — *quoque* M. (3) cum Cdd. M. Hb. G. 2. ∞ *iis* H. V. L. D. 1. (4) — *ut fecisti* L. E. — *ut et fecisti* Bentleii E. (agnoscebat is igitur *et* pro *etiam* apud Cic.) Durand. Huels. (5) cum Cdd. Grut. Seqq. — *fuerit* H. — *est* V. M. L. (6) Sic cum Cdd. Hb. — *iis* Ceteri. Ubi verum videtur, non repugnamus. (7) Sic cum Cdd. M. L. Hb. — *iis* Ceteri. (8) cum Cdd. D. Hb. Lall. G. 2. — *Aër quoque* Cdd. pleriq. H. V. M. L. 1. — *aër quidem* Ern. susp. (9) cum Cdd. D. Hb. G. — om. *et* H. V. M. L. 1. 2. (10) Sic de Walkeri et Davisii, non de propria susp. G. 2. — *prima* Ceteri. (11) Sic Hb. — *iis* Ceteri; etsi G. quoque ter *his* videtur voluisse. (12) — om. *et* M. L. (13) cum Cdd. iam Grut. Seqq. — *singulares* H. V. M. L. (14) — *eorum* propter praecedentem errorem H. M. L. (non V.) (15) Sic Cdd. H. L. D. Hb. G. 2. — *quoddam* V. M. 1. (16) — *putat* Cdd. aliq. Huelsem. (17) cum Cdd., ut volebat Man.; L. D. Seqq. praeter Wetzel. — *effecta* H. V. M. Grut. (18) cum Cdd. M. L. D. Hb. G. 2. — *possint* H. V. 1. (19) cum Cdd. D. Seqq. — *mutare* Priores. (20) — *etiam* V.

et quum sic ultro citroque versetur, et materiam ipsam totam penitus commutari putant, et illa[1] effici, quae appellant *qualia*; e quibus, *omni[2] natura cohaerente et continuata, cum omnibus suis partibus effectum esse mundum; extra quem nulla pars materiae sit, nullumque corpus: partes autem mundi esse[3] omnia, quae insint in eo; quae natura sentiente teneantur; in qua ratio perfecta insit; quae sit eadem sempiterna; 29. nihil enim valentius esse, a quo intereat: quam vim animum esse dicunt[4] mundi, eandemque esse mentem sapientiamque perfectam; quem deum appellant, omniumque rerum, quae sunt ei subiectae, quasi prudentiam[5] quandam, procurantem caelestia maxime; deinde in terris ea, quae pertinent ad homines: quam interdum eandem[6] necessitatem appellant; quia nihil aliter possit[7], atque ab ea constitutum sit, inter quasi[8] fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnunquam quidem[9] eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa et necopinata[10] nobis, propter obscuritatem ignorationemque causarum.

VIII. 30. Tertia deinde philosophiae pars, quae erat in ratione[11] et in disserendo, sic tractabatur ab utrisque. Quamquam oriretur[12] a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus. Mentem volebant rerum esse iudicem: solam censebant idoneam, cui crederetur; quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, et uniusmodi, et tale, quale esset. Hanc illi ἰδέαν appellabant, iam a Platone ita nominatam[13]: nos recte *speciem* possumus dicere. 31. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subiectae sensibus viderentur; quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset constans; ne idem quidem[14], quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum, opinabilem[15] appellabant. 32. Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus[16] atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant, et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. Ver-

---

(1) — *ita* Cdd. aliq. M. L. Grut. (2) de D. sententia G. 2. — *in omni* Ceteri. Confirmatur nostra lectio loco incerto *de Legibus* apud Lactant. *Institt.* 5, 8, 10.: *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur* cet. (3) cum Cdd. G. 2. = *esse mundi* Ceteri. (4) = *dicunt esse* Ven. 1494. H. V. (5) — *providentiam* L. (6) — om. *eandem* M. Grut. D. (hic invitus.) (7) — *esse possit* L. Є. (8) — *c. sit*, *interdum quasi* L. Є. — *c. sit ire; quasi* D. Є. Lall. — *c. sit evenire*, *inter quasi* de Turnebi Є. Hb. (9) — om. *quidem* L. Є. (10) Sic e Cdd. L. — *improvisa haec necopinata* H. V. G. 2. ∞ om. *haec* iam M. D. — pro *haec*: — *hic* Ven. 1494. Durand. — *quod multa efficiat inopinata* Lact. *Institt.* 3, 29, 3. (11) — *oratione* L. susp. non recepta. (12) — *qu. iudicium or.* L. Є. (13) — *appellatam* V. (14) Sic M. L. Seqq. — *constans eidem quidem*, *quia* Cdd., ut videtur, omnes, etiam Stephani. ∞ *constans et idem*, *quia* Walkeri susp. prob. G. (15) Sic iam Nonius in v. *opinabile*. Cdd. Edd. ante G. Recte. Universitas rerum constat ex ideis *ὄντως οὔσαις*, et rebus subiectis sensibus, incertis et fluentibus: hanc posteriorem rerum partem, opinabilem, *δοξαστὴν* appellabant. Si quid mutandum, e Nonii lemmate scribas *opinabile.* — *partem*, *rerum opinabilium* G. Є. 2. id quod falso significaret, *hanc omnem tertiam philosophia partem*, *rerum opinabilium appellabant.* (16) e Cdd. L. G. 2. — *motionibus* Ceteri.

borum etiam explicatio probabatur: id est[1], qua de causa quaeque essent ita nominata; quam *ἐτυμολογίαν* appellabant: post argumentis et quasi rerum notis[2], ducibus[3] utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua[4] tradebatur omnis dialecticae disciplina[5], id est, orationis ratione conclusae[6]; huic quasi ex altera parte, oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae[7]. 33. Haec erat illis †prima[8] a Platone tradita: cuius quas acceperim †disputationes[9], si vultis, exponam. Nos vero volumus, inquam, ut pro Attico etiam respondeam.

IX. Et recte, inquit, respondes: praeclare enim explicatur Peripateticorum et Academiae veteris auctoritas. Aristoteles primus species, quas paullo ante dixi, labefactavit: quas mirifice Plato erat amplexatus[10]; ut in his quiddam divinum esse diceret. Theophrastus autem, vir et oratione suavis, et ita moratus[11], ut prae se probitatem quandam et ingenuitatem ferat[12], vehementius etiam fregit quodam modo auctoritatem veteris disciplinae[13]; spoliavit enim virtutem suo decore, imbecillamque reddidit, quod negavit in ea sola positum esse beate vivere. 34. Nam Strato, eius auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea disciplina omnino semovendus est: qui quum maxime necessariam partem philosophiae, quae posita est in virtute et in[14] moribus, reliquisset, totumque se ad investigationem naturae contulisset, in ea ipsa plurimum discedit[15] a suis. Speusippus autem et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperant, et post hos[16] Polemo et Crates, unaque Crantor, in Academia congregati, diligenter ea, quae a superioribus acceperant, tuebantur[17]. Iam Polemonem audiverant assidue Zeno et Arcesilas. 35. Sed Zeno, quum Arcesilam anteiret aetate, valdeque subtiliter dissereret[18], et peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam. Eam quoque, si videtur, correctionem explicabo, sicut solebat Antiochus. Mihi vero, inquam, videtur: quod vides idem significare Pomponium.

X. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos virtutis inciderit[19]: sed contra, qui omnia, quae[20] ad beatam vitam pertine-

---

(1) — om. *id est* M. Huels. (2) — *nodis* de Bentl. Є. Huels. (3) — om. *ducibus* Cdd. aliq. M. L. (4) Ad v. *in qua*, si integra sunt, per attractionem e v. seqq. *huic quasi ex altera parte* assumendum est v. *parte*, ut sensus sit: „Alteram partem universae orationis disciplinae efficiebat dialectica, alteram rhetorica." cfr. Alexandrum Aphrod. apud Suidam in v. *ἀντίστροφος*. *Ἀριστοτέλης τὴν διαλεκτικὴν ἀντίστροφόν φησιν εἶναι τῇ ῥητορικῇ* cet. cfr. Suidam in v. *διεξοδικούς*.— *in quo* M. Є. ut volebat Ern. ∞ *ita tradebatur* Madvig. I. p. 117. ingeniose. (5) — *disciplina dialecticae* H. D. Hb. — *dialectica disciplina* Cdd. multi. (O3x.) V. M. L. (6) — *conclusa* O3x. (7) — *accommodate* Ern. susp. (8) Hoc sane corruptum. ∞ *forma* Madvigii I. p. 118. Є. admodum ingeniosa, ac, ni fallor, vera. (9) ∞ *immutationes* vel *mutationes* D. susp. Ad sensum, recte; v. Madvig l. l. (10) — *amplexus* Cdd. aliq. (11) — *moderatus* Turn. M. L. (12) — *ferret* Ern. 1. Є. 2. (13) = *vet. disc. auct.* M. L. (14) — om. *in* M. L. (15) Sic Cdd. aliq. M. G. 2. — *dissedit* V. L. D. Hb. 1. — *dissentit* Ven. 1494. H. (16) ∞ *eos* Cdd. aliq. V. Seqq. *in Acad. congregati* suspecta sunt Goerenzio. (17) cum Cdd. M. L. 1. G. 2. — *ea - - utebantur* Cdd. aliq. corrupte. Hinc correctum: — *eis - - utebantur* Cdd. aliq. H. V. Grut. D. Hb. Lall. Huels. (18) — *definiret* Bentleii susp. (19) — *incideret* M. L. D. Hb. 1. (20) Sic M. Seqq. — *quaeque* Cdd. aliq. H. V.

rent, in una virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis; idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam et solum et unum bonum. 36. Cetera autem[1] etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturae esse contraria. His[2] ipsis alia interiecta et media numerabat. Quae autem secundum naturam essent, ea sumenda, et quadam aestimatione dignanda[3] docebat[4]; contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat; in quibus ponebat nihil omnino esse[5] momenti. 37. Sed quae essent sumenda[6], ex iis[7] alia pluris esse aestimanda, alia minoris. Quae pluris, ea *praeposita* appellabat; *reiecta* autem, quae minoris. Atque ut haec non tam rebus, quam vocabulis commutaverat; sic inter recte factum, atque peccatum, officium, et contra officium, *media* locabat quaedam[8]: recte facta sola in bonis actionibus ponens; prave, id est, peccata, in malis. Officia autem et[9] servata, praetermissaque, media putabat, ut dixi. 38. Quumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura, aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat: quumque illi ea genera virtutum[10], quae supra dixi, seiungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat[11]: nec virtutis usum[12], ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum; nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Quumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et extimescere, et efferri laetitia dicerent, sed ea[13] contraherent, in angustumque deducerent[14]; hic omnibus his, quasi morbis, voluit carere sapientem. 39. Quumque eas[15] perturbationes antiqui naturales esse dicerent, et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alia[16] rationem collocarent, ne his[17] quidem assentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque[18] iudicio suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur matrem esse[19], immoderatam quandam intemperantiam. Haec fere de moribus.

XI. De naturis autem sic sentiebat, primum, ut quattuor[20] initiis rerum illis quintam hanc naturam, ex qua superiores sensus et mentem effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quae quidque gigneret, et mentem atque sensus. Discrepabat etiam ab iisdem, quod nullo modo arbitrabatur quidquam effici posse ab ea, quae expers esset corporis — cuius generis Xenocrates, et

---

(1) ∾ om. *autem* Cd. Bas. (2) e Cdd. G. 2. hoc loco recte. — *iis* Ceteri. (3) ∾ *digna*, ut volebat Rath, Alterus. — *eligenda* Ern. susp. (4) — *dicebat* L. (non Bentleius.) (5) — del. *esse* de Ern. susp. Huels. (6) ∾ *media* de Davisii susp. Gedicke. *Hist. phil.* p. 254. De toto loco fortasse mutilo et corrupto, cfr. Beier *Offic.* T. I. p. 320, (7) — *his* cum Cdd. aliq. Hb. G. H. l. alterum videtur praestare. (8) — vel del. *quaedam*, vel leg. *quidem* D. susp. (9) — om. *et* L. (10) — *virtutis* Cdd. aliq. (non Crat., ut ait G.) (11) — om. haec: *hic -- disserebat* Ed. 1584. non M. 1555., neque L. 1566. (12) Sic cum Cdd. Ven. 1494. H. G. 2. — *usum modo* V. M. L. D. Hb. 1. (13) — *eam* Ern. 1. (— *perturbationes -- eas* Walkeri susp. prob. Dav. recepit Lall.) (14) — *adducerent* L. susp. non recepta. (15) — om. *eas* Ven. 1494. H. (16) ∾ *in alia* L. prob. D. (17) — *iis* V. (18) cum Cdd. V. M. D. Seqq. — *opinionesque* H. L. (19) = *esse matrem* M. L. D. Hb. 1. (non H. V.) (20) Sic Cdd. aliq. Ascens. H. Ern. 1. G. 2. — *ut in q.* V. M. L. D. Hb.

superiores etiam, animum esse dixerant[1] — nec vero, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, posse esse non corpus. 40. Plurima autem in illa tertia philosophiae parte mutavit; in qua primum de sensibus ipsis quaedam dixit nova; quos †iunctos[2] esse censuit e quadam[3] quasi impulsione, oblata extrinsecus: quam ille *φαντασίαν*, nos *visum* appellemus licet; et teneamus hoc verbum quidem: erit enim utendum in reliquo sermone saepius. Sed ad haec, quae visa sunt, et quasi accepta sensibus[4], assensionem adiungit animorum; quam esse vult in nobis positam et voluntariam. 41. Visis non omnibus adiungebat fidem, sed iis[5] solum, quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum, quum ipsum per se[6] cerneretur, *comprehensibile.* — Feretis haec? Nos vero, inquit[7]. Quonam enim modo *κατάληπτον* diceres? — sed, quum acceptum iam et approbatum esset, *comprehensionem* appellabat, similem iis[8] rebus, quae manu prenderentur; ex quo etiam nomen hoc duxerat, quum[9] eo verbo antea[10] nemo tali in re usus esset: plurimisque idem[11] novis verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum *sensum* appellabat; et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, *scientiam:* sin aliter, *inscientiam* nominabat: ex qua exsisteret etiam *opinio,* quae esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis. 42. Sed inter scientiam et inscientiam, comprehensionem illam, quam dixi, collocabat; eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. E quo[12] sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi[13] et fidelis videbatur: non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura[14] quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in[15] animis imprimerentur; — e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae reperiuntur[16]: — errorem autem, et temeritatem, et ignorantiam, et opinationem[17], et suspicionem, et, uno nomine, omnia, quae essent aliena firmae et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat. Atque in his[18] fere commutatio constitit[19] omnis, dissensioque Zenonis a superioribus.

---

(1) e Cdd. G. 2. — *dixerunt* Ceteri. (2) Corruptum hoc. ∞ *cunctos* de Ern. susp. G. 2. Non male; nec est tamen certa emendatio. *Sensus* enim h. l. est ὄργανον sensûs, non sensatio, de qua infra demum §. 41. *quod erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat.* ∞ *punctos* de D. susp. Huels. (3) Sic Cdd. noti, (nisi quod Olx. omittit praep.) Iu. Crat. H. V. M. L. etiam 1584. Hb. — *a quadam* Grut. tacite; errore, ni fallor, typogr. D. 1. G. 2. (4) — *accepta a sens.* Cdd. aliq. (5) = *eis* Hb. — *his* Cdd. aliq. H. V. G. (6) — om. *per se* M. L. (7) Lege: *hoc.* — *inquam* M. L. (— *Atticus inquit* dubia G. susp. — *Pomponius inquit* Lall. susp.) (8) — *his* e Cdd. G. (9) Sic de Man. et L. in curis posterioribus sententia Grut. Seqq. — *at quum* H. V. M. 1555. L. 1566. (10) e Cdd. D. Hb. G. = *ante* Ceteri. (11) — *tum plurimis idem r.* L. C. 1566. postea ipse repudiavit. (12) = *ex quo* e Cd. prob. G. Sch. 2. (13) — om. *illi* V. (14) — *quodque eam n.* M. (15) — om. *in* L. (16) — *reperirentur* de Grut. susp. Ern. 1. — *aperirentur* D. susp. (17) — *opinionem* D. err. typogr. Hb. (18) e Cdd. Ern. 1. G. 2. — *iis* Ceteri. (19) Sic Cdd. aliq. Iu. H. V. M. Hb. Recte; v. Madvig I. p. 120. „Significat, substitit, non ultra progressa est." — *consistit* L. Grut. D. Ern. 1. (etsi alteram l. probabat.) G. 2.

XII. 43. Quae quum dixisset: Et[1] breviter sane, minimeque obscure exposita est, inquam, a te, Varro, et veteris Academiae ratio, et Stoicorum. [Verum[2]] esse autem arbitror — ut Antiocho, nostro familiari, placebat, — correctionem[3] veteris Academiae potius, quam aliquam novam disciplinam putandam. Tum[4] Varro, Tuae sunt nunc partes, inquit, qui[5] ab antiquorum ratione desciscis[6], et ea, quae ab Arcesila novata sunt, probas, docere, quod, et qua de causa discidium factum sit: ut videamus, satisne ista sit iusta defectio. 44. Tum ego, Cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia, aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur; sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, et, * iam ante Socratem[7], Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene veteres: qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse [dixerunt[8]]; angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, et (ut Democritus) in profundo veritatem esse demersam; opinionibus et institutis[9] omnia teneri; nihil veritati relinqui; deinceps[10] omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. 45. Itaque Arcesilas negabat, esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere[11] in occulto. Neque esse quidquam, quod cerni, aut intelligi posset[12]: quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione[13] approbare; cohibereque semper, et ab omni lapsu continere temeritatem: quae tum esset insignis, quum aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere. Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias † dies iam plerosque deduceret[14]: ut, quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio[15] sustineretur. 46. Hanc Academiam novam appellant[16]; quae mihi

---

(1) — om. *et* L. (non Man. meus.) prob. Bentl. (2) Hoc sane corruptum. Ego quum viderem (O1x.) Iu. H. legere: *Verum esse autem arbitror. At Antiocho* cet. statim intellexi, e corruptela: *Esse autem arbitror. At* pro *ut*, deceptum interpolatorem aliquem inculcasse *verum*, *ἀληθές:* eaque interpolatio remansit in Cdd. et Edd., quamvis rursus correcto *ut*. Del. igitur. — *eam* pro *verum*, quod ita pro *ἀλλὰ* positum ante *autem* locum sane non habet, volebat Ern. — *horum* G. susp. recepit Sch. 2. (3) — *correptionem* Iu. H. V. Idem error reperitur *de Amicit*. §. 90. (4) e Cdd. G. 2. — *Tunc* Ceteri. (5) — *quoniam* Urs. susp. (6) Sic cum C1d., de Man. et D. sententia, qui [ ] *nunc*, G. 2. — *ratione nunc desciscis* Ceteri. (7) de Mureti E. *Var. lectt.* 9, 14. (qui tamen volebat: *velut iam ante S.*) Lall. G. 2. — *et vel iam ante S.* de Allio. — *et veluti amantes S.* Cdd. Ceterae Edd. (8) ∞ de Man. sententia Ern. 1. G. [ ] *dixerunt*. Del. Sch. 2. Defendit Wernsdorf. (9) — *opinionibus insitis* G. susp. non recepta. (10) — *denique* Bentleii susp. (11) Sic G. E. 2. — *latere putabant* C1d. — *latere dicebant* C1d. — *latere censebant* Cdd. pleriq. — *l. censebat*. L. D. Hb. 1. omnia ex interpol. (12) Sic C1d. Ern. E. 1. Sch. 2. — *possit* Ceteri, etiam G., sed invitus. (13) Sic L. E. D. Hb. 1. G. 2. — *assertione* ac statim *assertionem* Cdd. Edd. ante L. (14) Locus corruptus. Cdd. nihil mutant, nisi quod aliq. — *pleros*. — *dissereret* L. E. — *dedoceret* Wernsd. susp. ∞ *dicens*, *iam plerosque eo deduceret* Gesneri susp. ∞ *dicens in eam plerosque deduceret* Madvig I. p. 121. Cfr. Beier *Offic.* T. 2. p. 19. (15) — *assertio* Cdd. Edd. ante L. (16) — *appellabant* M. Grut.

vetus videtur; si quidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur; de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur: sed tamen illa, quam exposui, vetus; haec, nova nominetur: quae usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilae ratione permansit. Carneades autem nullius philosophiae partis ignarus, et, ut cognovi ex iis[1], qui illum audierant, maximeque ex Epicureo Zenone, qui quum ab eo plurimum dissentiret, unum tamen praeter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate * * * *

(1) — *his* Cdd. aliq. Hb. G. Sero nactus sum Wopkensii Lectiones. Feliciter is plerumque versatur in defendenda Cdd. lectione contra vanas criticorum, Davisii praesertim, suspiciones: minus valet in emendando, velut ubi p. 9. in *Acad.* 1, §. 20, pro *ingeniis* proponit *ingenuitatem.* Est tamen liber adolescentulis a critices abusu mature deterrendis in primis utilis; monstratque, etsi nimis fortasse pertinaciter, quomodo *πάντα λίθον κινεῖν* debeamus ante, quam a libris desciscamus.

M. TULLII CICERONIS DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

(In his recognoscendis usus sum:

Ed. Venetá: „De finibus bonorum et malorum opus finis cum magna diligentia impressum per Philippum condam petri *(sic)* Venetiis regnante Iohanne Mozenico inclito duce. M. CCCC. LXXX. die VI Novembris. *(sic.) (Notavi P. Cum melioribus plerumque facit.) Iuntinam et Hervagianam subinde inspexi. Cratandrinam (Cr.) et Manutianam (M.), continuo ante oculos habui. Victorianae (V.), Lambinianae (L.), Davisianae (Cantabrigiae 1741. D.), Lallemandianae (Lall., ubi is in adnott. se novasse aliquid refert), Ernestianae (1.), Bremianae (Br., maxime ubi is ab Ernestio abit;) Goerenzianae (G.), et Schuetzianae (2.) integram do lectionem. Addenda Goerenzii non sunt neglecta. Praeterea consului:* Observationum Gulielmi Morelii *(sic)* Tilliani in M. T. Ciceronis libros quinque de finibus bonorum et malorum commentarium ad Iacobum Spifamium, Scholae Parisiensis Cancellarium, et in supremo Senatu Praesidem. Parisiis apud Ioannem Lodoicum Tiletanum ex adverso collegii Remensis 1546. 4. (*Mo.*) *Usus est Morelius Codice veteri, cuius lectiones refert et diiudicat. Facit is plerumque cum optimis Pal. pr. Spir. Erl. Notante Oliveto in Praefat. Ed. Cic. p. XXVI. Ed. Patav. a. 1773. hunc commentarium Turnebo vindicabat Pithoeus. „Reclamant certe pro Morelio viri docti (Menage* Anti-Baillet P. 1. §. 68. p. 226.) *Ac mihi quidem, si necesse est sententiam dicere, non videtur inesse in ea lucubratione subtilis et acuta brevitas illa, quae Turnebi propria est: cet." Libri rarissimi et frustra a Davisio quaesiti, quo nemo adhuc praeter Guyetum usus est, usum benigne mihi concessit V. Cl. Bardili, Diaconus Uracensis. Excerpsi item varietatem Cd. Caroli Stephani, et, ubi post Bremium ac Goerenzium opus erat, Oxoniensem. Praeter varias censuras v. c. Goerenzianae editionis in Diario Heidelb. 1815. p. 96., et Rathianae Ed. in Diario Ienensi 1805. p. 497., cuius scriptor, (fuitne F. A. Wolfius?) XXXII Cdd. a se consultos esse narrat (I.), consului Matthiae prolusiones in Miscell. philologg., et G. H. Moseri Symbolas criticas ad aliquot Cic. de Fin. b. et m. et Tusc. Disp. loca. Ulmae 1825. 4. — Bentleius ubi no-*

minatur, Thomas est, non Richardus. — Ceterum magno opere doleo, Marsi editione me caruisse, unde factum est, ut eius lectiones ex unius Goerenzii fide memorare potuerim. Sed experientia quum didicerim, innumerabiles et incredibiles errores a G. commissos esse in referendis v. c. Cratandrinae lectionibus, valde metuendum est, ne eodem modo versatus sit in Cdd. suorum et Marsi varietate exhibenda. Optandum sane est, ut Spirensis et Erlangensis denuo conferantur.)

LIBER PRIMUS.

I. 1. Non eram nescius, Brute, quum, quae summis ingeniis, exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis literis mandaremus, fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam, et iis [1] quidem non admodum indoctis, totum [2] hoc displicet philosophari. Quidam autem non id tam reprehendunt, si remissius agatur: sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo [3] non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi Graecis literis, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias literas vocent: genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen et dignitatis esse negent. 2. Contra quos omnes dicendum breviter existimo. Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia [4] defensa et collaudata est, quum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber quum et tibi probatus videretur, et iis, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse [5]. Qui autem, si maxime hoc [6] placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum [7] coërceri reprimique non potest: ut propemodum iustioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his [8], qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. 3. Sive enim ad sapientiam perveniri potest: non paranda nobis solum [9] ea, sed fruenda etiam [sapientia [10]] est; sive hoc difficile est: tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris: et quaerendi defatigatio turpis est, quum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, quum scribimus: quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus: quis est, qui alienae modum statuat industriae? Nam, ut [11] Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult,

---

(1) — *his* C2d. prob., ut solet, G. Non tamen recepit, ut ait Sch. (2) Sic V. 1. Br. G. 2. (sicque C7d. I.) — *id non tam* L. — *non id tantum* P. Lall. — *non id totum* Cr. — *id non totum* M. — *non id tum* Marsus. D. prob. Cens. Heidelb. (3) = *in eo pon.* P. Mars. Cr. V. D. (4) = *phil. a nobis* Cdd. aliq. (5) — *possem* V. (6) = *hoc max.* L. solus. (7) cum Cdd. M. L. D. Seqq. — *semel iam missum* Cdd. multi. P. Cr. V. Grut. — *semel missum* Lall. ex aliis Cdd. (non Lamb., ut ait Ern.) (8) — *iis* Cr. V. M. L. D. (9) = *solum nobis* M. L. (10) ∞ del. *sapientia* cum Cd. Eliensi M. L. D. 1. Defendit Br. G. [ ]. v. *sapientia est.* Del. utrumque Sch. 2. (11) — *Non, ut* e Cdd. Reg. Lall.

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre[1] *denique:*

— non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret: — sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

II. 4. His[2] igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina[3] scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer[4]: cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuvii spernat, aut reiiciat; qui[5] se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas [literas[6]] oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? 5. A quibus tam[7] dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem; de quo Licinius[8], *ferreum scriptorem:* verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit[9]. Rudem enim esse omnino[10] in nostris poetis, aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt[11]. An[12],

Utinam ne in nemore — — —

nihilominus legimus, quam hoc idem Graecum: quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? 6. Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis[13], quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus: quid habent, cur Graeca anteponant iis[14], quae et splendide dicta sint[15], neque sint conversa de Graecis? Nam si dicent[16], ab illis has res esse[17] tractatas: ne ipsos quidem Graecos est, cur tam multos legant, quam legendi sunt[18]. Quid enim est[19] a Chrysippo praetermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium[20], multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus[21] mediocriterne delectat, quum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? quid? Epicurei num desistunt de eisdem[22], de quibus et ab Epicuro scriptum est, et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a Graecis, iisdem de rebus alia ratione compositis[23]; quid est, cur nostri a nostris non legantur?

---

(1) ∾ *facere* Rich. Bentleii €. (2) ∾ *iis* M. (3) — *Latine* Margo Cr. L. (4) — *est, quod demirer* L. — *est, quod admirer* Th. Bentleii susp. (5) — *quique* Cd. El. prob. D. — *quum* Ern. susp. prob. Cens. Heidelb. — *quod* e Cdd. aliq. familiae deterioris G. 2. Rectissime se habet gradatio ista vulgatae. (6) — *literas* Gul. et Br. del. viderunt. Cum Br. ego [ ]. — om. v. *Latinas literas oderit* Cdd. aliq. D. 1. [ ]. del. G. 2. Sed nimis exquisitum est vel v. *oderit*, quam ut interpolatori tribui possit. Iidem fere Cdd. omittendo peccant etiam §. 6. (7) Sic M. L. G. 2. — *tantum* Cdd. aliq. P. Cr. V. D. 1. (8) — *Lucilius* L. (9) Haec: *ferreum - - sit* pro v. sesquitrochaico habuit D. cum Vossio. (10) ∾ om. *omnino* C1d. Gud. prob. Cens. Heidelb. (11) — *sint* Ern. susp. (12) e Cdd. L. in m. 1584. D. Seqq. — *at* Priores, etiam V. M. L. 1566. (— *at - - - quamquam hoc idem* O1x.) (13) — *his* e Cdd. G. 2. (14) — *his* V. (15) — *sunt* V. Grut. soli ex meis. (16) — *dicerent* P. Cr. V. M. Grut. (17) = *esse res* L. — *ab illis omnes res esse* V. (18) ∾ Haec *quam leg. sunt* suspecta Ern. et Censori Heidelb. Defendunt Br. G. (19) = *est enim* Sch. 2. (20) ∾ *Panaetium, Mnes.* G. susp. prob. Cens. Heid. (21) — *Quid Theophrastum?* Cd. Mo. Margo Cr. (22) = *iisdem* V. M. 1. 2. (23) — om. haec *iisdem - - compos.* C3d. D. [ ]. — *compositi* scil. libri. Nescio cuius €.

III. 7. Quamquam, si plane sic verterem Platonem, aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male[1], credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem! Sed id neque feci adhuc, nec[2] mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis[3], quos modo nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit: ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet. Nec vero[4], ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. Utinam esset[5] ille Persius! Scipio vero, et Rutilius multo etiam magis: quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se, et Consentinis, et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alias: sed neque[6] tam docti tunc[7] erant ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris. 8. Ego autem quem timeam lectorem, quum ad te, ne Graecis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere? Quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de Virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida, de male[8] Graecis Latine scripta deterius. Quibus ego[9] assentior, dummodo de eisdem[10] rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis, graviter ornateque dictas[11], quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit: ut a Scaevola est praetore[12] salutatus Athenis Albucius. 9. Quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius[13]: apud quem praeclare Scaevola,

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni[14], centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum, signiferûmque,
Maluisti dici. Graece ergo[15] praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni', cohorsque[16]
Χαῖρε, Tite! Hinc hostis mi[17] Albucius, hinc inimicus.

10. Sed iure Mucius. Ego autem satis[18] mirari non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus: sed ita sentio, et saepe disserui, Latinam linguam non

---

(1) — *non male* e C2d. Br. prob. Cens. Heid. (2) = *neque* L. (3) ∾ *his* P. Cr. V. D. G. (4) — *nec enim* Cdd. aliq. P. Cr. (5) = om. *esset* V. M. L. (6) — *nec* P. M. L. 1. (7) — *tum* D. (8) Sic Ed. princ. Mog. Ern. 1. G. 2. cfr. Censuram Heid. et Moser p. 5. — *malis* Ceteri, cuius lect. patrocinium suscepit Br., alteram tamen non improbans. (9) — om. *ego* V. (10) — *dummodo a se de eisdem* M. L. Grut. (*iisdem* pleriq. post M. L.) (11) Sic L. €. confirmata a C2d. Davisii. D. Seqq. praeter Lall. — *dictatas* Cdd. pleriq. Edd. ante L. (Grut.) — *ditatas* Cdd. aliq. — *dilatatas* G. susp. (Erroris origo apparet e P., qui omisso *quis* habet tantummodo *dictatas*. Coaluit utraque vox.) (12) Sic M. D. G. 2. — *praetor* Edd. ante M. tum L. 1. Br. (13) Locus corruptus. — *quem quidem iocum* (*iocum* etiam Cd. Scalig.) *cum m. v. et o. s. ridet L.* Cd. Ursini. — *quem quidem* (Albucium) *lusit cum m. v. et o. s. idem L.* D. susp. — *quem quidem cum m. v. et o. s. ridet L.* G. susp. — *quem quidem iocum cum m. v. et o. s. reddit L.* Moseri susp. (14) — *Titi*, *Anni* V. Alii. (15) — *ergo ego* G. €. 2. (16) — *chorusque* V. (17) Sic C1d. El. Margo Cr. Cam. Grut. Seqq. — *hostis Mucii Alb.* Cdd. pleriq. P. V. (hic *Muti.*) M. — *hinc Muci iam Alb.* L, (19) Sic Cdd. viginti I. M. L. D. 1. — *mirari* [*satis*] Br. sine uncis Sch. 2. — om. *satis* Cdd. multi. P. Cr. V. G.

modo non[1] inopem, ut vulgo putarent[2], sed locupletiorem etiam esse, quam Graecam. Quando enim nobis, vel dicam[3] aut oratoribus bonis, aut poëtis, postea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae, vel elegantis, ornatus defuit?

IV. Ego vero, quum forensibus operis[4], laboribus, periculis, non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum[5]: debeo[6] profecto, quantumcunque possim, in eo quoque elaborare[7], ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei: nec cum istis tanto opere pugnare, qui Graeca legere malint[8]; modo legant ipsa illa[9], nec simulent: et iis[10] servire, qui vel utrisque literis uti velint, vel, si suas habent[11], illas non magno opere desiderent. 11. Qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent[12], quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet: et tamen qui diligenter haec, quae de philosophia literis mandamus, legere assueverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora. Quid est enim[13] in vita tanto opere quaerendum, quam quum omnia in philosophia, tum id, quod his[14] libris quaeritur, quid[15] sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat ut extremum malorum? Qua de re quum sit inter doctissimos summa[16] dissensio, quis alienum putet[17] eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit, quid[18] in omni[19] munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere? 12. An, *partus ancillae sitne in fructu habendus*, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam, M'[20] Manilium, ab hisque M. Brutus dissentiet; (quod et acutum genus est, et ad usus civium non inutile, nosque ea scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter, et legemus:) haec, quae vitam continent omnem, negligentur[21]? Nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt. Quamquam id quidem licebit iis[22] existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his[23] literis[24] arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis[25] diceretur, persecuti sumus.

---

(1) — om. *non* Cdd. aliq. prob. Lall., quo in errore mysteria saepe quaesiverunt Grammatici. (2) — *putant* e C1d. D. (3) Sic Victorius; optime, saepissime hoc *vel dicam* (potius) et a librariis, et a criticis, praesertim L., corruptum est. — *vel nobis dicam* Cdd. noti. Edd. praeter L. D. Lall., qui de L. Є.: — *ne nobis dicam.* (4) — *operibus* Cdd. aliq. (5) ∞ *videar - - sim* Ern. 1. (*sim* habent O1x. P. Cr. V.) prob. Cens. Heid. (6) — *tum debeo* L. Є. (7) — *laborare* Cdd. multi. P. (8) — *malunt* L. (9) Sic Cdd. aliq. P. Cr., qui ordo saepissime est corruptus in: — *illa ipsa* V. M. L. D. 1. 2. — om. *illa* cum C1d. G. — *ea ipsa* Cdd. aliq. (10) — *his* V. (11) — *habeant* L. (12) *debeant* L. (13) — *enim est* L., ut solebat. (14) — *his* P. V. (15) ∞ *quis* (s. potius *qui*) Cdd. aliq. Cr. V. L. prob. Cens. Heid., non sine probabilitatis specie, quum non tam de definitione v. *finis* agi videatur, h. l.; ut agitur *Lib.* 2. §. 4., quam de eius obiecto. Sed tum praeterea cum L. scribendum: ∞ *quod - - quod.* (16) — *magna* M. L. Grut. 1. (soli ex meis.) (17) ∞ *quid al. putem* Cd. Stephani. V. prob. D. et Ern., qui male affert: *qui.* (18) — *quod* Grut. errore typogr. cum Seqq. praeter Oliv. et Lall. (19) = *omni in* V. (20) ∞ *M. que* V. (21) — *negliguntur* V. (22) — *his* V. (23) — *iis* M. L. (24) ∞ *libris*, ut supra §. 11. C4d. I., ipso, Lamb. Lall. et Rathio probb. (25) — *discipulis* Cdd. aliq. Non est Scalig. Є.

V. 13. Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissima est: quam a nobis sic intelliges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. Verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate autem quondam a L. Torquato, homine omni doctrina erudito, defensa est Epicuri sententia de voluptate; a meque ei responsum, quum C. Triarius, in primis gravis et doctus adolescens, ei disputationi interesset. 14. Nam quum ad me in Cumanum salutandi causa uterque venisset, pauca primo inter nos de literis, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus: Quoniam nacti te, inquit, sumus aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum, non tu quidem[1] oderis, ut fere faciunt, qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitror unum vidisse verum, maximisque erroribus animos hominum[2] liberavisse et omnia tradidisse, quae pertinerent[3] ad bene beateque vivendum: sed existimo, te, sicut nostrum Triarium, minus ab eo[4] delectari, quod ista[5] Platonis, Aristotelis, Theophrasti ornamenta orationis[6] neglexerit. Nam illuc quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur. 15. Vide quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio me istius philosophi non offendit[7]; nam et complectitur verbis, quod vult, et dicit plane, quod intelligam: et tamen a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem. Re mihi non aeque satisfacit[8], et quidem locis pluribus. Sed quot homines, tot sententiae; falli igitur possumus. Quamobrem tandem, inquit, non satisfacit? te enim iudicem aequum puto: modo, quae dicat ille, bene noris. 16. Nisi mihi Phaedrum[9], inquam, mentitum, aut Zenonem, putas, (quorum utrumque audivi, quum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent,) omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt: atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi, quum miraretur[10] ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret; quotidieque inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus: neque erat unquam controversia, quid ego intelligerem, sed quid probarem.

VI. 17. Quid igitur est, inquit? audire enim cupio, quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum[11] totus est alienus. Democrito adiicit[12] perpauca, mutans; sed ita, ut ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille ἀτόμους, quas appellat, id est, corpora individua propter soliditatem, cen-

---

(1) — *quidem tu* V. (2) = *hom. an.* L. (3) Sic L. 1. Br. G. 2. ut *Tusc.* 1, §. 1. — *pertinent* Cdd. mihi noti. P. Cr. V. M. D. Lall. (4) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. G. 2. ∾ *minus eo* Cdd. aliq. V. M. L. D. 1. Br. (5) — *illa* V. (6) Sic Cd. Bas. P. Marsus. v. Madvig I. p. 199. — *orationis ornam.* Ceteri. (7) — *non off. phil.* e Cd. Gud. pr. Sch. 2. Cfr. de h. l. Madvig I. p. 50. (8) — *satisfecit* V. (9) Sic Cd. Mo. Grut. 1. Seqq. — *Hic mihi Ph.* Cdd. aliq. P. — *Hic, nisi mihi Ph.* M. L. — *Nisi tu Ph.* V. D. (10) — *admiraretur* L. (11) — *primum* suspectum D. *propemodum* coniicienti, et Ern. Censor Heid. pro gloss. v. *principio* habebat. Rectius *secundum*, vel *deinde* latere dices in v. §. 18. *illae Epicuri propriae ruinae*, et *principio* (modum prorsus Lucretianum) referri ad divisionem philosophiae in tres partes; cfr. Matthiae p. 97. (12) — *adhaerescit* Cd. Ursini. — *accedit* D. susp. prob. Rhunck. ad *Rutil.* p. *XV*.

set[1] in infinito inani, in quo nihil[2] nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec citimum[3] sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant: ex quo efficiantur ea, quae sint, quaeque cernantur, omnia; eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore, intelligi convenire. 18. Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur. Quamquam utriusque quum multa non probo, tum illud in primis, quod quum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur; alterum, quae vis sit, quae quodque[4] efficiat: de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium: illae Epicuri propriae ruinae: censet enim, eadem illa individua et solida corpora ferri suo deorsum[5] pondere ad lineam: hunc naturalem esse omnium corporum motum. 19. Deinde ibidem homo acutus, quum illud occurreret: si omnia deorsum[6] e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque[7] attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum perpaullum, quo nihil posset fieri minus; ita effici complexiones et copulationes et adhaesitationes[8] atomorum inter se; ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quaeque in eo essent. Quae quum res tota ficta sit[9] pueriliter, tum ne[10] efficit quidem[11] quod vult. Nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim declinare atomum sine causa; quo[12] nihil turpius physico, quam fieri sine causa quidquam dicere[13];) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis: nec tamen id, cuius causa haec[14] finxerat, assecutus est. 20. Nam si[15] omnes atomi declinabunt, nullae unquam cohaerescent; sive[16] aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur: primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur: deinde eadem illa atomorum, (in quo etiam Democritus haeret,) turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici[17], credere aliquid esse minimum; quod profecto nunquam putavisset, si a Polyaeno, familiari suo, geometriam[18] discere maluisset, quam illam etiam ipsum[19] dedocere. Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriaque perfecto: huic bipedalis fortasse; tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paullo aut

(1) Sic distinguunt inter alios Camer. L. 1566. D. 1. Br. Cfr. Censorem Heid. p. 109. — c. *individua*, *propter sol. censet* Crat. Ed. 1584. 1. G. 2. (2) — om. *nihil* M. L. (— *nihil aeque nec s.*, V.) (3) e Cdd. Lall. G. 2. — *extremum* Ceteri. Scil. v. *citimus* utitur Cicero, ubi de rebus spatio comprehensis sermo est, opponitque alteri v. *ultimus*, ut Goethe *hüben und drüben;* contra in *bonorum fini* notione philosophica saepissimo παραλλήλως iungit, non opponit vv. *ultimum* et *extremum* v. c. infra §. 42. Ceterum puto *citimum* e C. esse, sed optimâ. (4) e C2d. G. 2. — *quidque* Ceteri. (5) — *deorsum* h. l. sine causa suspectum G. Cfr. Cens. Heid. (6) — *deorsus* e C1d. D. 2. Tu vide *Heindorf* ad *N. D.* p. 198. (7) — *ita* L. (— *itaque* suspectum Man. Urs. Ern. Lall) (8) Sic Cdd. multi. P. D. 1. G. 2. — *adhaesiones* Cdd. aliq. Cr. V. M. L. Br. (9) — *est* volebat Heind. *N. D.* p. 1. (10) — *tamen non* Cd. Bas. Cr. (11) — om. *quidem* Cdd. aliq. P. V. D. Rhunck. ad *Rutil.* p. 129. (12) — *quum* de Bruti C. Ern. 1. (13) — Haec: *quam fieri - - dicere* de Man. sententia del. L. (— *quidquid* V.) (14) ∾ *hoc* e C2d. D. (15) — *sive* M. L. (16) — *sin* D. C. 1. 2. (17) — *physici est* M. L. (18) ∾ *geometrica* de I. F. Gronovii C. *Obs.* 2, 2. p. 175. edere volebat Br. (19) — om. *ipsum* V.

maiorem, aut minorem. 21. Ita, quae mutat, ea corrumpit; quae sequitur[1], sunt tota Democriti. Atomi, inane, imagines, quae εἴδωλα[2] nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus: infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est: tum innumerabiles mundi, qui et oriantur, et intereant quotidie. Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset[3], nollem vituperatum.

VII. 22. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογικὴ dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis[4] ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit: iudicia[5], rerum in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri[6] et falsi putat. * * * *[7] 23. Confirmat autem[8] illud vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, adsciscat et reprobet, id est[9], voluptatem et dolorem. Ad haec, et quae sequamur, et quae fugiamus[10], refert omnia. Quod quamquam Aristippi est, a Cyrenaicisque melius liberiusque[11] defenditur, tamen eiusmodi esse iudico, ut nihil homine videatur indignius. Ad maiora enim quaedam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest, ut errem: sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet voluptatem corpore[12], aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim[13] propter voluptatem. Quod vero securi percusserit filium[14], privavisse se etiam videtur multis voluptatibus, quum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii. 24. Quid? T. Torquatus[15], is, qui consul cum Cn. Octavio fuit, quum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet, reque ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent, et in conspectum suum venire vetuit[16]: numquid videtur tibi[17] de voluptatibus suis cogitavisse? Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes vo-

---

(1) — *sequuntur* Cd. El. sec. probb. D., Rathio et Cens. Heid. (2) — *idola*, Edd. ante Br. (3) Sic Cdd. plerique P. Cr. V. G. 2. — *est* Cd. El. pr. M. L. D. 1. Br. (4) ∾ *inermus* L. (5) — *iudicium* Br. err. typogr. (6) — *et veri* e Cdd. D. (7) — Ex interpol. inseritur h. l. a Man. L. (qui tamen reprobabat,) et Ern. (qui [ ].): *In tertia vero parte, quae est de vita et moribus, in constitutione finis nil generosum sapit atque magnificum.* (8) ∾ om. *autem* Cd. Stephani. M. Grut. 1. (soli ex meis.) (9) — *id esse* D. susp. prob. Br. (10) — *et quae fug., et quae seq.* M. L. (11) ∾ *uberiusque* V. Memorabilis lectio, a nemine animadversa. (12) e Cdd. G. 2. = *corpore vol.* P. V. D. 1. Br. — *corporis vol.* Cdd. aliq. M. L. (13) — *Vesuvium* Cdd. multi. P. Cr. (14) Sic Cdd. aliq. P. G. V. D. G. 2. = *filium perc.* M. L. 1. Br. (15) Sic Man. Goerenzii, non meus. Ern. 1. Br. G. 2. — *L. Torq.* Ceteri. (16) — *vetaret* Ern. susp. (17) = *tibi vid.* V.

luptates, dolores denique quosvis suscipere malit[1], quam deserere ullam officii partem: ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. 25. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario literae, quid historiae cognitioque rerum[2], quid poëtarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert? Nec mihi illud dixeris: Haec enim ipsa mihi sunt voluptati: et erant illa Torquatis. Nunquam hoc ita defendit Epicurus: neque vero tu[3], aut quisquam eorum, qui aut saperet aliquid, aut ista didicisset. Et, quod quaeritur saepe, cur tam multi sint[4] Epicurei: sunt aliae quoque causae, sed multitudinem hoc[5] maxime allicit, quod ita putant[6] dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem. Homines optimi non intelligunt, totam rationem everti, si ita se res habeat. Nam si concederetur, etiam si ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se esset et virtus, et cognitio rerum, (quod minime ille vult,) expetenda. 26. Haec igitur Epicuri non probo, inquam. De cetero, vellem equidem aut ipse[7] doctrinis fuisset instructior, (est enim, quod ita tibi videri necesse est, non satis politus iis[8] artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur;) aut ne deterruisset alios a studiis. Quamquam te quidem video minime esse deterritum.

VIII. Quae quum dixissem, magis ut illum provocarem, quam ut ipse loquerer: tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum paene e philosophorum choro sustulisti. Quid ei[9] reliquisti, nisi te, quoquo modo loqueretur[10], intelligere, quid diceret? Aliena dixit[11] in physicis, nec ea ipsa, quae tibi probarentur. Si quae[12] in his[13] corrigere voluit, deteriora fecit. Disserendi artem nullam habuit. Voluptatem quum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit: deinde hoc quoque alienum. Nam ante Aristippus, et ille melius[14]. Addidisti ad extremum, etiam indoctum fuisse. 27. Fieri, inquam, Triari[15], nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet[16] Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret? quum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quamobrem dissentientium[17] inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum[18] iracundiae[19], contentiones concertationesque in dispu-

---

(1) Locus corruptus videbatur D., qui [ ] v. *dolores - - partem.* et Br., quos vide. Cfr. G. et Cens. Heid. (2) — *quid historiae cognitio*, *cognitioque rerum* Br. susp. — *quid cognitio rerum* G. 2. €. neutiquam certa. Quidni: *quid historia, cognitioque r.?* si tamen quicquam mutandum. Nam *historiae* nom. plur. significabit ποικίλην ἱστορίαν. (3) Sic Cdd. aliq. P. M. L. D. Lall. G. 2. — *neque vero tu*, *Triari* Cr. V. 1. — *n. v. tu*, *Torquate* Br. €. (4) cum Cdd. L. D. Seqq. — *sunt* Edd. ante L. item Grut. (5) ∞ *haec* Cdd. aliq. P. (prob. G.) (6) Sic Cdd. aliq. non improb. Br. — *putat* Edd. (= *dici putat* L.) (7) — *ille ipse* V. (8) — *his* V. (9) ∞ *quid enim ei* M. L. (10) e Cdd. Grut. Seqq. sicque volebat Mo. ∞ *nisi id*, *te*, *quoquo modo loq.* M. — *nisi te*, *quoquo id modo loq.* L. Br. (hic *id* [ ].) — *nisi te quoque*, *ut id modo loq.* P. Cr. V. (11) e Cdd. D. 1. G. 2. ∞ *dicit* Ceteri, etiam Br., qui defendit. (12) Sic cum Cdd. Grut. Seqq. — *sed si quae* Priores, etiam V. M. L. (= *qua* Multi: v. c. P. V. L. D. 1. 2.) (13) ∞ *iis* V. (14) — *melius. Etenim quoniam* (*quasi* V.) *detractis de homine sensibus *addidisti* Cdd. aliq. P. V. Sustulerunt hunc errorem Marsus, Crat. Mo. M. L. (15) cum Cdd. D. 2. — *o Triari* Ceteri, etiam G. (hic invitus.) (16) — *prohibet* V. (17) Sic Cd. Mo. V. Grut. Seqq. — *disserentium* P. Cr. M. L. (18) — om. *tum* L. (19) ∞ *iracundae cont.* Marsus. De L. susp. D.

tando[1] pertinaces, indignae philosophia mihi[2] videri solent. 28. Tum[3] Torquatus, Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia, aut pertinacia, recte disputari[4] potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An[5] me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse? Utrum igitur, inquit[6], percurri omnem Epicuri disciplinam placet: an de una voluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo, eamque maximam. De physicis alias, et quidem tibi et declinationem istam atomorum, et magnitudinem solis probabo, et Democriti errata ab Epicuro reprehensa[7] et correcta permulta. Nunc dicam de voluptate; nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero; tibique, si mihi probabis[8] ea, quae dices, libenter assentiar. 29. Probabo, inquit: modo ista sis aequitate, quam[9] ostendis. Sed uti oratione perpetua malo, quam interrogare, aut interrogari. Ut placet, inquam. Tunc dicere exorsus est.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam[10], ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid, et quale sit id, de quo quaerimus: non quo[11] ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit extremum, quid[12] ultimum bonorum; quod, omnium philosophorum sententia, tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat: ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit; quod summum bonum esse vult[13], summumque malum, dolorem[14]. Idque instituit docere sic: 30. Omne animal, simul atque natum sit, voluptatem appetere, eaque gaudere ut summo bono; dolorem aspernari, ut summum malum, et, quantum possit, a se repellere: idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. Itaque negat opus esse ratione, neque[15] disputatione, quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportere[16] exquisitis rationibus confirmare[17]; tantum[18] satis esse admonere; interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis, et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera, occulta quaedam et quasi involuta aperiri; altera, prompta et aperta indicari[19]. Etenim quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est: necesse est[20], quid aut ad[21] naturam, aut contra sit, a natura ipsa iudicari[22]. Ecquid percipit, ecquid

---

(1) — om. *in disputando* Cdd. aliq. G. (D. [ ].) (2) = *mihi phil.* M. L. D. 1. 2. (non P. V.) (3) e Cdd. G. = *Tunc* Ceteri. (4) — del. *disputari* cum Cdd. aliq. G. Refutaverunt Censor Heid. et Sch. (5) e Cdd. D. 2. — *At* Ceteri. (6) Sic e C3d. D. — om., ut fit, *inquit* Ceteri. (7) — *deprehensa* Br. susp. (8) ∞ *probaveris* Cdd. aliq. (prob. G.) (9) — *qua* V. (non Iuntina 1516.) prob. lac. Gron. (10) = *agam sic* P. M. L. (11) = *quod* L. (12) — *et* cum Cdd. aliq. D. (13) ∞ Haec: *quod — — vult* cum C2d. om. Sch. 2. D. eadem [ ]. (14) ∞ *in dolore* D. C. 2. prob. totam hanc l. etiam Censor Heid. (15) — *atque* Ern. susp. (16) Sic Marsus. M. L. D. 1. Br. 2. — *oporteret* Cdd. pleriq. P. Crat. (errat G.) V. (17) — *confirmari* Ern. 1. C. (18) — *tantum* sine causa del. censebat Ern. (19) Sic V. M. L. 2. prob. Cens. Heid. „Animadversione atque admonitione res *indicantur* dumtaxat, non *iudicantur*." — *indicari* P. Cr. D. 1. Br. G. (20) — *necesse esse* D. et Ern. susp. (21) — *secundum* e gloss. Cdd. aliq. M. L. — *ad naturam aptum* de Pearcii C. Lall. (22) Hic e seqq. intrudunt Cdd. aliq. P. Cr. M. L.:

indicat[1], quo aut petat, aut fugiat[2] aliquid, praeter voluptatem et dolorem? — 31. Sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius velint tradere, et negent satis esse, quid bonum sit, aut quid malum, sensu iudicari, sed animo etiam ac ratione intelligi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam, et dolorem ipsum per se esse[3] fugiendum. Itaque aiunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum, sentiamus. Alii autem (quibus ego assentior,) quum a philosophis compluribus permulta dicantur[4], cur nec voluptas in bonis sit numeranda, nec in malis dolor, non existimant oportere nimium nos causae confidere, sed et argumentandum, et accurate disserendum, et, rationibus conquisitis, de voluptate et dolore disputandum putant.

X. 32. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus sit error[5] voluptatem accusantium doloremque laudantium, totam rem aperiam: eaque ipsa, quae ab illo inventore veritatis et quasi architecto beatae vitae dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit; sed quia consequuntur[6] magni dolores eos, qui ratione[7] voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit: sed quia nonnunquam eiusmodi tempora incidunt[8], ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam[9] nihil molestiae consequatur; vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? 33. At vero eos et accusamus, et iusto[10] odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti, quos dolores et quas[11] molestias excepturi sint[12], occaecati cupiditate non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. Nam libero tempore, quum soluta nobis est eligendi optio, quumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat[13], facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus[14]. Temporibus autem quibusdam, et[15] aut officiis debitis, aut rerum necessitatibus,

---

voluptatem etiam et per se expetendam esse, et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Non habent ista Cd. Mo. V. D. Seqq.

(1) Sic dedi cum G., nisi quod hic *praecipit* cum Cdd. aliq. P., quod tamen hic locum non habet, ut vidit Censor Heid. Prius *ecquid* praebet Marsus. Id autem ubique fere corruptum, ut h. l. in: — *Et quid* P. — *En quid* Cr. V. — ∞ *Ea quid* e Cod. Grut. D. 1. 2. — *Etenim quid* Margo Crat. M. L. — *At quid* Cd. Ursini. — *At ea quid* Br. C. Pro altero *et quid:* ∞ *aut quid* P. V. D. cum Cdd. (2) — *aut fugiat, aut petat* G. solus. (3) — om. *esse* L. (4) Sic Cr. V. Grut. Seqq. — *quum -- dicuntur* P. M. ∞ *quoniam -- dicuntur* L. (Pro *compluribus:* — *tamen pluribus* V. — *tamen compluribus* Cd. Steph.) (5) = *error natus sit* M. L. (6) ∞ *consequantur* V. (7) ∞ *recte* Cd. Spir. (8) = *incid. temp.* M. L. (9) cum Cdd. L. Seqq. — *qua* Cdd. pleriq. Edd. ante L., quod frustra defendunt Matthiae p. 101. et Cens. Heid. (10) — *multo* Cdd. aliq., ut Bentl. volebat. Idem susp. *summo*. (11) — om. *et* M. — *quasque* L. (12) — *sunt* V. (13) — *placet* V. (14) cum Cdd. aliq. L. Ern. 1. G. 2. — *depell.* Ceteri, etiam P. V. M. Br. (15) ∞ om. *et* M. L., ut volebat Br.; apud quem vide Variorum C.

saepe eveniet[1], ut et voluptates repudiandae sint, et molestiae non recusandae. Itaque earum[2] rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut[3] reiiciendis voluptatibus maiores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat. 34. Hanc ego quum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paullo ante quum[4] memoriter, tum etiam erga nos amice et benevole collegisti. Nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti[5], nec segniorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quemadmodum, quaeso, interpretaris? Siccine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse[6], aut in liberos atque[7] in sanguinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de voluptatibus[8], nihil ut de commodis suis cogitarent? At id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant atque turbent[9], ut, earum motus et impetus quo pertineant, non intelligamus[10]. — 35. Tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? — Quae fuerit causa, mox videro: interea hoc tenebo: si ob aliquam causam ista, quae sine dubio praeclara sunt, fecerint, virtutem his ipsam per se[11] causam non fuisse. — Torquem detraxit hosti. — Et quidem se texit, ne interiret. — At magnum periculum adiit. — In oculis quidem exercitus. — Quid ex eo est consecutus[12]? — Laudem et caritatem: quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. — Filium morte multavit. — Si sine causa; nollem me ab eo ortum, tam importuno tamque crudeli. Sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam, exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret; saluti prospexit civium, qua intelligebat contineri suam. 36. Atque haec ratio late patet. In quo enim maxime consuevit iactare vestra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua persequeris, claris et fortibus viris commemorandis, eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore, laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiscendarum causa, aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.

XI. 37. Sed de clarorum hominum factis illustribus et gloriosis satis hoc loco dictum sit. Erit enim iam de omnium virtutum cursu ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis[13] imperitorum: intelligaturque ea, quae voluptaria, delicata, mollis habeatur disciplina, quam gravis, quam continens, quam severa sit. Non enim hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam movet, et cum iucunditate

(1) ∾ *evenit* Iu. Cr. V. L., ut volebat Ern. (non P. M.) (2) — *harum* M. L (3) — *aut ut*, quod defendit Wopkens p. 33., in nulla mearum reperi. Non debetur igitur Lambino *ut aut*. (4) = *tum* Cdd. multi. P. M. L. (5) — *corripuisti* Cdd. multi. P. Refellit iam Mo. (6) — *hostem irruisse* Br. err. typogr. (7) e Cdd. G. 2. — *aut in s.* Edd. ante D. — *et in s.* D. €. 1. ∾ [*aut in liberos,*] *aut in s.* Br. €. (8) Sic Iu. €., ut videtur, sed certissima. (vide Br.) Crat. L. Br. — *utilitatibus* Ceteri. (9) Sic V. cum Cdd. aliq. v. c. Morelii. — *itaque turbent* e Lambini Cdd. Grut. D. 1. Br. — *atque turbentur* Cdd. pleriq. P. G. 2. (— *itaque turbentur* Cr.) Vide Br. et Cens. Heid. (10) — *intelligantur* e Cod. Br. (11) — *per se ipsam* Cdd. aliq. Marsus. M. L. (12) Sic Cdd. aliq. P. V. G. 2. = *cons. est* M. L. D. 1. Br. (13) = *omnis error* V.

quadam percipitur sensibus: sed maximam illam voluptatem habemus, quae percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne[1], quo offendimur, dolor: doloris omnis privatio recte nominata est[2] voluptas. Ut enim quum cibo et potione[3] fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis: sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. 38. Itaque non placuit Epicuro, medium esse quoddam[4] inter dolorem, et voluptatem: illud enim ipsum, (quod quibusdam medium videtur,) omni dolore carere[5], non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse, aut in dolore. Omnis[6] autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit. 39. At etiam Athenis, ut e[7] patre audiebam, facete et urbane Stoicos ridente[8], statua est in Ceramico Chrysippi sedentis, porrecta manu; quae manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum[9]: *Num quidnam manus tua*[10] *sic affecta, quemadmodum affecta nunc est, desiderat? Nihil sane. At, si voluptas esset bonum, desideraret? Ita credo. Non est igitur voluptas bonum.* Hoc ne statuam quidem dicturam[11] pater aiebat, si loqui posset. Conclusum est enim contra Cyrenaicos satis acute: nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur[12]: nec manus esse contenta posset ulla[13] vacuitate doloris sine iucundo motu voluptatis. Sin autem summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere: primum tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil desiderare manum, quum ita esset affecta: secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam. Idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore caret, id in voluptate est[14].

XII. 40. Extremum autem esse bonorum voluptatem, ex hoc facillime[15] perspici potest. Constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis

---

(1) Cum Cdd. P. L. D. G. 2. — *omne id* V. (errat D.) 1. Br. (2) = *est n.* V. (3) = *potioneque* V. (4) e Cdd. G. 2. — *quiddam* Ceteri praeter P., qui: ∞ *quidquam.* (5) de Morelii et Man. susp. L. Br. (C1d. Gronovii et Cd. Morelii omittebant *quum*) — *quum omni dolore careret* e Cdd. G. 2. — *quum omni dolore caret* Ceteri; quae D. []. (6) „Verba Epicuri ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις indicant, hic pro *omni* leg. esse *omnis.*" Mo. Huius emend. recepere L. D. Seqq. — *omni* Cdd. Edd. ante L. (7) cum Cdd. aliq. Cr. V. G. 2. — *a p.* P. M. L. D. 1. Br. (8) e Cd. Spir. G. 2. — *arridente* Cdd. pleriq. P. Cr. V. — *irridente* M. L. D. 1. Br. (9) Sensus est: statuarius significare voluit, Chrysippum saepe magno opere sibi placuisse in rogatiuncula a se callide excogitata identidem adversariis proponenda. Et *delectari in aliqua re* aliquoties exquisite Cicero, quocirca non est, cur hoc interpolatoribus deberi censeamus. — del. *in* L. — v. *delectatum* G. []. del. Sch. 2., id quod significat, eum semel omnino ita interrogasse, idque temporis punctum, in quo ea rogatiuncula occupatus esset, effictum esse ab artifice. (10) — de Bentl. susp. Br. [] *tua.* (11) — *dicturam quidem* P. Marsus. — del. *quidem* cum C1d. Leid. de Rhunck. sententia ad *Rutil.* p. 129. Sch. 2. (12) — *allaberetur* L. 1566. prob. D. (13) — *illa* Guliel. susp. non improb. Br. (14) — *id est in vol.* Br. sine auctoritate. (15) cum Cdd. P. V. D. G. 2. — *facile* M. L. 1. Br.

fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente: quem tandem hoc statu praestabiliorem[1], aut magis expetendum possumus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem, nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse; ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio[2] consoletur. 41. Ad ea quum accedit, ut neque divinum numen horreat, nec[3] praeteritas voluptates effluere patiatur, earumque assidua recordatione laetetur: quid est, quod huc possit, quod melius sit, accedere[4]? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore levius aliquando, nulla praeterea[5] neque praesenti, neque exspectata voluptate: quid eo miserius dici, aut fingi potest? Quod si vita doloribus referta, maxime fugienda est: summum profecto malum est vivere cum dolore. Cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere[6]. Nec enim habet nostra mens quidquam[7], ubi consistat, tamquam in extremo: omnesque et metus, et aegritudines, ad dolorem referuntur: nec praeterea est res ulla, quae sua natura aut sollicitare[8] possit, aut angere[9]. 42. Praeterea et appetendi, et refugiendi, et omninò rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate, aut a dolore. Quod quum ita sit, perspicuum est, omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vivatur. Quoniam autem id est vel summum bonorum[10], vel ultimum, vel[11] extremum, (quod Graeci τέλος nominant,) quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes: fatendum est, summum esse bonum, iucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt, et[12], splendore nominis capti, quid natura postulet, non intelligunt: errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur[13]. Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes, nisi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabiles, aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus; et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur: sic sapientia, quae ars vivendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret[14]; nunc

---

(1) ∞ *aut praest.* M. L. (2) Cfr. Beier *Offic. T.* 2. p. 411. Vide, ne verum sit: ∞ *levatio* cfr. *Epp. ad Div.* 9, 1. (3) = *neque* L. (4) Sic Cdd. aliq. P. Cr. V. D. 1. Br. Rectissime, ut saepe Latini, *accedit huc* v. c. Columella, 2, 4, 7. — *huic -- accedere*, e prava correctione Cdd. aliq. Marsus; sicque volebat L. in curis posteriorib. — *huic -- accidere* M. L. 1566. G. 2. Sed inanem istum lusum inter verba *accedere* et *accidere* sapienter sane ipse vitarat Tullius: praesertim, quum *contingendi*, vel etiam *eveniendi* verbum ita longe aptius fuisset. Recte vero repetitur *accedere*. (5) Sic Cdd. aliq. P. (om. tamen *nulla*) Margo Crat. Cd. Morelii, qui commendat, prorsus ut Man. (M. Є.) Grut. D. Seqq. ∞ *nullae praeterita* Cr. V. M. in contextu. L. ∞ *nulla praeterea nec praeterita*, *neque exspectata* cet. Cens. Heid. susp. Non male. Ceterum *neque -- neque* cum Cdd. V. D. G. 2. = *nec -- nec* Reliqui. (6) — Haec: *Cui -- vivere* D. [ ] de Bentl. et Walk. susp. prob. Cens. Heid. (7) — *aliud quidquam* L. Є. prob. D. (8) — *quae aut sua sede naturam soll.* e Cdd. interpol. L. (9) Sic V. D. Seqq. — *tangere* Cdd. pleriq. P. Cr. — *frangere* M. L. (10) cum Cdd. P. Cr. V. D. Br. G. 2. — *bonum* M. 1. — om. *bonorum* cum Cd. Mo., ut Morelius volebat, L. (11) — *et* V. (12) — del. *et* Ern. 1. Є. (13) — *liberantur* P. M. L. (14) — *afferret* Br. err. typogr.

expetitur, quod est tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. 43. Quam autem dicam[1] voluptatem, iam videtis; ne invidia verbi labefactetur oratio mea. Nam quum ignoratione rerum bonarum et malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem et voluptatibus maximis saepe priventur, et gravissimis[2] animi doloribus torqueantur: sapientia est[3] adhibenda, quae et terroribus cupiditatibusque detractis, et omnium falsarum opinionum temeritate derepta[4], certissimam se nobis ducem praebeat ad voluptatem. Sapientia est enim[5] una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat: qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt[6] insatiabiles: quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt; totam etiam labefactant saepe rem publicam. 44. Ex cupiditatibus odia, dissidia[7], discordiae, seditiones, bella nascuntur. Nec hae sese foris solum iactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici, ut sapiens solum[8], amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus, sine aegritudine possit et sine metu vivere. 45. Quae est enim aut utilior, aut ad bene vivendum aptior partitio, quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent et naturales, et necessariae; alterum, quae naturales essent, nec tamen necessariae; tertium, quae nec naturales, nec necessariae; quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa, nec impensa expleantur. 46. Ne[9] naturales quidem multa desiderant, propterea quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit[10], et parabiles, et terminatas habet. Inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri potest.

XIV. Quod si vitam omnem perturbari videmus[11] errore et inscientia[12]: sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et a[13] formidinum terrore vindicet, et ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias, et omnes monstret[14] vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant: quid est, cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptatem expetendam, et insipientiam propter molestias esse fugiendam? 47. Eademque ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat, et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim[15], quae in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut[16] sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum, non faciendumve sit: sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem, quod tenere atque

---

(1) ∞ *ego dicam* Cdd. aliq. (2) Sic L. E. 1. G. 2. ∞ *durissimis* cum C1d. D. Lall. — *pravissimis* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. — *purissimis* Cdd. alii. (3) — om. *est* Cdd. aliq. prob. G. (4) Sic L. Br. G. — *direpta* P. Cr. V. M. — *dempta* e C3d. D. 1. 2. prob. Rhunck. ad *Muret.* T. I. p. 28. (5) e Cdd. G. = *enim est* Ceteri. (6) = *sunt enim* Beier *Offic.* T. 2. p. 15. (7) — *discidia* P. L. in m. 1584. Grut. (8) — *solus* de D. susp. Ern. 1. (9) — *nec* Sch. 2. err. typogr. (10) — *est* M. L. (11) — *videamus pert.* M. — *videmus pert.* L. (12) — *inscitia* P. Cr. V. M. (13) e Cdd. D. Br. G. 2. — om. *a* Ceteri. (14) Sic Cdd. aliq. (etiam Mo.) Grut. Seqq. — *doceat* Cr. V. M. L. — om. verbum Cdd. aliq. P. (15) — *enim est* L. (16) — *ut rat.* V.

servare id, quod statuerunt[1], non possunt, victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec, quid eventurum[2] sit, provident, ob eamque causam propter voluptatem et parvam, et non necessariam, et quae vel aliter pararetur, et qua etiam carere possent sine dolore, tum[3] in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt: saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur. 48. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur; et qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum: hi voluptatem maximam adipiscuntur, praetermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter[4] se fugiendam esse, temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

XV. 49. Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio, neque perpessio dolorum, per se ipsa allicit: nec patientia, nec assiduitas[5], nec vigiliae, nec ea ipsa[6], quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem[7]: sed ista sequimur, ut sine cura metuque vivamus, animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur; et ut succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque[8] ferre miserum est, ob eamque debilitatem animi multi parentes[9], multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt: sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, [quum[10]] et mortem contemnit; (qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati:) et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis[11], mediocrium nos esse dominos: ut, si tolerabiles sint, feramus; sin minus[12], aequo animo e vita, quum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine: sed illas reiici, quia dolorem pariant; has optari, quia voluptatem.

---

(1) ∞ *quod ipsi st.* Cdd. aliq. (2) Sic Cdd. aliq. Margo Cr. L. Seqq. — *proventurum* Cdd. pleriq. P. V. M. ∞ *porro eventurum* Cd. s. Є Ursini. prob. G. (3) = *quum* L. (4) — *per* O2x. E. ξ. interpolati. (5) Sic Cdd. potiores Goerenzii. M. L., — *assiduitates* Ceteri. Pluralis num. ortus est e v. *vigiliae.* (6) ∞ om. *ea* Cdd. aliq. G. 2. Sensus est: „nec ipsa industria in laudabilibus rebus collocata." Est scilicet alia quoque industria pravis in rebus obtinendis occupata; cetera, etiam *assiduitas*, ad honesta semper referuntur. Sic vix carere possumus pron. *ea.* Aliter quum interpretatus h. l. esset G., cessit auctoritati Cdd. suorum. (7) Suspecta haec: *ne f. quidem* Censori Heid. ∞ *nec* Cdd. aliq. P. Iu. Vide ne leg. sit: *nec ea quae laudatur industria, ne ipsa fortitudo quidem.* (8) — *imbecillique* Br. err. typogr. (9) — *parentes reliquerunt* P. Iu. V. (non Cdd. Goerenzii, non Cr. M. L. cet.) (10) *et* h. l. pro *etiam* positum maximas movere debet difficultates; quocirca facio cum P. (Ven. 1480.) *quum* illud molestum omittente. Inculcatum est ab iis, qui in hac propositione causam quaererent, cur quis liber esset omni cura et angore. Alia ratione Victorius (Victoriana enim semper est Veneta Camerarii) sine dubio e Cd. interpolato, nam e Є iste talia non audebat, loco corrupto ut mederetur, reposuit: — *cura, et rigore animi etiam mortem c.* (11) — *quietis* P. M. L. (12) — *si minus* Cdd. multi, P. Iu. G. 2.

XVI. 50. Iustitia restat, ut de omni virtute sit dictum; sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam[1], fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possint: sic de iustitia iudicandum est; quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper *allicit[2], quum[3] vi sua atque natura, quod[4] tranquillet animos: tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non[5] depravata desideret[6]. Et[7] quemadmodum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant, et semper sollicitant, turbulentaeque sunt: sic *iniustitia cuius in mente consedit[8], hoc ipso, quod adest, *turbulenta *est: si vero[9] molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen id confidet[10] fore semper occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur; deinde sermo atque fama; tum accusator; tum iudex[11]: multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt. **51.** Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam[12] saepti esse et muniti videntur, deorum tamen[13] horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies[14] exeduntur, a diis immortalibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis[15] factis ad minuendas vitae molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas, quum[16] conscientia factorum, tum poena legum, odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est, neque honoris, neque imperii, nec[17] libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum: quas nulla praeda unquam improbe parta minuit, sed auget potius atque inflammat[18], ut coërcendi magis, quam dedocendi esse videantur. **52.** Invitat igitur vera ratio

---

(1) = *temp.*, *sap.* V. (2) Sic de Cens. Ienensis et Rathii € G. 2. — *alit aliquid*, *quod* Cdd. aliq. Edd. ante G. omnes. Alii apud Cens. Ien.: — *alid it;* alii: — *alti : : id;* alii Goerenzii simpliciter *aliquid.* — *agit aliquid* Margo 1584. Rursus Ern. susp. (3) e Cdd. G. 2. = *tum* Ceteri. (4) — *quo* G. susp. inanis. (5) cum Cdd. L. Grut. D. 1. G. 2. (*nondum* C1d. Davisii.) — om. *non* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. Br. Hic cum Cens. Heid. accessit sententiae Pantagathi, Man. et Mureti, *depravata* scil. „ista sunt", toti loco adscriptum a Critico, in contextum esse inculcatum. Ingeniosa erat suspicio; vide tamen G. et cfr. §. 30. (6) e Cdd. Grut. D. 1. Br. 2., ut §. 63. ∾ *desiderat* P. V. M. L. G. (7) Sic iam Lamb. Rursus de Matthiae €. G. 2. — om. *et* Ceteri. (8) Sic Cd. vel € Ursini. Br. cum [ ]. Sine [ ] G. 2. Paullo aliter iam L.: = *Cuius in mente iniustitia consedit.* — om. *iniustitia* Cdd. nunc noti. V., et cum defectus signo Grut. D. 1. Scil. vel errore, vel scripturae compendio abierat in v. *iustitia*; quod quum ineptum viderent, deleverunt. (— *quum vis in mente c.* de Gronovii € Lall.) (9) Sic Censor Heid. — *turbulenta: et si vero* G. cum Cdd. — *turbulenta: si vero* Sch. 2. €. — *turbulenta non potest fieri* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. D. 1. — *turbulenta non potest non fieri* L. Lall. Br. Hic alterum *non* cum [ ]. (— *et si vero impietas mol.*, e praepostero supplemento, P. Cr.) (10) e Cdd. G. 2. = *conf. id.* Ceteri. (11) ∾ *index* C1d. saltem. L. Lall. Non adeo inepte: accusator enim crimina tantum profert; index, argumenta et conscientiam. Sed h. l. tolerari omnino nequit, quum subsequatur alia ἀντίθεσις, immo gradatio, *indicaverunt.* (12) Sic Cdd. aliq. P. Grut. Seqq. — *quod si qui satis opibus hominum sibi contra c.* Cr. V. M. L. (— om. *et muniti* Cd. Mo.) (13) — *d. tamen numen h.* Ascens. Cr. L. (non Man., ne Victorius quidem, ut ait Grut.; sed habet *numen* Rob. Stephanus: cuius editionem, Victorianam fideliter referre qui credunt, errant.) (14) cum Cdd. M. L. 1. G. 2. ∾ *noctesque diesque* Cdd. pleriq. P. Cr. V. D. Br. (15) — *improbe* Ern. € 1. (16) = *tum* L. 2. (17) ≖ *neque* L. (18) — *minuit; potius inflammat* Cdd. aliq. Grut. 1.

bene sanos ad iustitiam, aequitatem, fidem. Neque[1] homini infanti, aut[2] impotenti, iniuste facta conducunt; qui nec facile efficere possit, quod[3] conetur, nec obtinere, si effecerit: et opes vel fortunae, vel ingenii, liberalitati magis conveniunt; qua qui utuntur[4], benevolentiam sibi conciliant, et, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem; praesertim quum omnino nulla sit causa peccandi. 53. Quae enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla[5] iniuria: quae autem inanes sunt, his parendum non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa iniuria detrimenti est, quam in iis[6] rebus emolumenti, quae pariuntur iniuria[7]. Itaque ne iustitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi et carum esse iucundum est propterea, quia tutiorem vitam et voluptatem efficit pleniorem. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus: sed multo etiam magis, quod cuius in animo versatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere. 54. Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exsultat oratio, reperire potest exitum, nisi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem est sola, quae nos vocet ad se et alliciat suapte natura: non potest esse dubium, quin id sit summum atque extremum bonorum omnium, beateque vivere nihil[8] aliud sit, nisi cum voluptate vivere.

XVII. 55. Huic certae stabilique sententiae quae sint coniuncta, explicabo brevi. Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est, in voluptate, aut in dolore: sed in his[9] rebus peccant, quum, e quibus haec efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. Itaque concedo, quod modo dicebas, cadere causa[10], si qui e nostris aliter existimant[11]; quos quidem video esse multos, sed imperitos: quamquam autem et laetitiam nobis voluptas animi[12], et molestiam dolor afferat: eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore et ad corpus referri, nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates, et dolores animi, quam corporis. Nam corpore nihil, nisi praesens, et quod adest, sentire possumus: animo autem, et praeterita, et futura. Ut enim aeque doleamus animo, quum corpore dolemus: fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum[13] nobis opinemur[14]. Quod idem licet transferre in voluptatem; ut ea[15] maior sit, si nihil tale metuamus. 56. Iam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem, aut molestiam plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, quam eorum utrumvis, si aeque diu sit in corpore. Non placet autem, detracta voluptate, aegritudinem statim consequi, nisi in

(1) — *nam neque* Sch. 2. tacite. (2) eum Cdd. aliq. Cr. V. L. D. G. 2. — *atque* Cdd. aliq. P. M. 1. Br. (Pro *infanti* D. volebat *infami*, sicque e Cod. Regio Lall., Matthiae *intemperanti*.) (3) ∞ *id quod* V. (4) — *utantur* V. (5) — om. *ulla* Cdd. aliq. Marsus. (6) — *his* P. V. G. 2. (7) Sic V. D. Seqq. = *iniuria par.* P. M. L. (— *pariantur* Br. err. typogr.) (8) = *nil* V. (9) — *iis* Cdd. aliq. (10) — *eos cadere causa* L. solus. — *cadere causam* L. susp. — *cedere causae* Cdd. multi. P. (11) — *existiment* V. tum Ern. C. 1. Br. (12) — del. *animi* censebat Rath. (13) — *malorum* Grut. solus, err. typogr. (14) — *arbitremur* Br. err. typogr. (15) — om. *ea* Cdd. aliq. Mars. — *eo* Br. susp.

voluptatis locum dolor forte successerit: at contra, gaudere nosmet omittendis[1] doloribus, etiam si voluptas ea, quae sensum moveat, nulla successerit: eoque[2] intelligi potest, quanta voluptas sit non dolere[3]. 57. Sed ut iis bonis erigimur, quae exspectamus: sic laetamur iis[4], quae recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur: sapientes bona praeterita, grata recordatione renovata, delectant. Est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus, et secunda iucunde ac suaviter meminerimus. Sed quum ea, quae praeterierunt, acri animo et intento[5] intuemur, tum[6] fit, ut aegritudo sequatur, si illa mala sint; laetitia, si bona.

XVIII. O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Quum enim certe nihil homini possit melius esse[7], quam vacare omni dolore et molestia, perfruique maximis et animi, et corporis voluptatibus: videtisne[8], quam nihil praetermittatur, quod vitam adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste iusteque vivatur: nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. 58. Neque enim[9] civitas in seditione beata esse potest[10], nec in discordia dominorum domus: quo minus animus a se ipse dissidens[11] secumque discordans, gustare partem ullam liquidae voluptatis et liberae poteat; atque[12] pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli potest[13]. 59. Quod si corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri necesse est! Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes[14] divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam[15] voluptatum. Accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui animos exedunt[16] conficiuntque curis hominum non intelligentium, nihil dolendum esse animo[17], quod sit a dolore corporis praesenti futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat: nemo igitur eorum non miser[18]. 60. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalo, semper impendet; tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse nunquam potest. Praeterea bona praeterita non meminerunt, praesentibus non fruuntur; futura modo exspectant, quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore, et metu: maximeque cruciantur, quum sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriae. Nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiendi spe inflammati multos labores magnosque susceperant. 61. Ecce autem alii minuti et angusti, aut[19] omnia semper desperantes, aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi[20],

(1) — *amittendis* Ern. susp. (2) — *eo* P. M. (3) Sic Cdd. aliq. Grut. 1. Br. G. 2. — *non dolere sit* P. Cr. V. M. D. (4) — *his* — *his* P. V. G. 2. (5) Sic Cd. optimi Goerenzii. — *attento* Ceteri. (6) e Cdd. G. 2. — *tunc* Ceteri. (7) = *esse melius* Cd. Bas. (8) — *videtis* Cd. Spir. (9) — om. *enim* Cdd. aliq. (10) = *potest esse b.* V. (11) — *a se ipso dissidens ipse* Ed. 1584. sola ex meis. (Errat G.) (12) e Cdd. G. 2. ut volebat Br. — *atqui* Ceteri. (13) ∞ Hoc *potest* G. [ ]. Del. Sch. 2. (14) cum Cdd. M. L. 1. Br. G. 2. — *immanes* Cdd. aliq. P. Cr. V. D. (15) — om. *etiam* L. solus. (16) = *exed. animos* Cdd. aliq. (17) — *omnino* Cd. Stephani. V. (18) e Cd. Ursini D. G. 2. — *est eorum non m.* 1. Br. — *est non m.* Edd. ante D. (19) ∞ *et* e Nonio p. 345. D. (20) — *lucifugae* Ern. susp.

maledici, monstrosi[1]: alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti, alii petulantes[2], alii audaces, protervi[3], iidem[4] intemperantes et ignavi, numquam in sententia permanentes; quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus, neque sapientium[5] non beatus. Multoque hoc melius nos veriusque, quam Stoici. Illi enim negant bonum quidquam esse[6], nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine: virtutem autem nixam[7] hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

XIX. 62. Sed possunt haec quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus[8] inducitur: finitas habet cupiditates; negligit mortem; de diis immortalibus sine ullo metu vera sentit; non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate[9]. Neque enim tempus est ullum, quo non plus habeat voluptatum, quam dolorum. Nam et praeterita grate meminit, et praesentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea quamque iucunda: neque pendet ex futuris, sed exspectat illa, fruitur praesentibus: ab iisque[10] vitiis, quae paullo ante collegi, abest plurimum: et, quum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autem, si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod[11] gaudeat, quam quod angatur. 63. Optime vero[12] Epicurus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sapienti, maximasque ab eo[13] et gravissimas res consilio ipsius[14] et ratione administrari: neque[15] maiorem voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse, quam ex hoc percipiatur, quod videamus[16] esse finitum. In dialectica autem[17] vestra nullam vim existimavit esse nec ad melius vivendum, nec ad commodius disserendum. In physicis plurimum posuit[18]. Ea scientia et verborum vis et natura orationis, et consequentium repugnantiumve

---

(1) Sic Cdd. omnes: item Nonius l. l. ∾ *morosi* L. Є. ingeniosa, probb. Br. et Matthiae, G. 2. Reiicit Davisius, contra quam dicit Ern. Recepissem ego quoque, nisi maxime propter v. *lucifugi* hoc totum e comico aliquo desumptum putarem. Apud talem autem voc. *monstrosi*, quod cetera fere complectitur significatque homines portentosos, intolerabiles omnino, minus offendere debet. (2) — *alii appetendo omnia pet.* Cr. (3) ∾ *alii protervi* L. (4) ∾ *item* Br. susp. (— *alii item* Sch. susp.) — *itemque* Ed. vetus apud Verburg. — *id est intemp.* Cid. Paris. P. (5) = *sapientum* V. M. L. D. 1. Br. ut §. 70. omnes. (6) — *illi negant enim* om. *esse* Cd. Erl. Gud. sec. — *negant esse* Cd. Bas. Cr. (sed haec; *negant esse b. q. esse*) — *illi negant enim, esse b. q.* G. susp. (7) — *innixam* O2x. (8) — *beatus semper* M. L. (9) — *in vol. est* M. L. (10) — *hiisque* V. — *hisque* Cdd. multi P. G. 2. (11) ∾ *quo* V., ut volebat Ern. Idem V.: *quo ang.* (12) — *autem* Cdd. aliq. — del. *vero* censebat G. (13) — om. *ab eo* Cd. Mo. El. pr. D. [ ]. — *adeo* Rossi *Comm. Laert.* p. 315. (14) — *ipsius* D. [ ]. (15) = *nec* P. Cr. V. M. L. (16) — *videmus* Cdd. aliq. prob. D. (17) — om. *autem* L. (18) Sic Cdd. aliq. boni, etiam Mo. Grut. D. 1. G. 2. — *In phys. quidem plur. posuit* V. — *In phys. quidem quum plurimum possint* Cdd. aliq. P. Cr. M. — *In phys. quidem quamplurimum posuit* de Cam. Є. Br. Totum locum sic refinxit L.: — *disserendum. Ea scientia fortasse et verborum vis - perspici; in physicis, quod plurimum prosunt, plurimam operam posuit; omnium enim rerum* cet. Bentl. del. censebat v.: — *Ea scientia - - potest perspici* prob. Cens. Heid. Scilicet hi omnes non satis attenderunt, omnem de sermone locum, ideo-

ratio potest perspici: omnium autem rerum natura cognita, levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt saepe formidines. Denique etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quae[1] natura desideret. Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur[2], nunquam ullius oratione victi sententia desistemus. 64. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum iudicia defendere. Quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus. Qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi[3]. Quos qui tollunt, et nihil posse percipi dicunt, ii[4], remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea, sublata cognitione et scientia, tollitur omnis ratio et vitae degendae, et rerum gerendarum. Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem; et constantia contra metum religionis; et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione[5] sublata, et moderatio, natura cupiditatum generibusque[6] earum explicatis; et, (ut modo docui) cognitionis regula, et, iudicio ab eadem illa constituto, veri a falso distinctio traditur.

XX. 65. Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit bonum, affirmatis nullam omnino fore: de qua Epicurus quidem ita dicit: *omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius.* Neque vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis[7] et moribus comprobavit. Quod quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant: in quibus tam multis tamque variis ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias, profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, et ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges! quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus: de hominibus[8] dici non necesse est. 66. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum. Alii, quum eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus: (quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare:) tuentur tamen eum locum, seque facile, ut mihi videtur[9], expediunt. Ut enim virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam negant posse a voluptate[10] discedere. Nam quum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare: quibus partis

---

que ea quoque, quae Stoici in dialecticis tradebant, ab Epicuro tradita esse in physicis, ut constat ex *Epistola ad Herod.* §. 44. Schneid. s. apud *Diog. L.* 10, 15. Lucret. 5, 1027. Ceterum mire distinguit G.: — *Ea scientia; et v.*

(1) ∾ *quid* V. (2) — *dirigantur* Ed. 1584., ut volebat Ern. (3) — *recipi* V. (4) — *hi* e Cdd. G. 2. (*ii* iam P. V.) (5) — *indagatione* Nescio cuius C. — om. *occultarum* Gud. sec. (6) ∾ *moderatio cupiditatum, natura generibusque e. e.* G. susp. (*que* om. Cdd. aliq.) (7) — om. *et factis* Cdd. aliq. P. Cr. V. (8) Sic coniecerat iam Mo. E Cdd. D. Seqq. — *omnibus* Edd. ante D. (9) ∾ *videntur* L. (10) = *a vol. posse* P. M. L.

confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest. 67. Atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus: sic amicitiae non modo fautrices[1] fidelissimae, sed etiam[2] effectrices sunt voluptatum tam amicis, quam sibi; quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod[3] quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus; nec[4] vero ipsam amicitiam tueri, nisi[5] aeque amicos et[6] nosmet ipsos diligamus: idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia, et amicitia cum voluptate connectitur. Nam et laetamur amicorum laetitia aeque atque[7] nostra, et pariter dolemus angoribus. 68. Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo[8] in se ipsum: quosque labores propter suam voluptatem susceperit[9], eosdem recipiet[10] propter amici voluptatem. Quaeque de virtutibus dicta sunt, quemadmodum hae semper voluptatibus inhaererent[11], eadem de amicitia dicenda sunt. Praeclare enim Epicurus his paene verbis, *Eadem,* inquit, *sententia*[12] *confirmavit animum, ne quod aut sempiternum, aut diuturnum timeret malum: quae perspexit, in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum.* 69. Sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti; qui verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulationesque et consuetudinum instituendarum voluntates[13] fieri propter voluptatem: quum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiam si nulla sit utilitas ex[14] amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicras exercendi aut venandi consuetudines[15] adamare solemus: quanto id in hominum consuetudine facilius fieri potuerit[16] et iustius? 70. Sunt autem, qui dicant[17], foedus quoddam esse[18] sapientum, ut ne minus amicos[19], quam se ipsos diligant. Quod et posse fieri[20] intelligimus, et saepe † enim videmus[21], et perspicuum est, nihil ad iucunde vivendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius.

---

(1) — *fotrices* Scaligeri E. (2) — *sed et* Cdd. aliq. (3) — *quo* Cd. Bas. — *quodque nullo m.* Man. susp. v. Matthiae p. 109. (4) Sic V. = *neque* Ceteri. (5) — *nisi ipsi ae.* V. (6) = *ac* Cd. Urs. 1. 2. (7) Sic Cdd. meliores. (Spir. Erl.) V. Grut. D. 1. Br. 2. = *ac* P. M. L. — *ut* Cdd. aliq. G. (8) — *quo modo* L. Mox *quos* G. (9) Sic Cdd. aliq. P. M. L. G. 2. — *susciperet* Cr. V. D. 1. Br. (10) Sic Cdd. multi. P. G. — *suscipiet* Cr. V. M. L. D. 1. Br. 2. (11) Sic Spir. Erl., ut volebat Ern. G. 2. — *inhaerent* Ceteri. (12) Sic Cdd. aliq., ut volebat Mo., D. Br. G. 2. — *scientia* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. L. 1. (13) Sic Pal. prim. Margo Crat. Cd. Mo. Grut. Seqq. — *copulationesque consuetudinum*, (*et* h. l. addit L.) *instituendarum amicitiarum fieri* Edd. ante Grut., nisi quod V. *consuetudinem.* (14) — *in* L. (15) Sic Cdd. aliq. Grut. G. 2. — *si ludicra e. aut v. consuetudines* Cdd. pleriq. Cr. ∞ *si ludicra e. aut venandi*, *consuetudine* Cdd. Regii. P. et Ven. 1494. Iu. (non debetur igitur uni Victorio.) V. M. L. D. Lall. 1. Br. — v. *exerc. aut ven.* ab interpol. profecta Matthiae videbantur. (16) Sic Cdd. noti. Grut. G. 2. — *poterit* P. Cr. V. M. L. 1. Br. (17) Sic Cdd. aliq. Cr. V. 1. Br. G. 2. — *dicunt* P. M. L. D. (18) = *esse quoddam* L. (19) Sic Cdd. aliq. M. L. G. — *ne minus am. quidem* P. Cr. V. — *ne minus quidem am.* Grut. D. 1. Br. 2. (20) Sic Cdd. aliq. D. G. = *fieri posse* P. Cr. (errat G.) V. M. L. 1. Br. (21) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. G. ∞ *saepenumero videmus* optima G. suspicio.

Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem amicitiae omnino non posse reperiri.

XXI. 71. Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt; si omnia dixi [1], hausta e fonte naturae; si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est, incorruptis atque integris testibus: si infantes pueri, mutae [2] etiam bestiae paene loquuntur, magistra ac duce natura, nihil esse prosperum, nisi voluptatem, nihil asperum [3], nisi dolorem; de quibus neque depravate iudicant, neque corrupte: nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui hac [4] exaudita quasi voce naturae, sic eam firme graviterque [5] comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod, nullam eruditionem esse duxit [6], nisi quae beatae vitae disciplinam iuvaret. 72. An ille tempus aut in poëtis evolvendis (ut ego et Triarius, te hortatore, facimus [7],) consumeret? in quibus nulla solida utilitas, omnisque puerilis est delectatio: aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret? quae et a falsis initiis profecta vera esse non possunt; et, si essent vera, nihil afferrent, quo iucundius, id est [8], quo melius viveremus. Eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii [9] indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant [10] usque ad senectutem esse discenda. Quae quum dixisset, Explicavi, inquit, sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum iudicium ut cognoscerem; quae mihi facultas, ut id [11] meo arbitratu facerem, ante hoc tempus nunquam est data.

---

enim et *numero* in Mss. scribitur: . *n* . — *saepe id fieri vid.* V. — *saepe id vid.* M. L. 1. Br. 2. — *saepe etiam vid.* ex El. pr. D. — *saepe fieri vid.* Sch. susp.

(1) ∾ *dixi* del. censebat Bentl. prob. Br. ∾ *ut dixi* Sch. 2. tacite. (2) — *si mutae* M. L. Br. (3) — *improsperum* V. (prob. Cam.) L. (4) Sic Cdd. aliq. Cr. V. Grut. Seqq. — *haec* P. — om. *hac* M. L. (5) — *gnaviterque* Scalig. susp. probb. Guyeto et D. (6) — *dixit* Cdd. aliq. Br. tacite. (7) e Cdd. Grut. Seqq. ∾ *fecimus* Edd. ante Grut. (8) „Lamb. pro *id est*, *iisque*." G. Errat; L. 1566. et 1584. habet *id est*: nec ulla eiusdem de h. l. exstat adnotatio. (9) — *hi* e Cdd. G. 2. (10) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. V. D. G. 2. — *putent* M. L. 1. Br. (11) — *ea* Cdd. aliq. P. 1480. Marsus. In his cum Manutio et Lambino veram rationem secutus est etiam Wolfius in *Tusculanis*.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM
LIBER SECUNDUS.

I. 1. Hic quum uterque me intueretur[1], seseque ad audiendum significarent paratos[2]: primum, inquam, deprecor[3], ne me, tamquam philosophum, putetis scholam vobis aliquam explicaturum; quod ne in ipsis quidem philosophis magno opere unquam probavi. Quando enim Socrates, qui parens philosophiae iure dici potest, quidquam tale[4] fecit? Eorum erat iste mos, qui tum[5] sophistae nominabantur: quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est, iubere dicere, qua de re quis vellet audire[6]. Audax negotium! dicerem impudens[7], nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset. 2. Sed et illum, quem nominavi, et ceteros sophistas, ut e Platone intelligi potest, lusos videmus a Socrate. Is enim percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad haec, quae hi[8] respondissent, si quid videretur, diceret. Qui mos quum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit: instituitque, ut ii[9], qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent, quid sentirent; quod quum dixissent, ille contra. Sed qui[10] audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam. Apud ceteros autem philosophos, qui quaesivit aliquid, tacet; quod quidem iam fit etiam in Academia[11]. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit: „Voluptas mihi videtur esse summum bonum"; perpetua oratione contra disputatur: ut facile intelligi possit, eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria. 3. Nos commodius agimus. Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam cur: ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, quum in rebus singulis insistas, et intelligas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi, quod[12] velis, et ad exitum perveniri. Quum enim fertur, quasi torrens, oratio, quamvis multa cuiusque modi rapiat: nihil tamen teneas, nihil appre-

(1) — *intuerentur* Mureti susp. (2) — *significaret paratum* L. E. (3) — om. *deprecor* Cd. Mo. (4) = *tale quidq.* Bas. Mars. (5) = *tunc* V. (6) — *id est* - - *audire* suspecta Br. (7) ∞ *dic. et imp.* Oxx. V. L. (8) Sic Cdd. plerlq. P. Iu. D. Br. G. ∞ *ad ea, quae hi* Cr. V. — *ad ea, quae ii* M. L. 1. 2. (9) — *hi* P. V. G. 2. (10) ∞ *sed eum qui* Cdd. aliq. (11) — om. *etiam* Cdd. pauci. (— *quodque idem iam fit* G. susp.) (12) — *quid* M. L. Grut.

hendas, nusquam orationem rapidam coërceas. Omnis autem in quaerendo[1], quae via quadam[2] et ratione habetur, oratio, praescribere primum debet, (ut quibusdam in formulis EA RES AGATVR[3]) ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur.

II. 4. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit Epicurus; sensitque, in omni disputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit, non vidit. Negat enim definiri rem placere: sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur; velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. Quaerimus enim finem bonorum: possumusne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, quum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? 5. Atqui[4] haec patefactio quasi rerum opertarum, quum, quid quidque sit, aperitur, definitio est: qua tu etiam imprudens utebare nonnunquam. Nam hunc ipsum sive finem, sive extremum, sive ultimum definiebas, id[5] esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur. Praeclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses: aut, quod esset natura appetendum; aut, quod prodesset; aut, quod iuvaret; aut, quod liberet modo. Nunc idem[6] (nisi molestum est,) quoniam tibi non omnino displicet definire, et id facis, quum vis; velim definias[7], quid sit voluptas: de quo omnis haec[8] quaestio est. 6. Quis quaeso, inquit, est, qui[9], quid sit voluptas, nesciat: aut qui, quo magis id intelligat, definitionem aliquam desideret? Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo atque comprehensam. Nunc autem dico, ipsum Epicurum nescire, et in eo nutare[10]: eumque, qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit vocibus, non intelligere interdum, quid sonet haec vox voluptatis, id est, quae res[11] huic voci subiiciatur[12].

III. Tum[13] ille ridens, Hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum, — id ipsum quidem[14], quale sit, nesciat! Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc[15] sentiunt

---

(1) — D. [ ] v. *in quaer.* (2) — *quidem* de Bentl. Є. Lall. (3) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. D. cfr. Gaium 4, §. 131. *si ex empto agamus, ut nobis fundus mancipio detur, debemus ita praescribere*: EA RES AGATVR DE FVNDO MANCIPANDO. — *agetur* e C1d. Grut. 1. Cetera, ut nos. — *agitur* e Cdd. Lall. — *qua de re agatur* C2d. I. L. Br. — *quae res agatur* Cdd. aliq. 1. De Man. susp. Sch. 2. — *ut quibusdam formulis res agatur* e Cdd. h. l. incredibilem in modum corruptis G. (4) — *Atque* P., ut volebat Br. (5) del. *id* censebat Ern. (6) e Cdd. Grut. D. Br. G. 2. — *liberet. Modo idem* Edd. ante Grut. — *liberet modo. Idem* de Man. sententia Ern. 1. Pro *idem*, *item* D. et Ern. susp. (7) e Cdd. Grut. Seqq. — *definire* P. Cr. V. — *definires* M. L. (8) = *haec omnis* V. (9) Sic probabili Є. e vestigiis Cdd. ducta G. ∾ *Quisquam, inquit, est* e Pal. pr., (in quo tamen post *quisquam* additur *si* punctis subnotatum.) D. Br. — *Quasi quis, inquit, est* P. Iu. Cr. — *Quisquam sit, inquit, qui* V. — *Quasi quis, inquit, sit* M. 1. 2. — *Quasi quisquam, inquit, sit* L. (10) — *mutire* Cd. Vien. (11) — *vis* Cr. V. (12) — Haec : *id est – subiiciatur* de P. Fabri sententia [ ] D. Ern. 1. Br. — del. Seh. 2. sine causa. (13) Sic P. Cr. V. G. 2. = *Tunc* M. L. 1. Br. (14) e Cdd. D. G. 2. — *quid sit* (pro *quidem*) Cdd. pleriq. Edd. ante D. Item 1. Br. (∾ *quid et quale sit* Br. susp.) (15) cum Cdd. G. 2. — *hanc esse* Ceteri.

omnes, quam sensus accipiens movetur et iucunditate quadam perfunditur. 7. Quid ergo? istam voluptatem, inquit[1], Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid[2] sit ullum bonum, praeter illud, quod cibo aut potione[3], et aurium delectatione, et obscoena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur? Quasi vero[4] me pudeat, inquit, istorum, aut[5] non possim, quemadmodum ea[6] dicantur, ostendere! Ego vero non dubito, inquam, quin facile possis: nec est, quod te pudeat sapienti assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus. Nam Metrodorum non puto[7] ipsum professum: sed, quum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse. Septem autem illi, non suo, sed populorum suffragio omnium[8] nominati sunt. 8. Verum hoc loco sumo, verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum *notasse[9], quam ceteros. Omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur[10], Graece ἡδονήν, Latine *voluptatem* vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis, quam quo te, aut Epicurum reprehensum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprehenderim. Tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quod dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere[11]? Teneo, inquit, finem illi videri, nihil dolere. Quid? idem iste de voluptate quid sentit? 9. Negat esse eam, inquit, propter se ipsam[12] expetendam. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat: nam, ut paullo ante docui, augendae voluptatis finis est, doloris omnis amotio. Non dolere[13], inquam, istud quam vim habeat, postea videro: aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui[14] reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem; dici enim nihil potest verius. Estne quaeso, inquam, sitienti in bibendo voluptas? Quis ista[15], inquit, possit[16] negare? Eademne, inquam[17], quae restincta siti? Immo alio genere[18]. Restincta enim[19] sitis stabilitatem voluptatis habet, inquit: illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissimiles eodem nomine appellas? 10. Quid paullo ante, inquit, dixerim, nonne[20] meministi, quum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed tu istuc dixti[21] bene Latine, parum plane. *Varietas* enim Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia: *varium*

---

(1) e Cdd. Grut. Seqq. = *inquit*, *istam vol.* Edd. ante Grut. (2) — *quod* V. (3) — *et pot.* Cdd. aliq. Cr. V. D. 1. (4) cum Cdd. aliq. Grut. 1. Br. G. 2. — om. *vero* P. Cr. (errat G.) V. M. L. D. (5) — *ac* de G. susp. Sch. 2. (6) — *ista* C2d. Goerenzii. (7) e Cdd. G. 2. — *putant* Ceteri. (8) = *omn. suffr.* M. L. (9) de D. susp. G. 2. — *nosse* Ceteri. ∞ *verbis his* [ ] retento *nosse* Br. (10) Sic Nonius in h. v. V. Grut. Seqq. — *hilarentur* M. L. — *hiarent* Cdd. pleriq. P. Cr. (11) — Haec: *quo* - - *oportere* suspecta D. (12) — om. *ipsam* Cdd. aliq. (13) Sic V. Grut. Seqq. — *cum non d.* Cdd. multi. — *Tum non d.* P. Cr. M. ∞ *Tuum non d.* L. C. Lall. (14) — *atque* Sch. 2. err. typogr. (15) e C4d. G. 2. — *istud* Ceteri. (16) e C3d., ut volebat Ern., G. 2. — *posset* Ceteri. (17) — del. *inquam* cum Cdd. aliq. Br. (18) ∞ *alia genere* Moseri ingeniosa susp. (19) ∞ *nam rest.* Cdd. aliq. P. Cr. M. L. (20) ∞ *non* Br. susp. (21) Sic Cdd. aliq. Cr. V. Grut. Seqq. = *istud dixisti* P. M. L. (*istud* Cr. M. L. G. 2.)

poëma, *varia* oratio, *varii* mores, *varia* fortuna; voluptas etiam *varia*[1] dici solet, quum percipitur e[2] multis dissimilibus rebus dissimiliter[3] efficientibus voluptates. Eam si varietatem diceres, intelligerem, ut etiam non dicente[4] te, intelligo. Ista varietas quae sit, non satis perspicio, quod ais, quum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse: quum autem vescamur iis[5] rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui[6] faciat varietatem voluptatum, sed non augeri illam non dolendi voluptatem; quam cur voluptatem appelles, nescio.

IV. 11. An potest, inquit [ille[7]], quidquam esse suavius, quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam; (nondum enim id quaero,) num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia[8]? Plane idem[9], inquit; et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita[10] constituto, ut id totum in non dolendo sit, id tenere unum, id tueri, id defendere? 12. Quid enim necesse est, tamquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? Invidiosum[11] nomen est, infame, suspectum[12]. Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est, (est autem dictum non parum saepe:) etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intelligo, quid sit ἡδονὴ Graece, Latine *voluptas*? utram tandem linguam nescio? deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerunt? Quod[13] vestri quidem[14] vel optime[15] disputant, nihil opus esse, eum, qui philosophus[16] futurus sit, scire literas. Itaque, ut maiores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis[17] omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos. 13. Ergo illi intelligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo? Ut scias me intelligere, primum idem esse dico *voluptatem*[18], quod ille ἡδονήν. Et quidem saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco, et quod idem valeat: hic nihil fuit, quod quaereremus. Nullum inveniri potest, quod magis idem declaret Latine, quod Graece

---

(1) cum Cdd. aliq. V. D. Seqq. — *varia etiam* P. Cr. M. L. (2) cum Cdd. Cr. V. G. 2 = *ex* P. M. L. D. 1. Br. (3) ∾ *dissimiles* Margo Crat. E Pal. pr. Grut. D. 1. (4) — *etiam indicente* I. Fr. Gronovii susp., quia deerat in suo Cd. *non*. (5) — *his* P. V. G. 2. (6) de D. susp. 1. Br. e Cdd. G. 2. — *quae* Ceteri. (7) Sic cum [ ] G. 2. Sine [ ] M. L. D. 1. Br. — *ille inquit* Cdd. noti. P. Cr. V. (8) ∾ *indoloria* Cd. in Marg. 1581. Non commendavit, non recepit Lamb. Recepit Lall. Cfr. Sidonium Apollinarem in *Ep. carmini XIV. praemissa;* qui ea voce usum esse Cic. testatur. (9) ∾ om. *idem* Cdd. aliq. (10) — om. *ita* Cdd. aliq. (11) e Pal. pr. Grut. Seqq. — *Sed forte dicitis*, *inv.* Cdd. multi. P. Iu. Cr. — *Sed inv.* V. M. L. (12) Sic Margo Crat. E Pal. pr. Grut. Seqq. — *infamiae subiectum* Cdd. aliq. — *et infamiae subiectum* Edd. ante Grut. (13) — *cum* Iu. (ut D. volebat *quom.*) — *quando* Ern. susp. (14) — *quidam* Ern. susp. (15) — *optimi* Ern. susp. prob. Matthiae! (16) = *qui fut. sit phil.* e C3d. G. solus. Hic, ubi vis primaria sententiae inest in v. *philosophus*, melius suos consultare debuisset sonos. (17) Sic Cd. El. pr. Turnebus E. Lall. G. 2. Turbant Cdd. Plerique: — *plagis* ut Margo Cr., vel: — *Pelasgis*, quod neutiquam, ut ait G., a Victorio profectum, habent iam P. Iu. Cr., tum V. M. L. D. 1. Br. Absurda lectio. — *pelagis* Alii Cdd. (18) cum Cdd. Cr. V. G. 2. = *vol. dico* P. M. L. D. 1. Br.

ἡδονὴ[1], quam declarat *voluptas*. Huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem iucunditatis[2] in corpore. Nam et ille apud Trabeam, *voluptatem animi nimiam*, *laetitiam* dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui *omnibus laetitiis laetum* esse se narrat[3]. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo, (vitiosa res, ut Stoici putant; qui eam sic definiunt: sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui:) non dicitur laetitia, nec[4] gaudium in corpore. 14. In eo autem voluptas, omnium Latine loquentium more, ponitur, quum percipitur ea, quae sensum aliquem moveat, iucunditas. Hanc quoque iucunditatem, si vis, transfer in animum: *iuvare* enim in utroque dicitur, ex eoque *iucundum*: modo intelligas, inter illum, qui dicat,

Tanta laetitia auctus sum, ut nihil constet[5]:

et eum, qui,

Nunc demum mihi[6] *animus ardet*:

quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur: esse illum medium,

Quamquam haec inter nos nuper[7] *notitia admodum est*,

qui nec laetetur, nec angatur: itemque inter eum, qui potiatur expetitis corporis voluptatibus, et eum, qui excrucietur[8] summis doloribus, esse eum, qui utroque[9] careat.

V. 15. Satisne igitur videor vim verborum tenere: an sum etiam nunc vel Graece loqui, vel Latine docendus? Et tamen vide, ne, si ego non intelligam, quid Epicurus loquatur, quum Graece, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur[10], ut non intelligatur. Quod duobus modis sine reprehensione fit: si aut[11] de industria facias, ut Heraclitus, *cognomento*[12] *qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit:* aut quum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio; qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui: nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa,

---

(1) cum Cdd. D. Seqq. — om. ἡδονὴ Edd. ante D. (2) — *iuc. suavem* C3d. Goerenzii. (3) — *laetum incessisse narrat* soloece quum suspicatus esset G. („non sine probabili ratione pro vv. *esse se*, *incessisse* legendum statuimus". ! !) (ex *Epp. ad Div.* 2, 9.), Sch. 2. perperam edidit: — *laetum incessisse se narrat.* Debuissent saltem: *incedere se n.* Sed nihil opus. (4) = *neque* L. (5) Sic Cdd. aliq. V. G. 2. — *ut mihi non constem* Ceteri. Cfr. in primis *Tusc.* 4, §. 35. (— *Tanta auctus sum laetitia, ut non constem mihi.* Bothe *Poët. scen.* p. 276.) (6) = *mi* Bothe l. l. (7) — *nupera* M. L. (8) e C4d. G 2. — *crucietur* Ceteri. (9) — *utrisque* L. susp. (10) ꙭ *loquitur* C3d. ut volebat D., prob. G. (11) — *aut si* L. (12) Quattuor nominibus hoc in l. offendimus. 1. V. *cognomentum*, quod partim Sallustio partim Messalae tribuitur, Ciceronianum omnino non videtur; altero enim loco, ubi olim legebatur, *pro Milone* 17, 46. optimis cum auctoritatibus fuit delendum. 2. In positione *cognomento qui* haesit iam G. 3. v. *memorare* sic pro *disserere*, *disputare*, positum Ciceronis usui adversatur. 4. v. *quia* – – *memoravit* efficiunt hexametrum, ubi *quia* unam in syllabam contraxeris. His, credo, permotus Muretus ad *Arist. Eth.* 2, 3. *Opp. Rhunck.* 3. p 257.: „Apud Cic. leguntur hi versus, quos suspicor esse Ennii, *ut ille* – – *memoravit.*" Ego puto potius esse Lucilii. Priorem sic fere constituendum monet Reizius in *Add. Goer.* p. 698. *Ille σκοτ. cogn. qui perh.* — Nemo vero, ubi attente locum ipsum verbaque pensitarit, de interpol. sive gloss. cogitabit.

ut mathematici, sed de illustri et facili et iam[1] in vulgus pervagata[2], loquitur. Quamquam non negatis nos intelligere, quid sit voluptas, sed quid ille dicat; ex[3] quo efficitur, non ut nos non intelligamus[4], quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum negligat. 16. Si enim idem dicit, quod Hieronymus, qui censet, summum bonum esse, sine ulla molestia vivere; cur mavult dicere voluptatem, quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui, quid dicat, intelligit? sin autem voluptatem putat[5] adiungendam eam[6], quae sit in motu[7]: (sic enim appellat hanc dulcem, in motu[8], illam nihil dolentis, in stabilitate:) quid tendit[9]? quum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse notus sibi sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur. Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus; extorquere ex animis cognitiones[10] verborum, quibus imbuti sumus. Quis est enim[11], qui non videat, haec esse in natura rerum tria? unum, quum in voluptate sumus: alterum, quum in dolore: tertium hoc, (in quo nunc quidem sumus[12]: credo idem vos[13];) nec in dolore, nec in voluptate esse; ut[14] in voluptate sit, qui epuletur; in dolore, qui torqueatur. Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiectam[15] non vides, nec laetantium, nec dolentium? 17. Non prorsus, inquit: omnesque, qui[16] sine dolore sint, in voluptate, et ea quidem summa, esse dico. Ergo[17] in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum, ipse non sitiens, et, eum, qui illud sitiens bibat?

VI. Tum ille, Finem, inquit, interrogandi, si videtur: quod quidem ego a principio ita[18] me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis, quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio, rhetorum solum[19], non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc, Stoici, omnem vim loquendi, (ut iam ante Aristoteles,) in duas tributam[20] esse partes[21]. Rhetoricam, palmae, dialecticam, pugni[22] similem esse, dicebat; quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae, dicamque, si potero, rhetorice: sed hac

(1) Sic G. 2. — *etiam* Ceteri. (2) cum Cdd. D. G. 2. — *pervulgata* Ceteri praeter V., qui: — *promulgata.* (3) Sic P. Cr. V. D. 2. = *e* Ceteri. (4) ∾ *non ut ne int.* e Cdd. D. Br. (— *non ut non int.* Cdd. aliq. Aliter alii turbant.) (5) Sic D. 1. G. 2. — *putat*, *dicat adi.* Edd. ante D. tum Br., qui susp.: — *vol. ducat adi.* — om. *putat* O2x. (6) = *illam* cum Cdd. P. D. 2. — *ad illam* M. ∾ del. censet pronom. G. (7) = *quae in m. sit* P. M. L. (— *Sin a. vol. dicit ad illud adiung. eam, q. in m. s.* L. Є.) (8) — del. *in motu* de D. susp. Sch. 2. (9) — *quid contendit* L. 1566. (10) — *notiones* Cd. Ursini. (11) e Cdd. G. 2. = *enim est* Ceteri. (12) — *nunc sumus* M. L., ut volebat Lall. ∾ *sum* Nescio cuius Є. (13) e Cdd. Grut. 1. Br. G. 2. — *credo quidem vos* P. Cr. V. M. — *cr. equidem nos* L. — *cr. enim nos* D. Є. (∾ *item* Ern. susp.) (14) Sic P. e Cdd. Grut. Seqq. — *quum in v. sint*, *q. epulentur* - - *torqueantur* Cr. V. — *quum in v. sit*, *q. epuletur* - - *torqueatur* M. L. (15) — om. *interiectam* Cdd. aliq. (16) — *omnemque qui* - - *sit* V. — *inquit: prorsus omnes*, *qui* L. Є. (17) — *esse. Dico ergo* P. V. — *esse. Dicis ergo* El. pr. — *esse dico. Dicis ergo* D. Є. (18) — om. *ita* C1d. prob. D. (19) — om. *solum* C1d. prob. G. Cfr. Gernhard ad *Offic.* p. 29. (20) — *distrib.* Cdd. aliq. (21) Sic M. Grut. Seqq. — *partes dicere* Cdd. multi. P. Cr. V. L. (22) Sic Cd. Erl. D. Br. G. 2. — *pugnis* Cdd. aliq. P. — *pugno* Cr. V. M. L. 1.

rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi; quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo hebetiorem. 18. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam, et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via[1] disputandi: ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit[2]: ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest. Quam si explicavisset, non tam haesitaret: aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur; quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem: aut, si magis placeret[3] suo more loqui, quam ut[4]

Omnes Danai atque Mycenenses[5],
Attica pubes, —

reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur: hoc *non dolere* solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret: aut si utrumque probaret, ut[6] probat, coniungeret[7] doloris vacuitatem cum voluptate, et duobus ultimis uteretur. 19. Multi enim et magni philosophi haec[8] ultima bonorum iuncta fecerunt; ut Aristoteles, qui virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit. Calliphon adiunxit ad honestatem, voluptatem: Diodorus[9] ad eandem honestatem addidit[10] vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur: et, quum uterque Graece egregie loquatur, nec[11] Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere; neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine unquam utitur pro illa indolentia; quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.

VII. 20. Duae sunt enim res quoque, ne tu verba solum putes. Unum est, sine dolore esse: alterum, cum voluptate. Vos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum, (nam id facilius paterer,) sed etiam rem unam ex duabus[12] facere conamini; quod fieri[13] nullo modo potest. Hic, qui utrumque[14] probat, ambobus debuit uti, sicut facit re; neque tamen[15] dividit verbis. Quum enim eam ipsam[16] vo-

(1) Sic Margo Cr. L. in m. 1584. Grut. D. 1. G. 2. — *ac rat. et v.* P. M. L. 1566. — *et rat. et v.* V. — *et rationem ac viam* Br. E. ex *Actis Erud.* 1730. p. 232. (2) e Cd. Mo. L. e Pal. pr. Grut. Seqq. — *quae docet, vult ulla arte distingui* Cdd. pleriq. Edd. ante L. (3) — *plac. ei* L. (4) — del. *ut* Ern. 1. Br. de Markl. ad *Statium* p. 330. sententia. (5) e Cdd. L. D. Br. G. Bothe *Poët. trag.* p. 286. — *aut Myc.* Edd. ante L. contra metrum. — del. *atque* vel *aut* de Markl. sententia Ern. 1. 2., item contra metrum. (6) — *aut* P. Cr. V. (7) — *coniungere* Grut. 1. err. typogr. (8) — *Diodotus* V. (9) — *haec* suspectum Br. (10) — *addidit* suspectum Ursino et Guyeto. — *adiicit* V. (11) = *neque* L. (12) — *ex duabus* suspectum Ern. (13) — *ferri* D. susp. prob. Ern. (14) e Cd. G. 2. soli. Nunquam sic E., neque edidit L., ut putabat Br.; neque vero *utrumque* probavit Br., ut aiunt G. et Sch., immo defendit vulgatam: — *utramque*. (— *utramque* - *ambabus* Bentl. susp.) (15) Sic L. e Pal. pr. Grut. Seq. — *facit; neque tamen* Cdd. aliq. Margo Cr. Man. in Ed. posteriore, non 1555. — *fecit; remque tamen* Edd. ante L. (16) = *ipsam eam* Cdd. aliq. P. Cr. V. M. L.

luptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis[1]: atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est[2] oratio de summo bono. In alio vero libro, in quo[3], breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate[4], sunt: — quis enim vestrûm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, quasi maxime[5] ratas, quia gravissimae sint[6] ad beate vivendum breviter enuntiatae sententiae; —? Animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter. 21. „Si ea, quae sunt[7] luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu, docerentque, qui essent fines cupiditatum; nihil haberemus, quod reprehenderemus[8]: quum undique complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut aegrum; id est autem[9] malum." Hoc loco tenere se[10] Triarius non potuit. Obsecro[11], inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? Quod mihi quidem visus est, quum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, saneque fidenter, Istis quidem ipsis verbis, inquit: sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur, nunquam intelligam, quid sentiat: sed plane dicit, quod intelligam. Idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde: similiter et[12] si dicat, non reprehendendos parricidas, si nec[13] cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem. Et tamen, quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari[14], aut fingere aliquos, qui, quum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat, cetera caverent[15]? 22. Sed tamen nonne reprehenderes, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita viverent, ut persequerentur cuiusque modi voluptates; quum esset praesertim, ut ais tu[16], summa voluptas nihil dolere? Atqui reperiemus[17] asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella: deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide,

Mihi sex menses satis sunt vitae; septimum Orco spondeo.

---

(1) — v. *genere vol.* suspecta D. (2) = *oratio est* Cd. Bas. Cr. V. — del. *est* cum Cld. G. (3) — *ubi* M. L. (4) = *prof. Torq. tibi* V. (5) ∞ om. *quasi* Cdd. pleriq. Edd. ante Grut., qui cum Seqq. inseruit e Pal. pr. Est suspectum omnino. Verba *id - - ratas* suspecta erant Man. D. (qui [ ] *id est - - sententiae.*) et Rathio. (6) — *sunt* Cr. V. (non P.) (7) — om. *sunt* Grut. solus. (8) Sic D. Є. Seqq. (Cdd. scil. multi: *nihil haberemus*, *quum undique*. Alii: — *nihil haereremus*, *quum undiq.* sicque Cr. V. Grut.) ∞ *nihil haberem*, *quod reprehenderem* Є. e §. 23. petita, Margo Cr. M. L. (9) e Cdd. Grut. D. 1. G. 2. — *aut* Edd. ante Grut. Item Br. sed cum [ ]. (10) Cum Cdd. Cr. V, G. 2. — *se tenere* P. M. L. D. 1. Br. (11) ∞ *Obsecro te* e Cdd. L. D. Br. (12) — *ut* L. (13) = *neque* V. (14) — *dare* M. L. D. 1. (non P. V.) (15) Locus leviter corruptus. Quia scil. librarii *dumtaxat* pro coniunctione habebant, deleverunt *si* ante vel post v. *cetera*; vidit hoc L. 1566. edens: *repr. eo nomine dumtaxat*, *si modo c. c.* In m. 1584. proposuit: *r. eo n. dumtaxat*, *dummodo c. c.* Sed hoc durius. Iam e constanti usu Cic. *dumtaxat* verbis postponitur; iungendum ergo: ∞ *repr. eo nomine dumtaxat*, ut V. M.; non, ut D. 1. Br. Sch. 2.: — *repr. eo nomine*, *dumtaxat c. c.*; minus etiam cum G.: — *reprehenderentur*, *eo nomine dumtaxat c. c.*; id quod omni sensu caret. (16) — om. *tu* Cd. Bas. Mars. — *tu ut ais* G. susp. (17) — *reperiamus* Ern. susp.

Iam[1] doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment[2]: *si gravis, brevis: si longus, levis.* Unum nescio, quo modo possit, si luxuriosus sit[3], finitas cupiditates habere.

VIII. 23. Quid ergo attinet dicere, *nihil haberem, quod reprehenderem, si finitas cupiditates haberent?* hoc est dicere, *non reprehenderem asotos, si non essent asoti:* isto modo, ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic[4] homo severus luxuriam ipsam per se[5] reprehendendam non putat! Et, hercule[6], Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est[7], rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent: qui solem, ut aiunt, nec[8] occidentem unquam viderint, nec orientem: qui, consumptis patrimoniis, egeant. Nemo nostrûm istius generis asotos iucunde putat vivere, mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem;

— — — — *quibu' vinum*
Defusum e pleno siet, hir siphove (ut ait Lucilius,) *cui nil*
Dempsit, vis aut saccculus abstulerit . . . .
. . . *adhibentis ludos*[9]

et quae sequuntur, illa, quibus detractis, clamat Epicurus se nescire, quid sit bonum: adsint etiam formosi pueri, qui ministrent, respondeat his[10] vestis, argentum, Corinthium[11], locus ipse, aedificium[12]. Hos ego[13] asotos bene quidem vivere, aut[14] beate, nunquam dixerim. 24. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panaetium audierat, Laelius, eo dictus est sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset: (nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus[15]:) sed quia parvi id duceret.

---

(1) — *etiam* Ern. susp. (2) e Cdd. D. Br. G. 2. — *promant* Ceteri. (3) — *possint* – *luxuriosi sint* Bentl. susp. — *qui* – *sit* Ern. susp. (4) — *Sic* Ern. susp. (5) e Cdd. G. 2. = *per se ipsam* P. V. M. L. D. 1. Br. (6) = *hercle* Mars. L. (7) cum Cdd. Cr. V. G. 2. = *vol. summ. b. est* P. M. L. D. 1. Br. (8) = *neque* V. (9) Sic dedi cum G. 2., nisi quod hi: *siphone*, et Sch. solus *abstulit. Hir* autem (vel potius *ir;* cfr. Beier *fragmm. Oratt.* p. 204.) s. vola manus, quo modo *siphone* demere possit aliquid vino, non video: siquidem iunctis manibus opus est ad siphonis aliquam similitudinem efficiendam. Optime autem vel ir, vel sipho, fistula. — *quibus vinum diffusum e pleno sit hirsiphon (ut ait L.) cui nihil dempsit (dum sit* V.) *ius et sarculos* (sic) *abstulerit a. l.* P. V. — *quibus vinum diffusum (defusum* L.) *e pleno siet (sit* L.) *oenophoro, ut ait L., cui nil (nihil* L.) *dempsit (dempserit* L.) *nix et (nec* L.) *sacculus abstulerit a. l.* M. L. — *q. v. defusum e pleno sit; hir, siphon, ut a. L., cui nihil dempsit; ius et sacculus abstulerit a. l.* D. 1. — *quibu' vinum Defusum e pleno; hir, siphon (ut ait L.) cui neque dempsit Vis, nec sacculus abstulerit; ludos adhibentis* Br. — *q. v. def. e pleno siet: hir, siphon, ut ait L., cui nihil dempsit nix et sacculus a. a. l.* Lall. (10) — *resplendeat iis* V. M. (11) — *odrilitium* pro *Corinthium* V. M. — *argentum, aes Corinthium, aut Deliacum,* (praebent hoc gloss. Cdd. aliq.). *aedificium, locus ipse* cum Mureto *Var. lectt.* 6, 20. L. Lall. (nisi quod hic: *Cor. aes.*) (12) ∞ om. *aedificium* Mars. G. [ ]. (13) ∞ *ergo* Cdd. aliq. P. (14) cum Cdd. P. V. D. Seqq. — *ac* M. — *at* L. Grut. cum Cdd. aliq. (15) — *palatum* e Cdd. D. 1. Br.

O lapathe, ut iactare[1] *necesse est, cognitu' cui sis!*
In quo Laeliu' clamores, σοφὸς ille, solebat
Edere, compellans gumias[2] *ex ordine nostros.*

Praeclare Laelius, et recte σοφός; illudque vere[3]:

O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit.
Coenasti in vita nunquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla atque acipensere cum decumano[4].

Is haec loquitur, qui in voluptate nihil ponens, negat eum bene coenare, qui omnia ponat in voluptate: et tamen non negat, libenter unquam coenasse Gallonium; mentiretur enim: sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene coenent, omnes libenter coenare: qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius bene. 25. Quid bene? Dicet[5] Lucilius:

Cocto[6],
Condito.

Sed cedo caput coenae:

Sermone bono.

Quid ex eo?

Si quaeri'[7], *libenter:*

veniebat enim ad coenam, ut animo quieto satiaret[8] desideria naturae. Recte ergo is negat, unquam bene coenasse Gallonium; recte[9], miserum: quum praesertim in eo omne studium consumeret. Quem libenter coenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. Non igitur nec lapathi[10] suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed suavitatem[11] ipsam negligebat: quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini[12], sed etiam ut loqui deceat[13] frugaliter. 26. Possumusne igitur[14] in vita summum bonum dicere, quum id ne[15] in coena quidem posse videamur? Quo modo autem philosophus loquitur? „Tria genera cupiditatum: naturales, et necessarias, naturales, non[16] necessarias: nec naturales, nec necessarias." Primum divisit ineleganter[17]; duo enim genera quae erant, fecit tria. Hoc est non dividere, sed frangere[18]. Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes: naturalium quoque

(1) Hoc est: „quantum iactare se debet is, qui praestantiam tuam agnorit!" Sed L. Grut.: ∞ *iactere*, id est: quantum necesse est te ipse iactes, ubi cogitaris, qui vir aliquando suavitatem tuam probe perspexerit, Laelius scil. (2) — *gumas* Edd. ante L. (3) cum Cdd. P. D. 1. (sed mire: *Laeliu'*) Br. G. 2. — *Laeliu' praeclare et recte Sophos illudque* (*illeque* L.) *vere* Cr. V. M. L. ∞ *illud vero* Cdd. Erl. Spir. (4) ∞ *quum decum.* G. ∞ *quum in dec.* L. € prob. D. (5) — *dicit* Grut. 1. err. typogr. (6) — *horto* V. (7) — *sequitur is* V. (8) — *sat. an. q.* Cdd. aliq. Cr. V. (9) — *recte dicit* L. €. (10) ∞ om. *nec* Cdd. aliq. Br. [ ]. — *non ig. lapathum, nec l. s.* L. €. (11) — *acubanti ere galloni L. anteponebat aliis que erant in mensa tamquam suum, sed s.* (sic) P. Vide Br. (12) — *sequamur* Cdd. aliq. (13) — *discatis* Nodelli €. — *etiam loquamini, ut decet, fr.* Ern. susp. (14) — *igitur voluptatem* L. € (15) — *quod ne* D. et Ern. susp. (16) — *et non* V. (17) — *negligenter* Cd. Mo., ipso Morelio improb. (18) e Cdd. G. — *frangere rem* Ceteri, etiam Sch. 2., nisi quod D. et Br. *rem* [ ].

item[1] duo, necessarias, et non necessarias: confecta res esset. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent[2]. Vitiosum est enim in dividendo, partem in genere numerare. 27. Sed hoc sane concedamus: contemnit enim[3] disserendi elegantiam; confuse loquitur. Gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem[4] illud ipsum[5] non nimium probo, et tantum[6] patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas[7], quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite: et adulter verum habebit modum: et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis[8], sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo: elegantiam desidero. Appellet haec desideria naturae: cupiditatis nomen servet alio, ut eam[9], quum de avaritia, quum de intemperantia, quum de maximis vitiis loquetur, tamquam[10] capitis accuset. 28. Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur et saepius. Quod equidem non reprehendo: est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere: sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit, (vis enim est permagna naturae,) confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. — Quid, quod res alia tota est? — Reperiam multos, vel innumerabiles potius, non tam curiosos, nec tam molestos, quam vos estis: quibus, quidquid velim, facile persuadeam. — Quid ergo dubitamus, quin, si non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate dolor sit maximus? cur id non ita fit? — Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio. —

X. 29. Hoc vero non videre[11] maximo argumento esse, voluptatem illam, qua sublata, neget se intelligere omnino, quid sit bonum, (eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus: cetera addit, quae si appelles, honos praefandus sit:) — hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, quum dolore careamus. Quam[12] haec sunt contraria! 30. Hic si definire, si[13] dividere didicisset; si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret: nunquam in tantas salebras incidisset. Nunc

(1) — om. *item* Cdd. aliq. — om. *quoque item* Cdd. aliq. (2) Accesserunt haec *qui - - solent* e Cdd. Marg. Cr. in Ed. Grut. Seqq. — om. Priores cum Cdd. Regg. (3) ∞ om. *enim* Erl. Spir. (4) e Cdd. G. 2. — *Et quidem* Ceteri. (5) — om. *ipsum* Cdd. aliq. P. D. (6) e Cdd. Grut. Seqq. — *tamen* Priores. — *et* Br. [ ]. (7) = *cup. sit* V. (8) — *pravitati* V. D. (9) e Cdd. G. 2. — om. h. l. *eam* Ceteri. (10) — *eam tamq.* P. V. M. L. 1. Br. — *ea tamq.* Cd. Lambini. D. (11) Sic V. (nisi quod cum Edd. ante Grut. praeter L. habet: *vol. illam.*) D. Ern. 1. (hic cum coruptelae signo) G, 2. Vide G. et Matthiae p. 124. — *videt* Br. C. — om. *esse* P. M. — *maximo est argumento*, *nullam esse vol.* L. C. (12) e Cdd. D. Seqq. — *quamquam* Priores. (13) e Cdd. et Nonio in v. *salebrae* G. 2. — *vel* P. M. D. 1. Br. — *et* V. L.

O lapathe, ut iactare[1] *necesse est, cognitu' cui sis!*
In quo Laeliu' clamores, σοφὸς ille, solebat
Edere, compellans gumias[2] *ex ordine nostros.*

Praeclare Laelius, et recte σοφός; illudque vere[3]:

O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit.
Coenasti in vita nunquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla atque acipensere cum decumano[4].

Is haec loquitur, qui in voluptate nihil ponens, negat eum bene coenare, qui omnia ponat in voluptate: et tamen non negat, libenter unquam coenasse Gallonium; mentiretur enim: sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene coenent, omnes libenter coenare: qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius bene. 25. Quid bene? Dicet[5] Lucilius:

Cocto[6],
Condito.

Sed cedo caput coenae:

Sermone bono.

Quid ex eo?

Si quaeri'[7], *libenter:*

veniebat enim ad coenam, ut animo quieto satiaret[8] desideria naturae. Recte ergo is negat, unquam bene coenasse Gallonium; recte[9], miserum: quum praesertim in eo omne studium consumeret. Quem libenter coenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. Non igitur nec lapathi[10] suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed suavitatem[11] ipsam negligebat: quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini[12], sed etiam ut loqui deceat[13] frugaliter. 26. Possumusne igitur[14] in vita summum bonum dicere, quum id ne[15] in coena quidem posse videamur? Quo modo autem philosophus loquitur? „Tria genera cupiditatum: naturales, et necessarias, naturales, non[16] necessarias: nec naturales, nec necessarias." Primum divisit ineleganter[17]; duo enim genera quae erant, fecit tria. Hoc est non dividere, sed frangere[18]. Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes: naturalium quoque

---

(1) Hoc est: „quantum iactare se debet is, qui praestantiam tuam agnorit!" Sed L. Grut.: ∾ *iactere*, id est: quantum necesse est te ipse iactes, ubi cogitaris, qui vir aliquando suavitatem tuam probe perspexerit, Laelius scil. (2) — *gumas* Edd. ante L. (3) cum Cdd. P. D. 1. (sed mire: *Laeliu'*) Br. G. 2. — *Laeliu' praeclare et recte Sophos illudque* (*illeque* L.) *vere* Cr. V. M. L. ∾ *illud vero* Cdd. Erl. Spir. (4) ∾ *quum decum.* G. ∾ *quum in dec.* L. Є. prob. D. (5) — *dicit* Grut. 1. err. typogr. (6) — *horto* V. (7) — *sequitur is* V. (8) — *sat. an. q.* Cdd. aliq. Cr. V. (9) — *recte dicit* L. Є. (10) ∾ om. *nec* Cdd. aliq. Br. [ ]. — *non ig. lapathum, nec l. s.* L. Є. (11) — *acubanti ere galloni L. anteponebat aliis que erant in mensa tamquam suum, sed s.* (sic) P. Vide Br. (12) — *sequamur* Cdd. aliq. (13) — *discatis* Nodelli Є. — *etiam loquamini, ut decet, fr.* Ern. susp. (14) — *igitur voluptatem* L. Є (15) — *quod ne* D. et Ern. susp. (16) — *et non* V. (17) — *negligenter* Cd. Mo., ipso Morelio improb. (18) e Cdd. G. — *frangere rem* Ceteri, etiam Sch. 2., nisi quod D. et Br. *rem* [ ].

item[1] duo, necessarias, et non necessarias: confecta res esset. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent[2]. Vitiosum est enim in dividendo, partem in genere numerare. 27. Sed hoc sane concedamus: contemnit enim[3] disserendi elegantiam; confuse loquitur. Gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem[4] illud ipsum[5] non nimium probo, et tantum[6] patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas[7], quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite: et adulter verum habebit modum: et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis[8], sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo: elegantiam desidero. Appellet haec desideria naturae: cupiditatis nomen servet alio, ut eam[9], quum de avaritia, quum de intemperantia, quum de maximis vitiis loquetur, tamquam[10] capitis accuset. 28. Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur et saepius. Quod equidem non reprehendo: est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere: sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit, (vis enim est permagna naturae,) confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. — Quid, quod res alia tota est? — Reperiam multos, vel innumerabiles potius, non tam curiosos, nec tam molestos, quam vos estis: quibus, quidquid velim, facile persuadeam. — Quid ergo dubitamus, quin, si non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate dolor sit maximus? cur id non ita fit? — Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio. —

X. 29. Hoc vero non videre[11] maximo argumento esse, voluptatem illam, qua sublata, neget se intelligere omnino, quid sit bonum, (eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus: cetera addit, quae si appelles, honos praefandus sit:) — hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, quum dolore careamus. Quam[12] haec sunt contraria! 30. Hic si definire, si[13] dividere didicisset; si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret: nunquam in tantas salebras incidisset. Nunc

---

(1) — om. *item* Cdd. aliq. — om. *quoque item* Cdd. aliq. (2) Accesserunt haec *qui - - solent* e Cdd. Marg. Cr. in Ed. Grut. Seqq. — om. Priores cum Cdd. Regg. (3) ∞ om. *enim* Erl. Spir. (4) e Cdd. G. 2. — *Et quidem* Ceteri. (5) — om. *ipsum* Cdd. aliq. P. D. (6) e Cdd. Grut. Seqq. — *tamen* Priores. — *et* Br. [ ]. (7) = *cup. sit* V. (8) — *pravitati* V. D. (9) e Cdd. G. 2. — om. h. l. *eam* Ceteri. (10) — *eam tamq.* P. V. M. L. 1. Br. — *ea tamq.* Cd. Lambini. D. (11) Sic V. (nisi quod cum Edd. ante Grut. praeter L. habet: *vol. illam.*) D. Ern. 1. (hic cum coruptelae signo) G. 2. Vide G. et Matthiae p. 124. — *videt* Br. C. — om. *esse* P. M. — *maximo est argumento*, *nullam esse vol.* L. C. (12) e Cdd. D. Seqq. — *quamquam* Priores. (13) e Cdd. et Nonio in v. *salebrae* G. 2. — *vel* P. M. D. 1. Br. — *et* V. L.

vides[1], quid faciat. Quam nemo unquam voluptatem appellavit, appellat, [atque] quae duo sunt, unum facit. Hanc in motu voluptatem (sic enim has suaves et quasi dulces voluptates appellat[2],) interdum ita extenuat, ut M' Curium putes loqui: interdum ita laudat, ut, quid praeterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem. Quae iam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda est. Non est enim vitium in oratione solum[3], sed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc loco discipulos quaerere videtur, ut, qui asoti[4] esse velint, philosophi ante fiant. 31. A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo summi boni. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate et eam appetit, ut bonum: aspernatur dolorem, ut malum. De malis autem et bonis ab iis animalibus, quae nondum depravata sint, ait optime iudicari. Haec et tu ita posuisti, et verba vestra sunt. Quam[5] multa vitiosa! Summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate diiudicabit? stante, an movente? — quoniam, si diis[6] placet, ab Epicuro loqui discimus. — Si stante, hoc[7] natura videlicet vult, salvam esse se; quod concedimus: si movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit. Et simul non proficiscitur[8] animal illud[9] modo natum a summa voluptate, quae est a te posita in non dolendo. 32. Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit, aut etiam a bestiis, quae putat esse specula naturae: ut diceret, ab his[10], duce natura, hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi: nec ullum[11] habet ictum, quo pellat animum status[12] hic non dolendi. Itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. At ille pellit, qui permulcet sensum voluptate[13]. Itaque[14] Epicurus semper hoc utitur[15], ut probet, voluptatem natura expeti; quod ea voluptas, quae in motu sit, et parvos ad se alliciat et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere. Qui[16] igitur convenit, ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere?

XI. 33. Bestiarum vero nullum iudicium puto. Quamvis enim depravatae non sint, pravae tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum: sic ferarum natura, non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua[17]. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem: sed tantum

(1) — *vide* Ern. susp. (2) ex Erl. et Spir. G. 2. (nisi quod G. de suo inseruit *atque*, quod ego [ ]. et Sch. om. *et* ante v. *quasi*) E Cd. Mo. aliisque simpliciter affertur: *appellavit*, *appellat.* — *Q. n. u. voluptatem appellat* (*appellavit* D. 1. Br.), *et hanc in motu voluptatem*, *quae duo sunt*, *unum facit.* *Sic enim h. s. et q. d. v. a.* Ceteri. (3) cum Cdd. Grut. Seqq. = *solum in or.* Edd. ante Grut. (4) — *v.*, *qui*, *quum a.* L. (5) Sic Cd. Mo. P. M. Grut. Seqq. — *quamquam multum vitiosa* Cdd. aliq. Cr. V. L. (6) — *dis*, ut vol. G., Sch. 2. (7) — *haec* V. (8) — *proficiscetur* M. Sch. 2. (9) — *aliud* G. Œ. 2. Sensus est: Praeterea eo quoque nomine vitiosa est Epicuri ista ratio, quod, quum ipse summam voluptatem ponat in non dolendo, eam ipsam nondum nec habet, nec novit *illud*, quod tam saepe ille appellat, animal modo natum non sine doloris sensu, ideoque de ea iudicare nequit. (10) ∾ *iis* V. (11) — *illum* Cd. Mo. M. Grut. (12) — *animi statum* Cdd. multi. P. V. (13) — *At illa - quae - - voluptas* L. Œ. (14) — *Atque* Cdd. aliq. (15) ∾ *nititur* Cdd. Pal. prim. et sec. prob. G. (16) — *quid* Edd. ante L. Item Grut. (17) — *sed nata prava* D. susp.

ut se ipse[1] diligat, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal, simul ut ortum est, et se ipsum, et omnes partes suas diligit: duasque[2], quae maximae sunt, in primis amplectitur; animum[3], et corpus: deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo praecipua quaedam, et in corpore: quae quum leviter agnovit, tum[4] discernere incipit, ut ea, quae prima data[5] sunt naturâ, appetat, aspernetur que[6] contraria. 34. In his primis naturalibus voluptas insit, necne, magna quaestio est. Nihil vero putare esse[7], praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem[8], summae mihi videtur inscitiae. Atque ab isto[9] capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. Polemoni, et iam ante[10] Aristoteli, ea prima visa sunt, quae paullo ante dixi. Ergo[11] nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent, secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita, frui primis a natura datis. Calliphon ad virtutem nihil adiunxit, nisi voluptatem: Diodorus vacuitatem[12] doloris. His omnibus, quos[13] dixi, consequentes sunt fines bonorum. Aristippo simplex voluptas: Stoicis, consentire naturae; quod esse volunt e virtute, id est, honeste[14] vivere: quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reiicientemque[15] contraria. 35. Ita tres sunt fines expertes honestatis: unus Aristippi, vel Epicuri; alter Hieronymi; Carneadis tertius: tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis[16], Diodori. Una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est, in honestate[17]; nam Pyrrho, Aristo, Herillus, iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo, voluptas, Hieronymo, doloris vacuitas, Carneadi, frui principiis naturalibus, esset extremum.

XII. Epicurus autem quum in prima commendatione voluptatem[18] dixisset: si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille: sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut † voluptatem illam, non Aristippi[19], in prima commendatione poneret.

---

(1) — *se ipsum* V. (2) — *duasque res* M. L. (3) — *animum scilicet* Cr. V. (non P.) (4) e Spir. Ed. G. 2. — *tunc* Ceteri. (5) — *data* G. [ ]. Del. Sch. 2. Tu consule Beier *Offic.* T. 1. p. 25. (6) — *et asp.* Gud. sec. (7) — *inesse* Br. susp. dubia. (8) ∞ om. *non val.* Cdd. aliq. (9) — *ipso* V. (10) Sic Br. G. 2. — *etiam ante* Cdd. pleriq. M. Grut. 1. ∞ *et ante* Cdd. P. Cr. V. L. D. (11) — *Ex quo* Nescio cuius C. apud L. Br. — *Hinc ergo* L. susp. non recepta. — *Eo* Ern. susp. (12) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. V. G. 2. — *nisi vac.* M. L. D. 1. Br. (13) — *quae* Nescio quae Edd. vett. apud Ern. (non P., non Iu,) prob. Rath. — Haec *His - - - bonorum* del. censet Matthiae p. 126. (14) — *honestate* e Cdd. D. (15) Sic Cd. Mo. Alii. D. Seqq. — *eligente - - reiicienteque* Edd. ante D. (16) e Cdd. G. 2. — *Calliphonis* Edd. ante G. (17) Sic Iu. Cr. V. M. L. — om. *in* Ceteri. Excidit, quia scribebant *id est* simplici *. i .*, ut habet P. *tota . i . honestate*, Iu.: *tota . i . in hon.* (18) ∞ *voluptatem esse* L. solus. (19) Locus corruptus, de quo vide etiam Beier *Offic.* T. 1. p. 3. Ut nos, Eliens. sec. (neutiquam vero Cratandr., ut in talibus saepissime errans ait G. Utinam quae e Cdd. suis affert, fide digniora sint!) D. Lall. Br. G. — om. *non* ante *Aristippi* Iu. Crat. V. M. L. 1. — *volupt. illam in pr.* (omisso nostro *non Aristippi* et aliorum *Aristippi.*) Cd. Ursini. Marsus. Sch. 2. Sed P.: — *idem fecisset* (sic) *non voluptatem illam Aristippi in pr.* Hinc leg. videtur: *fecisset idem, ut vacuitatem illam, non voluptatem Aristippi in pr.* Similia voc. *vacuitatem - voluptatem* infesta sibi fuerunt.

36. Nam, quod ait, sensibus ipsis iudicari, voluptatem, bonum esse; dolorem, malum: plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt, privatarum litium quum iudices sumus. (Nihil enim possumus iudicare[1], nisi quod est nostri iudicii. In quo frustra iudices solent, quum sententiam pronuntiant, addere, SI QVID MEI IVDICII EST. Si enim non fuit eorum iudicii, nihilo magis, hoc [non[2]] addito, illud est iudicatum.) Quid iudicant[3] sensus? Dulce amarum; lene[4] asperum; prope longe; stare movere; quadratum rotundum. 37. Quam[5] igitur pronuntiabit sententiam ratio? Adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia: deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti: quarum[6] adeo omnium sententia pronuntiabit, primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. De vacuitate doloris eadem sententia est[7]. 38. Reiicietur etiam Carneades: nec ulla[8] de summo bono ratio aut voluptatis non dolendive particeps, aut honestatis expers, probabitur. Ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet, nihil esse bonum, nisi honestum; nihil malum, nisi turpe: cetera aut omnino nihil habere momenti, aut tantum, ut nec expetenda, nec fugienda, sed eligenda modo, aut reiicienda sint: aut anteponet eam, quam quum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae, et totius perfectione vitae locupletatam videbit[9]. Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas, verborumne sit controversia.

XIII. 39. Huius ego nunc auctoritatem sequens, idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones; omnesque simplices sententias eorum, in quibus nulla inest[10] virtutis adiunctio, omnino a philosophia semovendas putabo: primum Aristippi Cyrenaicorumque omnium: quos non est veritum, in ea voluptate, quae maxima[11] dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere, contemnentes istam vacuitatem doloris. Hi non viderunt, ut ad cursum, equum, ad arandum, bovem, ad indagandum, canem; sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum[12] esse natum, quasi mortalem

---

(1) Sic dedi e C2d., ut volebat I. — *permittunt. Privatarum litium quum iudices sumus, nihil possumus iud.* L. — *permittunt. Privatarum litium iudices sumus. Nihil enim p. i.* Ceteri. (2) Recte viderunt Br. et I., istud *non* deberi interpolatori, parum perspicienti loci sensum, qui hic est: „Ubi rem accuratius spectes, invenies antiquam illam iudicum formulam *si quid mei iudicii est* prorsus esse supervacaneam et inanem. Nam si est eorum iudicii, etiam hoc non addito, iudicium ratum erit; sin eorum iudicii non est, nihilo magis, hoc addito, vere erit iudicatum, sed iudicii falsa species dumtaxat. (3) De Ern. Є. Br. G. 2. — *Quid iudicat sensus?* M. de P. Fabri Є. L. — *iudicatum, quod iudicat s.* Cdd. P. Cr. V. 1. (— *quid iudicatur sensibus?* D. Є. recepit Lall.) (4) ∞ *laeve* Ern. susp. prob. G. (5) — *aequam* C1d. Paris. Crat. prob. D. (6) ∞ *harum* L. Є. (probb. D. Ern. Br.) (7) ∞ *erit* de Bentl. Є. Ern. 1. Br. Sch. 2. (hic v. *de v. d. e. sententia erit* [ ] de G. susp.) (8) e Cdd. D. 1. Br. G. 2. — *illa* Cdd. ante D. (9) — *antep. eam, quum hon. - - locupletem. Quod* Mars. (*locupletem* ortum est e *locupletam* P.) (10) Sic Cr. V. Grut. Seqq. — *est* P. Iu. M. L. (11) — *maxime* P. Ex Edd. vett. Ern. 1. (12) Sic Ern. 1. Seqq. — *intelligendum et ad ag.* P. Iu. — *ad intell. et ag.* D. e Cd. — *intellig. et ag.* Cr. V. M. L. Grut. — *intelligendi et agendi* Gud. sec. (— *intelligendi et agendi causa* G. susp.)

deum: contraque, ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et ad[1] procreandi voluptatem hoc[2] divinum animal ortum esse voluerunt; quo nihil mihi videtur absurdius[3]. 41. Atque haec contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit[4], quam omnes unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose. Nec enim figura corporis, nec ratio excellens ingenii humani, significat, ad hanc unam[5] rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus: cui summum bonum est idem, quod vos interdum, vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum dolor est[6], carere eo malo satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius,

Nimium boni est, cui nihil est mali.

Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus: nec eam cessando, sive gaudentem, ut Aristippus; sive non dolentem[7], ut hic: sed agendo aliquid, considerandove quaeramus. 42. Quae possunt eadem contra Carneadeum[8] illud summum bonum dici quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret[9]. Id autem eiusmodi est, ut additum ad virtutem, auctoritatem videatur habiturum et expleturum cumulate vitam beatam: de quo omnis haec quaestio est. Nam qui ad virtutem adiungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi facit; vel vacuitatem doloris, quae etiam si malo caret, tamen non est summum bonum: accessione utuntur non ita probabili, nec tamen, cur id tam parce tamque restricte faciant, intelligo. Quasi enim emendum eis sit, quod addant ad virtutem, primum vilissimas res addunt: deinde singulas potius, quam omnia, quae prima natura approbavisset[10]. 43. Quae quum Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt[11] pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte iam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent, nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur, virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Herillus autem ad scientiam omnia revocans, unum quoddam[12] bonum vidit: sed nec optimum, nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse iam pridem est reiectus: post enim Chrysippum[13] non sane est disputatum.

XIV. Restatis igitur vos: nam cum Academicis incerta[14] luctatio

---

(1) — om. *ad* V. (2) — *hi hoc* Cdd. aliq. Cr. V. D. — *sic hoc* Cdd. aliq. Iu. Ern. 1. (3) Sic V. Grut. Seqq. ∞ *vid. esse abs.* P. Cr. M. L. (4) — *solam esse ducit* P. — *solam etiam dicit* Ven. 1494. M. L. (5) = *unam hanc* Cdd. Erl. Spir. (6) — om. *est* Cdd. multi. P. D. (7) Sic Pal. pr. Erl. Spir. Grut. D. 1. G. 2. — *gaudendo - - dolendo* Edd. ante Grut. (etiam Crat. Errat rursus G.) tum Br. (8) = *Carneadium* V. (9) — *opponeretur* Iu. Cr. V. (10) Sic Cd. Lambini. Marsus. L. G. 2. — *approbavisset, ea cum voluptate coniungerent* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. Grut. D. 1. Br. Hi tres [ ] v. *ea - - coni.* (11) — *sint* Ern. susp. (12) — *quidem* Cd. Bas. (13) = *post Chr. enim* L. (— *contra eum* vel *in eum* h. l. excidisse putabant D. Ern.) (14) — *uncta* Pal. pr. prob. Grut.

est; qui nihil affirmant, et, quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt, quodcunque veri simile videatur. 44. Cum Epicuro autem hoc est plus[1] negotii, quod e[2] duplici genere voluptatis coniunctus est: quodque et ipse, et amici eius, et multi postea, defensores eius sententiae fuerunt: et nescio quomodo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis[3] facit. Quos nisi redarguimus[4], omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. Ita ceterorum sententiis semotis, relinquitur, non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus, et diligens, Chrysippus, non contemnit; totumque discrimen summi boni in eadem comparatione positum[5] putat. Ego autem existimo, si honestum aliquid esse[6] ostendero, quod sit ipsum vi sua propter seque[7] expetendum, iacere vestra omnia. Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia viâ[8], Torquate; nisi memoria forte defecerit[9]. 45. Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis[10] praemiis, fructibusve[11], per se ipsum possit iure laudari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest, (quamquam aliquantum potest,) quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque studiis atque factis: qui permulta ob eam causam unam[12] faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est; etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis[13], tamen hoc unô a bestiis plurimum differunt, quod rationem habent[14] a natura datam, mentemque[15] et acrem, et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam, sagacem[16], quae et causas rerum, et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disiuncta coniungat, et cum praesentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae consequentis statum. Eademque ratio fecit[17] hominem hominum appetentem, cumque his natura et sermone et usu congruentem, ut, profectus a caritate domesticorum ac suorum, serpat[18] longius, et se implicet primum civium, deinde omnium mortalium[19] societate[20]: atque, ut ad Archytam scripsit Plato, „non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed[21] suis;" ut perexigua pars ipsi relinquatur. 46. Et quoniam eadem natura cupiditatem

---

(1) = *plus est* V. (2) = *ex* P. M. L. (3) = *cum illis populus* V. (— *cum illis populis* Iu. Cr.) (4) e Cdd. G. 2. — *arguimus* P. Ceterae meae ante G. (5) — *in eam rerum comparationem pos.* Nonius *Aldi* in v. *discrimen.* — *in eadem rerum comparatione p.* Nonius *Merceri* p. 282. Morelius in lemmate. — *in earum rerum comp. p.* Med. Davisii. ipso prob. (— *earum compositione* Ox.) (6) e Cdd. G. 2. — om. *esse* Ceteri. (7) — *propterque se* M. L. (8) ex Erl. Spir. G. — *tuâ viâ* Sch. 2. — *tua* Ceteri. (9) e Cdd. Grut. Seqq. — *nisi ubi mem. f. d.* sine interpol. Cd. Mo. — *ubi mem. f. def., tuum est, ut suggeras* P. — *ubi si* (*me* add. M. L.) *mem. f. def., tuum est, ut suggeras* Cr. V. M. L. (10) — *illis* Sch. 2. err. typogr. (11) Sic Cdd. multi. P. Cr. V. Grut. G. 2. — *fructibusque* M. L. D. 1. Br. (12) cum Cdd. P. G. 2 = *unam causam* Ceteri. (13) Sic Grut. Seqq. = *multis al.* Ceteri. (14) e Cdd. G. 2. — *habeant* Ceteri. (15) Sic V. Grut. Seqq. — *a natura menti datam* P. — *a natura mentemque datam* M. L. (16) — *satagacem* Marklandi mira susp. (17) Sic Cdd. aliq. P. Grut. 1. G. ∾ *facit* Cr. V. M. L. D. Br. 2. cum Cdd. aliq. (18) e Cdd. Grut. Seqq. — *currat* Priores. (19) — *mort. omn.* G. solus nescio quo err. (20) ∾ *societati* Cdd. aliq. P. I. (21) — *et* L. Paullo ante: — *non sibi se solum* Guelf.

ingenuit homini veri videndi[1], quod facillime apparet, quum vacui curis, etiam quid in caelo fiat, scire avemus: his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia[2] odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis, quam ad parendum accommodatum[3]: omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens: altum quiddam et[4] excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. 47. Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur, et in[5] eadem pulchritudine, et aptum ex illis tribus: in quo inest ordo[6] et moderatio. Cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate, transitum est[7] ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his[8] tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat, et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere; vereturque quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur.

XV. 48. Habes undique expletam et[9] perfectam, Torquate, formam honestatis: quae tota his quattuor virtutibus, quae a te quoque commemoratae sunt, continetur. Hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam, aut qualem esse velint, qui[10] honestate summum bonum metiantur. Si enim ad honestatem omnia referantur[11], neque[12] in ea voluptatem dicant inesse, ait, „eos inani voce[13] sonare" (his enim ipsis verbis utitur") neque intelligere[14], neque videre, sub hac voce honestatis quae sit subiicienda sententia. Ut enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum. Quod, inquit, quamquam voluptatibus quibusdam est saepe iucundius, tamen expetitur propter voluptatem." 49. Videsne, quam sit magna dissensio? Philosophus nobilis, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non est in voluptate, negat se intelligere: nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudatur[15]. Ego autem, hoc etiam turpe esse saepe, iudico: et, si quando turpe non sit, tum non esse non turpe, quum[16] id a multitudine laudetur. Quod si sit ipsum per se rectum[17] atque laudabile, non ob eam causam tamen illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset[18] specieque laudabile. Itaque idem natura victus, (cui obsisti non potest,)

---

(1) Ex optt. Cdd. G. 2. — *inveniendi* Ceteri. (2) — *fallacia* L. E. (3) — *accommodum* L. E. voc. poëtarum dumtaxat. (4) — om. *et* P. M. L. (5) — om. *in* L., ut susp. Br. (6) ∞ *et ordo* V. (7) sic P. Marsus. D. Seqq. — *ac dignitate*, *ab hac trans.* L. E. — *specie*, *a dignitate trans.* Ct. V. Man. meus., etsi alteram l. E. assecutus erat. (8) ∞ *iis* V. (9) — *atque* L. solus. (10) — *hi*, *qui* Cdd. aliq. prob. G. (11) — *referant* Bentl. susp. (12) = *nec* M. L. (13) — *inanes voces s.* D. susp. — *inane s.* G. susp. (14) — *neque intell.* gloss. videtur G. et Sch. (15) cum Cdd. M. L. G. 2. ∞ *laudetur* Cr. V. Grut. D. 1. Br. (— *laudaetur* P.) Differt autem hoc *nisi forte* sine verbo, ab illo, quod cum verbo indicativo modo posito recte iungitur. Coniunctivus, quem h. l. minime damno, refert Epicuri eam esse opinionem. (16) e Cdd. G. 2. — *tamen - - quum* Ceteri. — *tamen - - quod* D. susp. ∞ *tamen - - quia* Br. susp. prob. Beier *Fragmm. Oratt.* p. 204. (17) cum Cdd. M. in Ed. posteriore. L. — *ipsum perfectum* P. Cr. V. M. 1555. (18) cum Cdd. V. Grut. 1. Seqq. = *pulchr. tua tamen esset* Cdd. aliq. P. Mars. M. = *sua tamen esset pulchr.* L. D.

dicit alio loco id, quod a te etiam paullo ante dictum est, non posse iucunde vivi, nisi honeste[1]. 50. Quid nunc, *honeste*, dicit[2]? idemne, quod *iucunde*? Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste[3] vivatur. An, nisi[4] populari fama? sine ea igitur iucunde negat posse vivi[5]? Quid turpius, quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intelligit honestum? Certe nihil, nisi quod possit ipsum propter se iure laudari. Nam si propter voluptatem: quae est ista laus, quae possit e macello peti? Non is vir est, ut, quum honestatem eo loco habeat, ut sine ea iucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat, et sine eo iucunde neget vivi posse, aut quidquam aliud honestum intelligat, nisi quod sit rectum, ipsumque per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile[6].

XVI. 51. Itaque, Torquate, quum diceres, clamare Epicurum, non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare. Tanta vis inerat in verbis, propter earum rerum, quae significabantur his[7] verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres, ut nos intuens quasi testificarere, laudari honestatem et iustitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat his[8] verbis uti! quibus si philosophi non uterentur, philosophia omnino non[9] egeremus. Istorum enim verborum amore, quae perraro appellantur ab Epicuro, sapientiae, fortitudinis, iustitiae, temperantiae, praestantissimis ingeniis homines se ad philosophiae studium contulerunt. 52. *Oculorum*, inquit Plato, *est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur!* Cur tandem? an quod ita[10] callida est, ut optime possit architectari voluptates? Cur iustitia laudatur? aut unde est hoc contritum vetustate proverbium, *quicum in tenebris*[11]? Hoc dictum in una re, latissime patet: ut in omnibus factis, re, non teste moveamur. 53. Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi[12] conscientia improbos excruciari, tum etiam poenae timore; qua aut afficiantur, aut semper sint[13] in metu, ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi; non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipse se cruciet, omniaque formidet: sed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo[14] occulte, sine teste, sine ullo conscio, fallat. 54. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui, quum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset[15], ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaevola, tribunus plebis, ferret ad plebem, vellentne[16]

(1) Sic P. Cr. V. G. 2. — *nisi etiam hon.* M. L. D. 1. Br. (2) Sic Cr. V. M. L. D. Br. cfr. mox *intelligit.* ∞ *dicitur* P. Iu. 1. G. 2. (3) — *iucunde v., nisi iucunde* Pearcii susp. (4) — *sine* Cdd. Davisii. P. Cr. L. (5) Sic L. Rursus de Bentl. et Dav. E. 1. 2. — *vivere* Ceteri. Idem error, notante D., in pluribus Cdd. est *Tusc.* 3, 20.; neque commode h. l. cogitatione suppleas vel *se*, vel *quemquam.* (6) e Cdd. G. 2. Item Grut. D. 1. Br., nisi quod: = *sua sponte*, *sua natura.* — *ipsum quod per se sua vi*, *sua nat.*, *sua sit sp. l.* Edd. ante Grut. (7) — *iis* L. (8) — *iis* M. L. D. 1. Br. (9) — del. *non* censebat Br. v. Add. (10) — *illa* M. L. (non Cr. V.) (11) — *ten. mices* Cdd. aliq. P. Cr. L. (12) cum Cdd. Crat. G. 2. — *quum animi* P. V. M. L. D. 1. Br. (13) cum Cdd. Ern. 1. G. 2. — *afficiuntur - - sunt* Ceteri, etiam Br. (14) eum Cdd. P. G. 2. ∞ *quomodo* Ceteri. Mox *sine teste* excidit e G. (15) — *exerceret* Ern. 1. E. Br. (16) ∞ *vellent nec ne* V.

de ea re quaeri. Quo plebiscito[1] decreta a senatu est consuli quaestio Cn. Caepioni[2]. Profectus in exsilium Tubulus statim, nec respondere ausus: erat enim res aperta.

XVII. Non igitur de improbo, sed de callide[3] improbo quaerimus, (qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit,) nec vero omnia timente[4]: sed[5] primum qui animi conscientiam non curet; quam scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe[6] facto videatur: quid est enim[7] aliud, esse versutum? 55. Memini me adesse P. Sextilio Rufo, quum is ad amicos rem[8] ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo: cuius in testamento scriptum esset, se[9] ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat. Poterat autem impune. Quis enim redargueret? Nemo nostrum credebat[10]; eratque veri similius, hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se[11] in legem Voconiam iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adolescentes, sed etiam[12] multi amplissimi viri: quorum nemo censuit plus Fadiae[13] dandum, quam posset ad eam lege Voconia[14] pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et commodis anteponerent, ne nummum quidem unum[15] attigisset. Num igitur eum[16] postea censes anxio animo, aut sollicito, fuisse? Nihil minus, contraque, illa hereditate dives, ob eamque rem laetus. Magni enim aestimabat pecuniam, non modo non contra leges, sed etiam legibus partam: quae quidem vel cum periculo est quaerenda vobis. Est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum. 56. Ut igitur illis, qui, recta et honesta quae sunt, ea[17] statuunt per se expetenda, adeunda sunt quaevis pericula decoris honestatisque causa: sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates; si magna res, magna hereditas agetur, quum pecunia

---

(1) = *plebi scito* e C2d. G. 2. Nil refert. Ceterum ignorat G., *plebi sive plebei* antiquum esse genitivum, neutiquam vero ablat. (2) De Man. Є. L. Seqq. Cdd. et Edd. priores: — *Scipioni*. (3) cum Cdd. D. Br. G. 2. — *sed callide* Cdd. aliq. P. Cr. V. M. L. 1. — *sed callido* Cdd. aliq. Grut. (4) de L. sententia D. Seqq. — *timentem* Priores, etiam L. 1566. (5) — om. *sed* M. Grut. (6) — *improbo* El. sec. Margo Cr. D. (7) = *enim est* V. (8) Sic Edd. pleraeque ante G. = *rem ad am. ita* C3d. optimi G. Marsus. — del. *rem* G. Є. 2. Sed est formula legitima minime obliteranda. Librarii casu transposuerunt. (9) ∞ *se esse* V. (10) Sic Cdd. multi, etiam Mo. D. Seqq. — *negabat* Cdd. alii. Edd. ante D., quam lect. de Pearcii sent. sic distinxit Lall.: — *redargueret? Nemo nostrúm. Negabat.* (11) — *se etiam* V. (12) — *et* M. L. D. 1. Br. (non P. V.) (13) ∞ *filiae* Cdd. aliq. P. Cr. M. 1. Br. (non V. L. D.) (14) — *Voconia* del. censebat Ern. (15) — *nummum nullum att.* Cd. Erl. Margo Cr. V. — Alii Cdd. aliter turbant propter similitudinem ductuum v. *nummum* et *unum*. v. c. *nummulum* in marg. Gud. sec. Hinc: — *ne nummulum attig.* G. mirâ Є. Verum saepe in formulis, in inscriptt. *nummus unus* memoratur pro minima aliqua vel ficticia summa; id quod h. l. significat Cic. Si quid mutandum, esset potius: *ne nummum unum quidem*, ut ne distraheretur formula legitima *nummus unus*. (16) Turbant in his quoque Cdd., unde G. volebat: *Eum igitur postea — —?* Sine causa. (17) — *eaque* V.

voluptates pariantur plurimae; idemque[1] erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum[2]! Ad honestatem enim ille[3] omnem conatum suum referebat, non ad voluptatem. Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus, † animi causa[4], si opus fuerit, dimicabit. 57. Occultum facinus esse potuerit: gaudebit. Deprehensus, omnem poenam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exsilium[5], ad ipsum etiam dolorem. Quem quidem vos, quum improbis poenam proponitis, impatibilem[6] facitis: quum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.

XVIII. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe[7] faciat, verum etiam praepotentem, ut M. Crassus fuit; qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim quam vellet iniquus, poterat impune[8]. Quam multa vero iniuste fieri possunt, quae nemo possit reprehendere[9]! 58. Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? Tu quidem reddes[10]: ipse Epicurus fortasse redderet; ut Sex. Peducaeus, Sex. F., is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem et humanitatis, et probitatis suae filium, tum doctus, tum omnium vir optimus et iustissimus, quum sciret nemo, eum rogatum a C. Plotio[11], equite Romano splendido, Nursino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum exposuit, hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero, (quoniam idem tu certe fecisses) nonne intelligas[12], eo maiorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui[13] omnia ad vestrum commodum, et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis[14], e quibus appareat, non voluptatem vos, sed officium sequi? plusque rectam naturam, quam rationem pravam[15] valere? 59. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem[16] imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum fa-

---

(1) — *idem* Cdd. aliq. M. L. (2) ∾ *periculorum* e Cd. Br. ∾ *periculi* V. Recte, puto. (3) Sic Cr. V. M. L. D. 1. Br. 2. — *illum* Cdd. pleriq. P. Grut. G. Sed *ille* Scipio, qui omnes suos conatus, non solum dimicationem cum Hannibale (id quod significaret *illum omnem s. c.*) ad honestatem referebat, h. l. opponitur Epicureorum sapienti. (4) Sic Cdd. aliq. V. M. 1. G. 2. Videtur tamen corruptum. — *cum causa* Cdd. pleriq. P. Cr. D. Lall. Br. — *cum casu* L. ∾ *immani cum campa* Creuzeri susp. ad *Plotin. de pulchro* p. LXXXIV. (5) — om. *ad exs.* G. err. typogr. (6) — *impetibilem* Cdd. aliq. (7) = *impr. aliquid* Cdd. aliq. Cr. V. (— *aliquid* suspectum G.) (8) Sic prorsus Cdd. Gifanii, Erl. Spir. item G., nisi quod: — *quamvis*. Sed, ubi *quamvis* significat *quantumvis*, minus bene ex ipsa sua notatione iungitur cum v. *velle*. — *esse enim quamvis vellet iustus iniquus p. i.* Cdd. aliq. P. Cr. V. M. D. (qui habet *impune* non *impunite*, ut ait Sch.) 1. Br., item Lall., nisi quod: ∾ *quam vellet*. — *esse enim quamvis vellet iniquus et iniustus, p. i.* e Cd. El. (qui tamen rectius *quam*) Sch. 2. (*e. e. quamvis velit iustus iniquus, poterit i.* L. E.) (9) — *deprehendere* volebat D., non *prehendere*, ut aiunt G. et Sch. (10) — *redderes* - - *faceres* - - *redderes* (D. et) Ern. susp. Pro *facies*: - *facias* M. L. (11) = *Plantia* L. (12) ∾ *intelligis* Cdd. aliq. P. M. L. D. 1. Br. (13) — *quia* 1. 2. err. typogr. (14) — *refertis* - - *facitis* L. solus. (15) = *pravam rat.* V. (16) cum Cdd. L. 1566. Grut. Seqq. = *impr. aliquem* Cr. — om. *aliquem* Cdd. aliq. P. V. M.

ctura[1] sit: improbe feceris, nisi monueris, ne assideat. Sed impune[2] tamen; scisse enim te quis coarguere possit[3]? Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri: deque his[4] rebus satis multa in nostris de Re publica libris sunt dicta a Laelio.

XIX. 60. Transfer idem ad modestiam, vel temperantiam[5], quae est moderatio[6] cupiditatum, rationi obediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? An est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia? Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis, proelium ineunt, sanguinem[7] pro patria profundunt: an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum, si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse, an meam; quum ego dicerem, nihil eum[8] fecisse sua causa, omniaque rei publicae, tu contra nihil, nisi sua? si vero id etiam explanare velles, apertiusque diceres[9], nihil eum fecisse, nisi voluptatis causa, quo modo eum tandem laturum fuisse existimes[10]? 61. Esto: fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas utilitates: (malo enim dicere[11], quam voluptates, in tanto praesertim viro:) num etiam eius collega[12] P. Decius, princeps in ea familia consulatus, quum se devoveret, et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat[13], aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Nam ubi eam caperet[14], aut quando, quum sciret confestim[15] esse moriendum, eamque mortem ardentiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem petendam putat? Quod quidem eius factum nisi esset iure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius: neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, consul cecidisset in proelio, seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. 62. Contineo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est: Leonidas, Epaminondas, tres aliqui[16], aut quattuor. Ego, si nostros colligere coepero, perficiam illud quidem, ut se virtuti tradat constringendam voluptas. Sed dies me deficiet: et, ut A. Varius[17], qui est habitus iudex durior, dicere consessori solebat, quum, datis testibus, alii tamen citarentur: Aut hoc testium satis est, aut nescio, quid satis sit: sic a me satis datum est

---

(1) Sic Cdd. aliq. P. Cr. M. Ern. 1. Seqq. — *emolumentum futura* Cdd. aliq. V. D. ∞ *emolumento futura* O2x. L. (2) Sic e Pal. pr. Grut. 1. Item D. Br. G. 2., nisi quod hi e Cdd.: = *impunite.* Haud tamen veri simile est tam brevi intervallo (§. 57.) variasse inter utramque formam Cic. — *sed impune tamen id te constat fecisse: quis* (P.) V. M. — *s. impune tamen id te constat facturum fuisse: quis* L. (3) — *posset* Gud. sec., ut volebat Ern. (4) e Cdd. Grut. Seqq. ∞ *Sed de his* Edd. ante Grut. (5) — om. *vel temp.* Gud. sec. non improb. G. (6) = *mod. est* V. (7) — *et sang.* e C1d. D. (8) — *eum nihil* V. (9) e Cdd. Grut. Seqq. — *velles apertius*, *diceres* Edd. ante Grut. (10) Sic Cdd. aliq. P. M. D. 1. Br. 2. — *existimas* Cdd. aliq. Cr. L. G. Ortum hoc e prava lectione *apertius* pro *apertiusque.* In illa scil. distrahenda erat interrogatio a verbis praecedd. (11) — *sic m. e. d.* D. susp. — *m. e. ita d.* Br. dubia susp. (12) = *coll. eius* e Cdd. Spir. Erl. Sch. 2. ∞ om. *eius* cum Cdd. aliq. G. (13) — *devoveret - - irrueret* M. L. — *devovebat - - irruebat* Ern. 1. 2. ∞ *devoverat - - irruebat* D. susp. (14) — *cogitabat? ubi autem cap.* de D. €. Lall. (15) — *sibi conf.* L. €. (16) — *alii* Cd. Ursini. O1x. (17) — *Varus* V.

testium[1]. Quid enim? te ipsum, dignissimum maioribus tuis, voluptasne induxit, ut adolescentulus eriperes P. Sullae consulatum? quem quum ad patrem tuum retulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul, vel civis quum semper, tum post consulatum fuit? quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis consuluerimus[2]. 63. At quam pulchre dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti, nec futuro dolore: ex altera autem, cruciatibus maximis, toto corpore, nulla nec adiuncta, nec sperata voluptate: et quaerebas, quis aut hoc miserior, aut superiore illo beatior foret? deinde concludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem!

XX. L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus; quem meminisse tu[3] non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum, et cuiusvis generis eius[4] intelligens et copiosus: ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria et[5] sacrificia, et fana contemneret: ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus. 64. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valetudinis: utebatur his[6] exercitationibus, ut ad coenam et esuriens, et sitiens veniret: eo cibo, qui et suavissimus esset, et idem facillimus ad concoquendum: vino, et[7] ad voluptatem, et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intelligere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor: qui si adesset, nec[8] molliter ferret; et tamen medicis plus, quam philosophis uteretur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. 65. Hunc vos beatum; ratio quidem vestra sic cogit: — ego[9] huic quem anteponam, non audeo dicere: dicet[10] pro me ipsa virtus; nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere. Quem quidem, quum sua voluntate, nulla vi coactus praeter[11] fidem, quam dederat hosti, ex patria Karthaginem revertisset, tum[12] ipsum, quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium. Bella magna gesserat; bis[13] consul fuerat; triumpharat: nec tamen sua superiora illa[14] tam magna, neque[15] tam praeclara ducebat, quam illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat: qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi perpetienti[16] erat voluptarius[17]. Non enim hilaritate et[18] lascivia,

---

(1) e Cdd. (etiam Mo,) Grut. Seqq. = *s. testium est datum* L. — *s. t. est dictum* Edd. ante L. (2) — *consuleremus* Cdd. aliq. (— *ipsi nobis* L. susp.) (3) = *tu mem.* L, (4) = *eius gen.* V, (5) Sic Marsus. G. 2. — om. *et* Ceteri. (6) ∞ *iis* M. L. D. 1. Br, (7) — om. *et* V, (8) = *nec* del. censet Br. (9) Sic volebat G, Item D. Lall. Br. Sch. 2., nisi quod hi: ∞ *cogit. At ego* de Bentl. susp. (*vos* ex optt. est Cdd.) — *Hunc vero beatum oratio v. sic cogitat. Ego* Edd. ante D. — *Hunc vero beatum ratio quidem vestra sic cogit. Ego* Ern. 1. G. (hic invitus.) (10) — *dicit* Grut. solus. err. typogr. (11) — *propter* Cdd. Davisii. P, M. D. 1. Br. (non V, L.) (12) — *eum* e Cdd. aliq. D. (13) e Cdd. Grut. Seqq. — *gess. his bis* P, — *gess. is; bis* V. M. (— *bella is m. g.* L. E.) (14) Sic Cdd. aliq. P. Cr. V. D. = *sua illa sup.* M. L. 1. Br. — om. *sua* absorptum a pr. syllaba vocis seq. Cdd. aliq. G. 2. (15) = *nec* Edd. ante Grut. (16) = *perpet. illi* L. (17) cum Cdd. M. D. Seqq. — *voluntarius* P. Cr. V. L. (18) e Cdd. G. 2. ∞ *nec* Priores.

nec risu, aut ioco, comite levitatis, sed saepe etiam tristes firmitate [1] et constantia sunt beati. 66. Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata cives [2], se ipsa [3] interemit. Hic dolor populi Romani, duce et auctore Bruto, causa civitati [4] libertatis fuit: ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir, et pater eius, consul est factus. Tenuis L. Virginius, unusque de multis, sexagesimo anno post libertatem receptam, virginem [5] filiam sua manu occidit potius, quam ea App. Claudii libidini, qui tum erat summo in [6] imperio, dederetur.

XXI. 67. Aut haec tibi, Torquate, sunt vituperanda, aut patrocinium voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium, aut quae ista causa est voluptatis, quae nec testes ullos e claris viris, nec laudatores poterit adhibere [7]? Ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus [8] eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent: sic in vestris disputationibus historia muta est: nunquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari; qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum. Nunc vero [9], quoniam haec nos etiam [10] tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus noster [11] de [12] thesauris suis, quos et quantos viros [13]! 68. Nonne melius est de his aliquid, quam tantis voluminibus de Themista [14] loqui? Sint ista Graecorum: quamquam ab his philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus: sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnant Stoici cum Peripateticis. Alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit: alteri, plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona. Et [15] certamen honestum, et disputatio splendida! Omnis est enim de virtutis dignitate contentio. At cum tuis quum [16] disseras, multa sunt audienda etiam de obscoenis voluptatibus, de quibus ab Epicuro saepissime dicitur. 69. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse et [17] tuas cogitationes et studia perspexeris; pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes, sane commode, verbis depingere [18] solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem; pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem: praesto esse Virtutes, ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Voluptati ministrarent, et eam tantum ad aurem admonerent, (si modo id pictura intelligi posset,) ut caveret, ne quid

---

(1) — *non enim hilares hilaritate* Ern. susp. — *tristi firmitate* D. susp. (2) — *crimen* Cdd. aliq. — *vim* Alii. (3) — *ipsam* P. M. L. (4) — *hic dolor, populi Romani duce* distinguunt Ern. 1. Br. G. ∞ om. *civitati* Cd. Ursini. ∞ *Hic dolor populo Romano, duce et a. Br., causa lib. f.* G. susp. recepta a Sch. 2. (5) — *Virginiam* M. F. (6) ∞ om. *in* Cdd. aliq. G. 2. (7) — *exhibere* Ern. susp. (8) — *citamus* Cd. Urs. prob. D. (9) — *nec vero* Cdd. P. male prob. Man. (10) — om. *etiam* cum C2d. G. (11) Sic Cr. Grut. Seqq. — om. *noster* Cdd. aliq. P. V. M. L. (12) — *e* V. — *ex* e Cdd. aliq. D. (13) Sic Cdd. optimi, etiam Mo. G. 2. — *viros habere testium sat est* Ceteri. (D. 1. Br. [ ].) (14) Sic Cdd. aliq., ut volebat L. Recepere Grut. Seqq. — *Themistio* P. — *Themistocle* Cr. V. M. L. (15) — *Est* Ern. susp. prob. Br. — *En c. h! en d. spl.* G. susp. prob. Sch. (16) — *si* Cd. Urs. Mars. (17) — *te ipsum et* Sch. 2. E. — *te ipse, si* El. D. (18) Sic Cdd. meliores. Cr. Grut. G. 2. ∞ *pingere* Cdd. aliq. P. V. M. L. D. 1. Br.

faceret[1] imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor. „Nos quidem Virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus[2]."

XXII. 70. At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est,) quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat, aut neget. Illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum ponat[3], consentaneum sit dicere. Quid affers, cur Thorius, *cur C. Hirrius[4] Postumius, cur omnium horum[5] magister, Orata, non iucundissime vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprehendendam, nisi plane[6] fatui sint, id est, nisi aut cupiant[7], aut metuant. Quarum ambarum rerum quum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur. His enim rebus[8] detractis, negat se reperire in asotorum vita quod reprehendat. 71. Non igitur potestis voluptate omnia dirigentes[9], aut tueri, aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria. Nosti credo illud:

Nemo pius est, qui pietatem — — —

Cave[10] quidquam putes esse verius. Nec enim, dum metuit, iustus est: et certe, si metuere destiterit, non erit. Non metuet autem, sive celare potuerit[11], sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere; certeque malet existimari[12] bonus vir[13], ut non sit, quam esse, ut non putetur. Ita, (quod certissimum[14] est,) pro vera certaque iustitia simulationem nobis iustitiae traditis; praecipitisque quodam modo, ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. 72. Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt: quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tamquam in aqua, ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum? Delector enim, (quamquam te non possum[15], ut ais, corrumpere:) delector, inquam,

---

(1) Sic Cdd. meliores, etiam Mo. D. Br. G. 2. ∞ *perficeret* Cdd. aliq. P. Cr. V. M. L. 1. Miro errore, si tamen error est. Scripsitne Cic. *patraret*, a duobus gloss. expulsum? (2) — *aliud negotium non habemus* Cdd. Spir. Erl. — *aliud negotium non haberemus* G. susp. (3) Sic Cdd. aliq. (Pal. pr.) Mars. D. Lall. e Cdd. Regg. Ern. 1. prob. Beier ad *Offic.* T. 2. p. 409. — *putat* P. Cr. V. M. L. Grut. Br. G. 2. (4) *cur Chius Postumius* corrupte Cdd. optimi. — *Postumius*, *cur Chius* Cdd. multi. Edd. ante D. tum Ern. 1. Br. Ex aliis corruptelis Morelius, Urs. Scal. certatim emendarunt e Varrone *R. R.* 3., 17, Plinio *H. N.* 9, 81. (55.): ∞ *cur C. Hirrius Postumius.* Recepere D. G. 2., Sch. 2. nisi quod hic om. *cur.*) Id tantum noto, nec e Varr., nec e Plinio constare de cogn. *Postumii.* Praenomen huic uni additum facile feras, quum supra C. 20. exstet *Thorii*, notissimum esset *Oratae* praen. (5) — om. *horum* Cdd. multi. P. M. L. (Habent Cr. V.) — *hominum horum* D. susp. (6) — om. *plane* Cd. Mo. (7) — *aut plane cup.* Mars. Cr. V. non improb. G. Sed vides iam v. *plane* suo loco in Cdd. aliq. omissum, in aliis perverso loco insertum, in aliis pessime bis sic positum esse, ut habent Mars. Cr. V. (8) — om. *rebus* Cdd. aliq. Mars. (9) — *dirigente* Gud. sec. (10) e Cdd. optt. Grut. Seqq. — *pietatem cavet. Cave* Cdd. pleriq. Edd. ante Grut. (— *qui pietatem nimis colit* Hagenbuchii supplem.) (11) e Cdd. G. 2. — *poterit* Priores. (12) e Cdd. M. L. Seqq. — *sive opibus maius quidquam fecerit*, *certeque mallet obtinere existimari* Cr. V. (13) = *vir bonus* Erl. Spir. — om. *vir* Bas. (prob. G.) Sch. 2. (14) ∞ *perniciosissimum* Br. susp. — *turpissimum* Bentl. susp. — *nocentissimum* de D. susp. Sch. 2. Poterat etiam coniici *pravissimum.* Vulgata certe languet; nec placet *certeque* - *certissimum* - *certaque.* (15) — *possim* V.

et familia vestra, et nomine. Et hercule mihi[1] vir optimus nostrique amantissimus, A. Torquatus, versatur ante oculos: cuius quantum studium fuerit et quam insigne[2] erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum. Quae mihi ipsi, qui volo et esse, et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua: nisi hoc dicis, *sua*, quod interest omnium recte facere. Si id dicis, vicimus. Id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium. 73. Hoc ille tuus non vult, omnibusque ex rebus voluptatem, quasi mercedem, exigit. Sed ad illum redeo. Si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus, et ex eius spoliis sibi et torquem, et cognomen induit, ullam[3] aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna viro videbantur; fortem non puto. Iam si pudor[4], si modestia, si pudicitia, si, uno verbo, temperantia, poenae aut infamiae metu coërcebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur: quod adulterium, quod stuprum, quae[5] libido non se[6] proripiet ac proiiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut[7] licentia? 74. Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur? te isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei causa perficere, quae conaris, velis, quid[8] optimum denique in vita iudices, non audere in conventu dicere? quid enim mereri velis, iam quum[9] magistratum inieris et in concionem adscenderis, (est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in iure dicendo: et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis, et de te ipso dices, more maiorum) — quid merearis igitur, ut te dicas[10] in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse? teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? — An me, inquis[11], tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? — At tu eadem ista dic in iudicio, aut, si coronam times, dic in senatu. Nunquam facies. Cur, nisi quod turpis oratio est[12]? Mene ergo et Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

XXIII. 75. Verum, esto. Verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem; nec nos[13] fortasse intelligimus: hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos, quam dicatis voluptatem[14]. Rem vides[15] difficilem et obscuram. Individua quum dicitis[16], et intermundia, quae nec sunt ulla, nec possunt esse, intelligimus: voluptas, quae passeribus omnibus nota est[17],

---

(1) e Cdd. Grut. Seqq. — *modo* Priores. (2) e Cdd. G. 2. = *et quam ins. fuerit* Priores. (3) Sic P. 1480. Mars. M. L. D. Seqq. — *nullam* Cdd. noti. V. Grut. (4) — om. *si pudor* P. M. L. (non Cr. V.) (5) — *quo* - - *quo* - - *quo* O2x. De D. Є. Ern. 1. (6) — *se non* V. (7) — *ac* L. solus. — *et* D. (8) Sic Cdd. aliq. M. L. D. Br. — *quod* Ceteri. (9) — *quum tu* Cdd. aliq. V. D. (10) Sic M. L. Seqq. — *ut dicas te* Cdd. pleriq. Edd. meae ante M. 1555. (11) — *inquit* Gud. pr. Ven. 1494. (nulla mearum.) prob. Walker. (12) Sic Cdd. aliq. — *nisi quod t. est o.* Ceteri, praeter D. Sch. 2., qui cum Cdd. aliq. ∞ *nisi turpis est o.*, et G., qui cum Cdd. aliq.: ∞ *nisi t. o. est.* Videndum in talibus, ne *quod* nota *qd.* scriptum exciderit potius, quam a Cic. ipso omissum fuerit. (13) — *vos* V. (14) cum Cdd. Mars. Cr. G. 2. — *vol. quam dic.* P. V. M. L. D. 1. Br. (15) ∞ *videlicet* M. L. Lall. Sch. 2. Verum videtur. „In Mss. compendiose scribitur *rem vid. difficilem.*" Lall. — *vide* Ern. susp. — *video* D. susp. (16) ∞ om. *quum dicitis* Cdd. aliq., etiam Mo., ipso prob. P. M. L. (17) Sic Cdd. noti. Edd. ante Grut. D. = *pass. nota est omn.* Grut. tacite. 1. Br. G. 2.

a nobis intelligi non potest? Quid? si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire, (est enim iucundus motus in sensu,) sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum[1] enim eam ipsam vis, quam modo ego[2] dixi; et nomen[3] imponis, in motu ut sit, et faciat aliquam varietatem: tum aliam quandam summam voluptatem, cui addi nihil possit: eam tum adesse, quum dolor omnis absit, eamque stabilem appellas. 76. Sit sane ista voluptas. Dic in quovis conventu, te omnia facere, ne doleas. Si ne hoc[4] quidem satis ample, satis honeste dici putas; dic te omnia et in isto magistratu et in omni vita utilitatis tuae causa facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tua causa: quem clamorem concionis, aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est, futuram putes? Eamne rationem igitur sequare[5], qua tecum ipse et cum tuis utare, profiteri autem et in medium proferre non audeas? At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt: in iudiciis, in senatu, *officium*, *aequitatem*, *dignitatem*, *fidem*, *recta*, *honesta*, *digna imperio*, *digna populo Romano*, *omnia pericula pro re publica*, *mori pro patria*. 77. Haec quum loqueris, nos barones[6] stupemus: tu videlicet tecum ipse rides. Nam inter ista tam magnifica verba tamque praeclara non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis[7], quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine loquuntur, voluptatem vocant: sed ne haec quidem stabilis, quam praeter vos nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide igitur[8], ne non debeas[9] verbis nostris uti, sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non esses tui similis: verba tu fingas, et ea dicas, quae non sentias, aut etiam, ut vestitum[10], sic sententiam habeas, aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso, rectumne sit. Mihi quidem eae[11] verae videntur opiniones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque proferendae[12] sint[13]: ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere. 78. Amicitiae vero locus ubi esse potest, aut quis amicus esse[14] cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? quid autem[15] est amare, e[16] quo nomen ductum amicitiae[17] est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se nihil ex iis[18] redeat? — Et quidem[19] prodest, inquit[20], mihi eo[21] esse

(1) ∞ *tu* V. Rursus Ern. C. — *quum* L. (2) Quum varient Cdd. in positura v. *modo ego* G. C. et Sch. 2. ea deleverunt. (3) — *et ei n.* L. (4) — *haec* V. (5) cum Cdd. G. 2. = *eamne igitur r. s.* e Cdd. Br. — *eamne rationem igitur sequere* e Cdd. D. — *eamne rationem sequare* P. V. M. L. 1. (6) Sic Cdd. pleriq. P. V. M. D. Seqq. — *varones* L. — *varrones* Cdd. aliq. (7) — om. *quam - - dicitis* El. prim. prob. D. (8) cum Cdd. D. Br. G. 2. — om. *igitur* Ceteri, etiam 1. (9) — *dubites* Cd. Mo. (10) — *vestem* L. in m. 1584. (non 1566.) (11) — *hae* P. V. D. G. 2. (12) — *profitendae* cum Cdd. aliq. (etiam Mo.) D. (13) — *sunt* e Cdd. G. 2. (non D., ut ait Sch.) (14) — om. *esse* G. (15) ∞ *enim* de D. susp. Br. (16) = *ex* P. M. L. (17) Sic Grut. 1. Br., item, ut videtur, Cdd. Goerenzii, etsi ipse edidit = *est amicitiae*. = *nomen amic. ductum est* Cdd. multi. P. V. M. L. D. — *nom. amic. ductum* om. *est* Sch. 2. (18) e Cdd. G. 2. sed *his*. — *ex his nihil* V. — *ex iis n.* P. M. L. C. 1. Br. (19) — om. *quidem* Cdd. aliq. P. Cr. D. — *Quid? prodest* V. — *Ecquid prodest* M. (20) e Cdd. D. Br. G. ∞ *inquis* Ceteri, etiam V. L. Sch. 2. (21) — *in eo* V.

animo. — Immo videri fortasse. Esse enim, nisi eris[1], non potes. Quî autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta[2] utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se[3] oritur et sua sponte nascitur. — At enim sequor utilitatem. — Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur[4] utilitas: et, si utilitas amicitiam constituet, tollet eadem. 79. Sed quid ages tandem, si utilitas ab amicitia (ut fit saepe) defecerit[5]? Relinquesne? quae ista amicitia est? Retinebis? quî convenit? quid enim de amicitia statueris, utilitatis causa expetenda[6], vides. „Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri." Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Quod si, ne quo[7] incommodo afficiare, non relinques amicum: tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, óptabis. Quid? si[8] non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum: ne tum quidem te respicies, et cogitabis sibi quemque natum esse et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno[9], aut Pylades quum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non deprecarere[10]?

XXV. 80. Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia. Nihil enim arbitror magna laude dignum, quod te praetermissurum credam aut mortis, aut doloris metu. Non quaeritur autem, quid naturae tuae consentaneum sit, sed quid disciplinae. Ratio ista, quam defendis, praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam; quamvis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus. — At coluit ipse amicitias. — *Quis, quaeso, illum negat[11] et bonum virum, et comem[12], et humanum fuisse? De ingenio eius in his disputationibus, non de moribus quaeritur. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis in amicitiis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt, (nihil enim affirmo,) non satis acutus fuit. — At multis se probavit. — 81. Et quidem iure[13] fortasse: sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte, vel studio, vel quavis[14] scientia, vel[15] in ipsa vir-

(1) — *nisi sis* Cd. Ursini. (2) Sic O2x. Nonius in v. *subducere.* (Mo.) L. D. Seqq. — *sub dubia* Ceteri. (3) ∞ *ex se* Cdd. aliq. V. D. Br. (4) — *sequitur* Grut. err. typogr. (5) — *dissederit* Ern. susp. (6) — v. *util. c. expet.* del. L. — D. [ ]. (7) e Cdd. Grut. Seqq. — *odio est? Num quid est turpe, nisi quod est? si, ne quo in.* P. V. M. — *odio est? Numquid est, nisi quod turpe est? si, ne si incommodo quidem* L. Є. (8) Sic O1x. Br. G. — *Quod si* Ceteri. (Sch. 2. invitus.) (9) e Cdd. G. = *fecit Sic. tyr.* Ceteri. — *Sic. tyr.* de D. sententia Br. [ ]. ∞ *tyranno* suspectum Grutero et Ern. (10) Sic contextu manifesto flagitante P. M. L. Sensus ad idem redit, quod vera lectio infra *Lib.* 5. §. 63. *ambo sic una enicarier precamur* offert. — *non precarere?* Ceteri; qua tamen de ratione perversissima Goerenz in *Add.* ad sensum recte iudicat, sed soloece leg. proponit: *quo ambo una necaremini, non precarere?* deberet esse *ut ambo.* — *non precarere* sine interrog., id est: „omitteres precari." Stieglitz *de Pacuvii Duloreste* p. 112. contra totius loci conformationem, quae hoc quoque l. interrogat. requirit. (— *quo vos ambo una nec., comprecarere?* Davisii suspicio.) (11) Sic e vestigiis Cdd. (*quis quasi illum negat*) de D. Є. G. — *Quasi quis illum neget* Ceteri. (12) — *commune* Cdd. aliq. (— *communem* dubia G. susp.) (13) — *in rem* Cdd. multi. P. V. (14) ∞ *quavis* del. putant D. Ern. Br. (15) — *ut* de D. Є. Ern. 1. G. (hic invitus.)

tute, optimum quidque rarissimum[1]. Ac mihi quidem, quod et ipse bonus vir fuit, et multi Epicurei fuerunt[2] et hodie sunt et in amicitiis fideles, et in omni vita constantes et graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc[3] videtur maior vis honestatis, et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam[4], ut eorum vita refellatur oratio[5]. Atque ut ceteri dicere existimantur[6] melius, quam facere: sic hi mihi videntur facere melius[7], quam dicere.

XXVI. 82. Sed haec nihil sane ad rem. Illa videamus, quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere[8]: amicitiam a voluptate non posse divelli, ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset, nec iucunde quidem posset[9]. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humanius horum recentiorum, nunquam dictum ab ipso illo, quod sciam: primo utilitatis[10] causa amicum expeti: quum autem usus accessisset, tum ipsum amari per[11] se, etiam omissa spe voluptatis. Hoc etsi[12] multis modis[13] reprehendi potest, tamen accipio quod dant[14]. Mihi enim satis est, ipsis non satis. Nam aliquando posse recte fieri dicunt, nulla exspectata[15], nec quaesita[16] voluptate. 83. Posuisti etiam[17], dicere alios, foedus quoddam inter se facere[18] sapientes, ut quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos: id et fieri posse, et saepe esse factum, et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant[19]. At vero si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus; si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam: dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus? 84. Licet hic rursus ea commemores, quae optimis verbis ab Epicuro de laudibus[20] amicitiae dicta sunt. Non quaero, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi[21] et sententiae suae dicere. — Utilitatis causa amicitia quaesita est[22]. — Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam tua[23] sint Puteolis granaria[24]? Collige omnia, quae soletis: Praesidium amicorum. — Satis est tibi in te, satis in legibus, satis

---

(1) Sic El. prim. V. 1. G. 2. = *rariss. est* Ceteri. (2) ∞ *Epic. et f.* L. prob. G. (3) — *haec* V. (4) — *quidem* de dubia G. susp. Sch. 2. (5) — *vita probetur*, *refell. or.* Carol. Steph. L. (6) e Cdd. G. 2. = *exist. dic.* Ceteri. (7) = *mel. fac.* V. (8) ∞ *agnoscere* M. L., ut volebat Ern. (9) Sic Cdd. plerique et meliores. Edd. ante G. 2., nisi quod L. *ne* pro *nec*, quod h. l. rectissime se habet. *und nicht einmal.* — om. *haec nec - - posset* Cdd. aliq. deteriores propter duplex *posset.* — [ ] D. Br. — del. G. 2. Sed languet sic sententia; longe enim aliud est *iucunde vivere*, quam *tuto et sine metu vivere.* (— *et si sine metu non posset*, *nec iucunde posset* Matthiae susp.) (10) — *voluptatis* h. l. vel. mox *spe utilitatis* L. susp. non recepta. (11) cum Cdd. V. G. 2. — *propter* P. M. L. D. 1. Br. (12) ∞ *etiam si* Cdd. aliq. (13) — *multimode* Pal. prim. Vide Goer. *Add.* (14) cum Cdd. L. D. Seqq. — *dat* Ceteri. (— *datur* Cdd. aliq.) (15) — *nulla nec exsp.* L. solus. (16) — *exquisita* Spir. Erl. (17) cum Cdd. Grut. Seqq. — *autem* Priores. (18) = *fac. inter se* V. (19) — *non faciant - - diligant?* G. tacite. (20) — *laude* Cdd. aliq. Mars. (21) = *rationi possit* Cdd. aliq. Edd. ante Grut. (22) cum Cdd. G. 2. = *est quaes.* Ceteri, etiam Crat. (errat G.) (23) Sic Cdd. aliq. Iu. Crat. I. D. 1. Sch. 2. cfr. Muret. *V. L.* 7, 20. — *quam si tua* Ceteri (P. V.) Br. *si* [ ]. (24) cum Cdd. aliq. L. D. Seqq. — *gramina* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M.

in mediocribus[1] amicitiis praesidium[2]: iam contemni[3] non poteris; odium autem et invidiam facile vitabis. Ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis[4] vectigalibus ad liberalitatem[5] utens, eis[6] sine hac Pyladea amicitia, multorum te benevolentiâ praeclarè et tuebere, et munies. 85. At quicum ioca, seria[7], ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia[8]? Tecum optime: deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac ista esse non inopportuna[8]: quid ad utilitatem tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius: sin emolumento, summas familiaritates praediorum fructuosorum[9] mercede superari. Me ipsum igitur ames oportet, non mea, si veri amici futuri[10] sumus.

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus[11]. Perfecto enim et concluso, neque virtutibus, neque[12] amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur, nihil praeterea est[13] magno opere dicendum. Attamen[14], ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. 86. Quoniam igitur omnis summa[15] philosophiae ad beate vivendum refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt: beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis; item contra, miseriam omnem[16] in dolore: id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitis, ut opinor, si modo sit aliquid, esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam, si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit sibi semper id stabile[17] et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit[18] perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest. 87. Nemo igitur esse beatus potest. Neque enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici[19] solet: neque[20] appellatur omnino vita beata, nisi confecta atque absoluta; nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser: qui enim existimabit, posse se miserum esse, beatus non erit. Nam quum suscepta semel est[21] beatâ

---

(1) cum C2d. G. 2. — *satis et in m.* Ceteri. (2) Sic Cdd. P. Iu. Br. G. 2. ∞ *praesidii* Margo Crat. V. M. L. D. 1. Recte, puto. Vide, ne altera lectio orta sit e seq. falsa. (3) — *contemnere* Cdd. pleriq. P. Correxerunt iam V. M. L. e marg. Cr. (4) Sic Cdd. aliq. (etiam Mo.) D. Seqq. — *non tantis* Cdd. multi. Edd. ante D. Lall., qui defendit. (5) — *libertatem* e Cdd. Grut. — *ubertatem* I. F. Gronovii susp. (6) Sic Cdd. pleriq. P. Cr. V. G. 2. — *eam* Cd. Mo. aliique. — *etiam* M. L. Grut. D. 1. (sine auctor.) — [*iis*] *etiam* Br. solus. (— *uti si vis, sine hac* D. susp.) (7) ∞ *quicum ioca, seria (ut dicitur) arcana, occulta omnia?* ut sit senarius, Beier *Fragm. Oratt.* p. 195. (— *ioca et seria* V.) (8) Sic Mars. (?) L. in m. 1584. E Pal. pr. Grut. Seqq. ∞ *non importuna* Ceteri, etiam Crat. (errat G.) (9) Sic Cdd. pleriq. P. Crat. (errat G.) D. Br. G. 2. — *pretiosorum* Margo Crat. M. L. 1. (10) — om. *futuri* Cdd. aliq. prob. D. (11) ∞ *fuimus* Spir. Erl. (12) = *nec - - nec* Edd. ante Grut. (13) e Cdd. G. 2. — om. *est* Ceteri. (14) ∞ *Ac tamen* e Cdd. G. (15) = *summa omnis* e Cdd. Sch. 2. (16) e Cdd. D. Br. G. 2. — *omnem infelicitatem* Ceteri, etiam P. L. V. 1. (17) Sic Spir. Erl. = *semper sibi illud* V. M. L. 4. Br. = *semper illud sibi* P. e C1d. D. = *sibi semper illud* Sch. 2. — *sibi semper* om. *id.* G. (18) e Cdd. G. 2. — *diffidet* Ceteri. (19) cum Cdd. M. L. D. Seqq. — *duci* Cdd. multi. P. V. Grut. (20) = *nec* V. (21) e Cdd. G. 2. = *semel est susc.* Ceteri.

vita, tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatae vitae sapientia: neque exspectat ultimum tempus aetatis; quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. At enim[1], quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus nec[2] diuturnitatem quidem[3] temporis ad beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi[4] in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna. 88. Haec dicuntur inconstantissime. Quum enim summum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis voluptatem fieri maiorem, quam finito atque[5] modico. Qui bonum omne in virtute ponit is potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis; negat enim summo bono afferre incrementum diem. Qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, quî sibi is[6] conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quisque[7] miserrimus; voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid est igitur, cur ita semper deum beatum Epicurus appellet[8] et aeternum? Dempta enim aeternitate nihilo beatior Iupiter, quam Epicurus. Uterque enim summo bono fruitur, id est, voluptate. — At enim hic etiam dolore. — At[9] eum nihili facit. Ait enim [se[10]], si uratur, quam hoc suave! dicturum. 89. Qua igitur re a deo vincitur, si aeternitate non vincitur? In quo[11] quid est boni praeter summam voluptatem, et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquare? In voluptate corporis (addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut vultis, sit e corpore[12];) situm est vivere beate. Quid? istam voluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, hae non in potestate sunt[13] sapientis. Non enim in ipsa sapientia positum est beatum esse, sed in iis[14] rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem. Totum autem id externum: et quod externum, id in casu est. Ita fit beatae vitae domina fortuna; quam Epicurus ait *exiguam intervenire sapienti.*

XXVIII. 90. Age, inquies, ista parva sunt. *Sapientem locupletat ipsa natura:* cuius divitias Epicurus[15] parabiles esse docuit. — Haec bene dicuntur: nec ego repugno: sed inter sese[16] ipsa pugnant. Negat enim[17], tenuissimo[18] victu, id est, contemptissimis escis et potionibus, minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem: laudarem etiam; verum enim diceret: idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, *cibi condimentum esse famem, potionis sitim.* Sed, qui ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio: nec

---

(1) de Man. Є. D. Seqq. — *Etenim* Cdd. Edd. ante D. (2) e Cdd. G. 2. ∞ om. *nec* Ceteri. (3) — om. *quidem* L. solus. (4) — *perspici* Cd. Erl. (5) = *ac* Cdd. aliq. (6) — om. *is* Cdd. aliq. (7) — *quisque est* L. solus. Cfr. Madvig 1. p. 43. (8) e Cdd. G. 2. = *app. Ep. beatum* Ceteri. (9) — *nam* M. L. (10) ∞ om. *se* Cdd. aliq. Transponunt post v. *uratur* Cr. V. G. [ ]. Del. Sch. 2. (11) De Walkeri Є. Lall. 1. Br. G. 2. — *in qua* Cdd. Edd. ante Lall. (12) cum Cdd. aliq. D. G. 2. — *sit*, *quod et corpore* P. — *sit*, *quod et in c.* V. M. 1. Br. — *sit quoque in c.* L. (13) e Cdd. G. = *sunt in pot.* Ceteri, etiam Sch. 2. (14) — *his* P. V. D. G. 2. (15) Sic Cdd. pleriq. V. D. 1. G. 2. ∞ *Epic. ipse* Cdd. aliq. P. M. L. Grut. Br. (16) — *se* P. M. L. (non V.) (17) — *idem* D. susp. (18) — *e ten.* L. susp. in m. 1584.

[enim[1]] eum, quod sentiat, dicere existimo. 91. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta. Certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis. *Non minor*, inquit, *voluptas percipitur ex vilissimis*[2] *rebus*, *quam ex pretiosissimis*. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis[3] licet dicere, se acipenserem maenae[4] non[5] anteponere. Cui vero in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda: eaque dicenda optima, quae sunt[6] suavissima. 92. Verum, esto[7]: consequatur summas voluptates, non modo parvo, sed per me nihilo[8], si potest; sit voluptas non minor in nasturtio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone graviter vituperantur; sit, inquam, tam facilis, quam vultis, comparatio voluptatis[9]: quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in his beata vita, si modo dolor summum malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: *quum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum, ita futurum*. An id exploratum cuiquam potest esse, quo modo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum[10]? Dolor igitur, id est, summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit: iam enim adesse poterit. Quî potest igitur[11] habitare in beata vita summi mali metus? 93. Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam ipsum[12] absurdum, maximum malum negligi. Sed quae tandem ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primum quid tu dicis breve[13]? deinde dolorem quem[14] maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses! Nisi forte eum dicis, qui simulatque arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallem levares, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octavium, M. F., familiarem meum, confici vidi: nec vero semel, nec ad breve tempus, sed et saepe, plane, et diu. Quos ille, dii immortales[15]! quum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat! Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si in vitiosa et flagitiosa[16] vita afflueret voluptatibus.

XXIX. 94. Quod autem magnum dolorem brevem, longinquum levem[17] dicitis: id non intelligo, quale sit. Video enim et magnos, et eosdem bene[18] longinquos dolores: quorum[19] alia toleratio est verior; qua uti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis.

---

(1) ∞ om. *enim* Cdd. aliq. Mars. Sch. 2. ∞ G. [ ]. (2) — *tam ex v.* V. M. (3) — *his* Cdd. P. V. 2. (sicque volebat G.) (4) Sic V. Br. — *menae* Ceteri. (5) — del. *non* censebant Bentl. Br. Delevit Lall. (6) — *sint* Cdd. aliq. V. D. (7) cum Cdd. aliq. (etiam Mo.) L. Seqq. — *verum isto modo* Edd. ante L. (8) e Cdd. Grut. Seqq. — *sed ferme n.* Edd. ante Grut. (9) = *vol. comp.* M. I. 1. Br. (non P. V. D.) (10) e Cdd. G. 2. = *vesperam* Ceteri. (11) — *autem* Br. susp. (12) — *istud* D. susp. — *id ipsum* Ern. susp. (13) — *brevem* V. (14) — *tam* P. V. M. Veram lect. a Cdd. confirmatam probabant iam M. L., eratque in Marg. Crat. (15) cum Cdd. Cr. Grut. 1. Br. G. 2. — *dii imm.*, *ille* P. V. M. L. D. (16) = *in flag. et vit.* Cdd. aliq. (17) cum Spir. Erl. G. 2. ∞ *levem esse d.* Ceteri. (18) — om. *bene* M. L. Scil. pro Gallicismo habebant. (19) e Cdd. Grut. Seqq. — *quae non* Cd. Mo. — *quaenam* Cdd. alii. — *quaedam* Edd. ante Grut., etiam V. L. (— *tolerandi ratio* D. susp. Scil. Cd. Ursini *ratio* pro: *toleratio*.)

Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae effeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est interdum necesse,) sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo[1] funestare:

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus[2]
Resonando mutum[3], *flebiles voces refert.*

Huic Epicurus comparet se, si potest:

Cui viperino morsu venae viscerum
Veneno imbutae tetros cruciatus cient!

Sit Epicurus Philocteta[4]: „Si gravis dolor, brevis." — At iam decimum annum in spelunca iacet! — „Si longus, levis; dat enim intervalla, et relaxat." 95. — Primum non saepe, deinde quae est ista relaxatio, quum et praeteriti doloris memoria recens est, et futuri atque impendentis torquet timor? — Moriatur, inquit. — Fortasse id optimum, sed ubi illud, Plus semper voluptatis? Si enim ita est; vide ne facinus facias, quum mori suadeas. Potius ergo illa dicantur, turpe esse[5], viri non esse debilitari dolore[6], frangi, succumbere. Nam ista vestra, Si gravis, brevis: si longus, levis, dictata[7] sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.

XXX. 96. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus: et intellige[8], facta eius cum dictis discrepare. *Epicurus Hermarcho S.*[9] *Quum ageremus*, inquit, *vitae beatum, et eundem supremum diem, scribebamus haec. Tanti autem aderant vesicae et torminum morbi*[10],

---

(1) — *Philocteteo* V. D. Br. (2) — *fletibus* Hermann *de Aeschyli Philoct.* p. 12. (3) — *multum* Cdd. aliq. Grut. Br., ut Wolf in *Tuscul.* 2, §. 33. (4) Non est haec, ut omnes aiunt, Manutii Є, sed habent sic Crat. Herv., et parvo cum discrimine iam P. 1480. scil. *comparet se et si potest.;* tum M. L. Grut. D. 1. Br., qui defendit. Ego tamen paullo aliter interpret. censeo: „Agedum paullisper Epicurus in Philoctetae summis doloribus oppressi locum sese transferat cogitetque sese illius aerumnas perpeti, si potest, id est, si tamen adeo fortis est, ut vel ipsam hanc cogitationem non reformidet. *Sit* igitur *Epicurus Philocteta* (nominativ.): fingamus Epicurum eodem modo excruciari ac Philoctetam: videamusque, quantum valeant tum ad ipsum tranquillandum sapientissima illa dictata." Sic omnia sana et facilia. Turbant Cdd. in prioribus: plerique: *Huic Epicurus competenter, et si potest*, sicque Bazalerius, Iu. V. — *Huic Epicurus, et si potest* Pal. pr., unde G. de Rathii sententia: — *Huic Epicurus, si potest.* — *Huic igitur* simpliciter Sch. 2. Є. — *Huic Ep. compatiatur, si potest* Lall. susp. neutiquam Cicerone, sed Tertulliano digna. Pro *cui* Rath e *Tusc.* 2, §. 17. volebat *quum e vip.* In seqq.: — *sic Epicurus Philoctetae* e C2d. et Ven. 1494. G., ut Є. Br., etsi alio sensu. Sed nimis hiat constructio inter haec et praecedd. — *dicat Epicurus:" Philocteta* (vocat.) Sch. 2. Є. Ceterum longe ingeniosius et vere fortasse L. edidit: ∾ *Sit Epicureus Philocteta.* (5) Sic Cd. Gronovii. Margo Crat. (nam notam variae lect. ponit ante *viro* vulgatae.) prob. D. et e Cd. Regio Lall. — *turpe, viri non esse* Cdd. Pal. pr. Spir. Erl. (et omnes G. Cdd. *viri.*) ∾ *viri non esse* El. sec. G. (om. *turpe esse*) sicque e Marg. Crat. proculdubio non satis intellecta, quosdam legere notat Mo. — *turpe viro esse* P. V. M. L. D. 1. Br. 2. (6) — *debilitari, dolere* V. (7) — *dictata sunt virtutis: magn.* Ridicule, ut volebat Grut., distinguunt Bazal. Iu. — *dictata sunt saepe decantata* dubia Moseri susp. p. 9. (8) ∾ *ut intelligas* e Pal. pr. D. ∾ *et intelliges* O2x. (9) Sic Iu. G. 2. — *Hermacho S.* Ceteri. — *Idomeneo* Vir D. in marg. Lamb. meae, e Laërtio 10, 22. ∾ Inscript. del. censebat Rath. (10) Sic Cdd. aliq., etiam Mo. G. 2. = *morbi aderant v. et torminum* V. — *morbi ad. v. et viscerum* P. Cr. M. L. D. 1. Br.

ut nihil ad eorum magnitudinem posset[1] *accedere.* [Ecce[2]] miserum hominem, si dolor summum malum est! Dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum: *Compensabatur*, inquit, *tamen*[3] *cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria*[4] *rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me et erga philosophiam voluntate ab adolescentulo*[5] *suscepta, fac, ut Metrodori tueare liberos.* 97. Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono! quorum alter quum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, atque[6] ipse gravi vulnere exanimari se videret[7], ut primum dispexit[8], quaesivit, salvusne esset clypeus? Quum salvum esse flentes sui respondissent: rogavit, essentne fusi hostes? Quum[9] id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus[10], hastam. Ita multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae: philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen[11], quod sibi videtur[12] esse morienti magna laus: *Compensabatur*, inquit, *cum summis doloribus laetitia.* 98. Audio equidem philosophi vocem, Epicure. Sed quid tibi dicendum sit, oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt tua scripta et inventa, gaudere non potes. Nihil enim iam habes, quod ad corpus referas. Est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam, nisi propter corpus, nec dolere. *Praeteritis*, inquit, *gaudeo.* Quibusnam praeteritis? si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum. Sin[13] autem ad animum; falsum est, quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde[14] Metrodori liberos commendas? quid ex[15] isto egregio tuo[16] officio et tanta fide (sic enim existimo) ad corpus refers?

XXXI. 99. Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet: nihil in hac praeclara epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis eius reperietis. Ita redarguitur[17] ipse a sese, vincunturque[18] scripta eius probitate ipsius ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio, indicat, innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam[19] voluptatibus, nec praemiorum mercedibus evocatam. Quod enim testimonium maius quaerimus, quae honesta et recta

---

(1) e Cdd., (ut volebat D.) L. 1566. 1. G. 2. — *possit* Ceteri, etiam Br. (2) ∾ om. *ecce* cum Pal. pr. Spir. Erl. D. Sch. 2. Ego [ ]. Librarii sic explicarunt accusativum exclamationis. — *En* G. E. parum probabili. (3) cum Cdd. aliq. Cr. V. G. = *comp. tamen, inquit* P. M. L. D. 1. Br. 2. (4) — *ex mem.* L. solus. (5) — *adolescentia* Cdd. pauci. Cr. (6) e Cdd. G. 2. — *simulatque* P. Crat. (errat G.) V. — *simulque* M. L. D. 1. Br. (7) = *vid. se* P. Cr. V. L. (vulgatum ord. habet M.) (8) — *despexit* P. M. L. (9) e Cdd. G. 2. — *quumque* Ceteri. (10) = *transf. erat* L. (11) — *Epicurus aliquid refert tamen* dubia Sch. susp. (12) — *in quo sita videatur* L. E. Turbant Cdd. et Viri DD. vide G. (13) cum Cdd. L. G. 2. — *si* Ceteri. (14) ∾ *Quum denique* de G. susp. Sch. 2. (15) — om. *ex* P. Cr. V. (16) e Cdd. G. = *tuo egr.* Ceteri. (17) — *redarguetur* V. (18) e Cdd. D. Br. G. 2. — *vaeneantur* Cd. Mo. — *veneuntque* P. Cr. V. M. L. 1. ∾ *convincunturque* D. susp. (19) — *mutuatam* M. — *mutatam* Cr.

sint[1], ipsa esse optabilia per sese, quum videamus tanta esse[2] officia morientis? 100. Sed, ut epistolam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum: (quamquam ea cum summa eius philosophia[3] nullo modo congruebat:) sic eiusdem testamentum non solum a[4] philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia iudico discrepare. Scripsit enim, et multis saepe verbis, et breviter apteque, in eo libro, quem modo nominavi, *mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino*[5]. Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est, *Quod dissolutum sit, id esse sine sensu;* id eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum. 101. Sed tamen intelligo, quid velit. Quaero autem, quid sit, quod cum dissolutione, id est, morte, sensus omnis exstinguatur; et quum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, *ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi*[6] *sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis, mense Gamelione: itemque omnibus mensibus, vicesimo die lunae, dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui, et Metrodori, memoria colatur.* 102. Haec ego non possum dicere non esse hominis quamvis[7] et belli, et humani; sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse[8] vult, putare ullum esse cuiusquam diem natalem. Quid? idemne[9] potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An[10] eiusdemmodi? Ne id quidem, nisi quum[11] multa annorum intercesserint millia; ut[12] omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio: nullus est igitur cuiusquam dies natalis. — At habetur! — Et ego scilicet id[13] nesciebam! Sed, ut sit, etiamne post mortem coletur? idque testamento cavebit is, qui nobis[14] quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere[15]? Haec non erant eius, qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset. Numquid tale Democritus? Ut alios omittam, hunc appello, quem ille unum secutus est. 103. Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus; an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquies, fieri sapiens, nisi natus esset. Et[16] isto modo ne si avia quidem eius nata non esset! Res tota, Torquate[17], non

---

(1) — *sunt* Cdd. aliq. — del. *sint* cum Gud. sec. G. (2) — om. *esse* V. Grut. D. 1. Br. (3) e Cdd. G. 2. — *cum summa eius philosophi* V. Grut. D. 1. Br. — *cum sententia eius philosophi* P. M. L. (4) — om. *a* V. (5) cum Cdd. Cr. G. 2. = *nihil omn. ad nos pert.* P. V. M. L. 1. = *nihil ad nos omn. pert.* D. (— om. *omnino* Br. err. typogr.) (6) cum Cdd. Iu. G. 2. — *Hermachi* Ceteri. (7) cum Cdd. V. D. Br. G. 2. — om. *quamvis* Ceteri, etiam P. L. 1. (8) — om. *esse* Cdd. aliq. P. V. (ob falsam lectionem, quam hae exhibent: *quem se ille vult putari.*) D. 1. (9) Sic Cdd. aliq. boni. (Erl. Spir.) Margo Cr. D. G. requiriturque haec lectio praesertim a seq. *eiusdemmodi.* — *verene idemne* Cdd. aliq. ∾ *verene* P. V. M. L. 1. Br. 2. (10) ∾ *At* Br. susp. (11) ∾ om. *quum* Cdd. aliq. D. prob. G. (12) — *et* P. M. L. (13) Sic Cdd. P. V. M. L. G. 2. = *id scil.* Grut. D. 1. Br. (14) cum Cdd. aliq. P. Cr. V. D. Br. G. ∾ *vobis* M. L. 1. 2. (15) cum Cdd. P. G. 2. = *nihil ad nos post mortem pert.* Cr. V. M. D. = *nihil ad nos pert. post mortem* Grut. 1. Br. ∾ *nihil mortem ad nos pert.* L., ut §. 100. (16) ∾ om. *et* M. L. (17) — *Torquate, est* G. susp. Melius: ∾ *hominum'st.*

doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis, et in quantam hominum facetorum[1] urbanitatem incurratis, non dico. Nihil opus est litibus. Tantum dico, magis fuisse vestrûm[2], agere[3] Epicuri diem natalem, quam illius[4], testamento cavere, ut ageretur.

XXXII. 104. Sed, ut ad propositum revertamur, (de dolore enim quum diceremus, ad istam epistolam delati sumus,) nunc totum illud concludi sic licet. Qui in summo malo est, is tum, quum[5] in eo est, non est beatus. Sapiens autem semper beatus est[6], et est aliquando in dolore. Non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem est? *Bona praeterita non effluere sapienti; mala meminisse non oportere.* Primum in nostrane potestate est, quid meminerimus? Themistocles quidem, quum ei Simonides, an quis[7] alius, artem memoriae polliceretur, *oblivionis*, inquit, *mallem. Nam memini etiam quae nolo, oblivisci non possum quae volo.* 105. Magno hic ingenio: sed res se tamen sic habet; ut nimis imperiosi philosophi sit, vetare meminisse. Vide, ne ista sint Manliana vestra[8], aut maiora etiam, si imperes quod facere non possim. Quid? si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? ut proverbia nonnulla veriora sint, quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur, *Iucundi acti labores:* nec male Euripides: (concludam, si potero, Latine: Graecum enim hunc versum nostis omnes[9]:)

Suavis laborum est[10] *praeteritorum memoria.*

Sed ad bona praeterita redeamus. Quae si a vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus, tropaeorum recordatione levaret dolorem suum: audirem et plane probarem. Nec enim absolvi beata vita sapientis, neque[11] ad exitum perduci poterit, si prima quaeque bene ab eo consulta atque facta ipsius oblivione obruentur[12]. 106. Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam[13] facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam[14] praeterita delectat, non intelligo, cur Aristoteles Sardanapali epigramma tanto opere derideat: in quo ille rex Syriae[15] glorietur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur[16]; quo modo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis, et prima quaeque[17] avolat, saepiusque relinquit

(1) — *facetosam* Cdd. multi. P. Cr. V. (2) — *verum* Cdd. aliq. V. (3) — *agi* Cdd. aliq. (4) — *illum* Cdd. multi. P. V. M. L. (5) cum Cdd. L. Seqq. — *iste quum* Edd. ante L. (6) = *est beatus* L. solus. (7) cum Cdd. Cr. M. D. Br. G. 2. — *aut quis* Ceteri, etiam V. L. 1. Cfr. Ellendt ad *Brutum* p. 69. (8) — *ne Manl. sint ista vestra* L. 1566. €. (9) — *omnes* suspectum Br. (10) e Cdd. (etiam Mo.) Grut. Seqq. — *Suavis est lab.* Edd. ante L. ∞ om. *est* L. (11) = *nec* P. M. L. 1. Br. (12) cum Cdd. M. L. 1. Br. G. 2. — *obruerentur* P. V. Grut. D. (13) = *beatam vitam* Omnes meae ante Grut. (14) — *etiam si* Cdd. aliq. Edd. ante L. (15) — *Assyriae* contra Cdd. Edd. vett. e correctione M. L. Grut. D. 1. Sch. 2. (hic invitus.) cfr. *Tusc.* 5, §. 101. (16) Sic Cdd. aliq. (etiam Mo.) M. L. Seqq. — *poterat, dum vita fruebatur* P. Cr. V. (17) Sic Cdd. meliores, etiam Mo. L. Grut. D. 1. Br. — *prima quaeque avolat, ut aiebat* Cdd. aliq. P. Cr. M. (*ut aiebat* nihil aliud est, nisi stulta geminatio litt. *quae avolat*) — *prona quaeque avolat, ut aiebat* cum Cdd. V. Hinc: — *prona quaeque avolat*

causam[1] poenitendi, quam recordandi; itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens,

Desine Roma tuos hostis: — — —

reliquaque[2] praeclare,

*Nam tibi *munimenta[3] mei peperere labores.*

Laboribus hic praeteritis gaudet: tu iubes voluptatibus. Hic se ad ea revocat, e quibus nihil unquam retulerit[4] ad corpus: tu totus haeres in corpore.

XXXIII. 107. Illud autem ipsum quî obtineri potest, quod dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates ac[5] dolores pertinere? Nihil tene[6] delectat unquam: (video, quicum loquar:) te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est: haec leviora ponam[7]: poëma, orationem[8] quum aut scribis, aut legis; quum omnium factorum, quum regionum conquiris historiam; signum, tabula, locus amoenus, ludi, venatio, villa Luculli, (nam si tuam dicerem, latebram haberes; ad corpus diceres pertinere:) sed ea, quae dixi, ad corpusne refers? an est aliquid, quod te sua sponte delectet? Aut pertinacissimus fueris, si in eo[9] persistiteris, ad corpus ea, quae dixi, referre[10], aut deserueris totam Epicuri voluptatem, si negaveris. 108. Quod vero a te[11] disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi, quam corporis; quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem praesentia solum sentiantur: quî probari potest[12], ut is, qui propter me aliquid gaudet[13], plus, quam ego ipse, gaudeat? [Animi voluptas oritur propter voluptatem corporis, et maior est animi voluptas, quam corporis. Ita fit, ut gratulator laetior sit, quam is, cui gratuletur[14].] Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, quum maximas animo voluptates percipiat, omnibusque partibus maiores, quam corpore: quid oc-

---

G. Ridicula lectio. — *prima summa quaeque avolat* Sch. 2. €. Scil. omnes istae turbae ortae sunt e parum intellecto sensu formulae Ciceronianae *primus quisque*, pro qua nos dicimus, „unus post alterum, et quidem ordine continuo, secundus post primum, tertius post secundum." Simili modo tentarunt *de N. Deor.* 3, §. 7. *primum quidque videamus* Heind. et Sch. Hic tamen ab omni mutandi conatu deterrere debebant novissimos editores v. §. 105. *prima quaeque bene ab eo consulta* cet.

(1) Sic Cdd. Mo. et Goer. D. G. — *causas* Ceteri. (2) ∞ *reliqua* M. L. (3) Sic de Mureti €. *V. Lectt.* 11, 1. G. 2. (Proxime accedunt Spir. Erl.: — *nam tibi monimenta.*) — *namque tibi monumenta* Ceteri. Unicum dubium restat propter Scaligeri €. „*postes* (ornare tropaeis)", quae vulgatur in Ennii *fragmm.* Ed novissimae p. 183. Ea vero nata est ex huius versiculi lectione vulgata: quum ad *Desine*, *Roma*, *tuos hostes* longe melius suppleas *timendi*, *pavescendi*, *formidandi* verbum. (4) Id est: „sane fieri non potest, ut ipse cogitatione sua quidquam unquam ex iis *retulerit* ad corpus." Cfr. etiam Goer. in *Add.* — *retulerat* ex Ed. principe sola, si fides Ern., Ern. 1. Br. G. 2. (5) Sic P. V. D. Br. G. — *et* M. L. 1. 2. (6) e Cdd. Spir. Erl. G. 2. = *nihilne te* Ceteri. — *nihilne te sua sponte del.* L. €. (— *inquam* Cr. V. cum Cdd. aliq.) (7) — *ponantur* D. susp. (8) Sic V. Grut. Seqq. — *et or.* P. Cr. — *aut or.* M. L. (9) — om. *in eo* Cd. Erl. (10) — *referri* L. Lall., ut volebat Ern. (11) — *vero late* Cdd. aliq. P. Cr. V. (12) — *quid? probari potest*, e Cdd. Lall.. (13) e Cdd. G. 2. — *gaudeat* Cdd. aliq. P. Cr. V. M. L. D. — om. *gaudet* nescio quo errore Grut. 1. Br. (14) Haec, ex parte iam Ern. et Br. suspecta, recte del. G. 2. Pro *animi* D. e Cdd. *animo;* pro *gratuletur*, *gratulatur* Id.

currat[1], non videtis. Animi enim quoque dolores percipiet omnibus partibus maiores, quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse. Nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis unquam. 109. Quare aliud aliquid[2], Torquate, hominis summum bonum reperiendum est. Voluptatem bestiis concedamus; quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid? si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore; ut in gignendo, in educando perfacile appareat[3], aliud quiddam iis[4] propositum, non voluptatem: partim cursu[5] et peregrinatione[6] laetantur; congregatione aliae coetum quodam modo civitatis imitantur. 110. Videmus[7] in quodam volucrium[8] genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam; in multis etiam disciplinam videmus[9]. Ergo in bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum; in ipsis hominibus virtus, nisi voluptatis causa, nulla erit? et homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui[10] a natura nihil datum esse dicemus?

XXXIV. 111. Nos vero, si quidem in voluptate sunt[11] omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes[12] nihil laborantibus: nobis autem aut[13] vix, aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis[14] bonum et hominis idem mihi videri potest. — Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum[15] studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem conquiruntur? 112. Ut, si Xerxes, quum[16] tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto iuncto, Athone[17] perfosso, maria[18] ambulavisset[19], terram[20] navigasset[21], si[22], quum tanto impetu in Graeciam venisset, causam quis[23] ex eo quaereret tantarum copiarum tantique

(1) Corruptum videbatur *occurrat* Ern. Sed v. Br. et Garat. ad *Milon.* p. 135. *Bonon.* (2) — *aliquid aliud* P. — *aliud aliquod* L. (3) ∾ *in gign., in educ., ut perf. app.* L. (— *partim indulgent labori in gign., in educ. ut perf. a.* Pearcii susp. prob. Ern. — *partim indulgentes vel cum labore gignendo, educando, ut p. a.* Br. susp.) (4) — *his* P. V. G. 2. (5) cum Cdd. (etiam Mo.) Grut. Seqq. — *Cicures et cursu* P. — *Turtures et cursu* V. M. — *Turtures cursu* L. (6) — *peragratione* Cd. Mo. (7) Hoc *videmus* suspectum G. (8) Sic e Charisio p. 119. *Putsch.* de L. sententia Grut. Seqq. — *volucrum* Cdd. Edd. ante Grut. (9) Sic Cdd. aliq. D. Seqq. ∾ *etiam disciplinam* Cdd. aliq. P. Cr. M. L. Lall. — *etiam desideria videmus* Cdd. aliq. V. Grut. (10) — *praecipue* Cdd. multi. P. Cr. V. — *praecipuum* Gud. pr. (om. *a* ante *natura* Sch. 2.) (11) — *sint* V. (12) Sic Cdd. aliq. (etiam Spir. Erl.) Aldus nepos. D. Br. 2. — *varios varieque ab.* Ceteri, etiam V. L. 1. e perversa geminatione. — *pastus varietate ab.* G. susp. (13) — om. *aut* Cdd. aliq. (14) Sic Man. Grut. Seqq. — *pecudum* Cdd. pleriq. P. Cr. V. L. (15) Sic Margo Cr. V. Seqq. — *optimorum* P. Cr. (16) — *Ut si, quum X.* L. (17) — *Athove* V. M. (18) — *mare* G. tacite. (19) = *ambulasset* L. (20) cum Cdd. V. D. G. — *terramque* Ceteri. (21) = *navigavisset* V. M. D. (22) — om. *si* L. (23) Sic scripsi de Bentl., Br. et Beieri sententia, e Cdd. Spir. Erl. — *causam eius quis* Edd. pleriq. Edd. ante G. — *et causam quis* satis perversa E. G. 2. nam, notante Beiero, sententiae sic sese excipiunt: *Ut, si Xerxes, - - si quis quaereret - (is) diceret - - videretur.* Sunt igitur tres praecipuae: 1. *Ut Xerxes videretur.* 2. *si X. diceret.* 3. *si quis quaereret.*

belli, mel se auferre[1] ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus: sic nos sapientem plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. 113. Ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus: nec id[2] ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, *et ea quidem[3] infinita; inest coniectura consequentium, non multum a divinatione differens; inest moderator cupiditatis pudor; inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia; inest in[4] perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio. — Ergo haec in animis: tu autem etiam[5] membra ipsa sensusque considera; qui tibi ut reliquae corporis[6] partes, non comites solum virtutum[7], sed ministri etiam videbuntur[8]. 114. Quod si[9] in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo; quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt. Quod si esset in voluptate summum bonum (ut dicitis,) optabile esset, in voluptate maxima[10], nullo intervallo interiecto, dies noctesque versari, quum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in isto genere voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant: vestri haec verecundius; illi fortasse constantius. 115. Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, *inertes* a maioribus nominabantur; sed quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidiam, Polycletum[11], Zeuxin, ad voluptatem[12] artes suas[13] direxisse? Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum, quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quae est autem[14] alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat? Quaero enim de te, si sunt[15] dii, ut vos etiam putatis, quî possunt[16] esse beati, quum voluptates corpore percipere non possint[17]? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?

---

(1) Sic Cdd. aliq. (etiam Mo.) Man. €. confirmantes. Grut. Seqq. — *afferre* Edd. ante Grut., etiam M. L. (2) — om. *id* G. 2. tacite. Neque id fieri debebat in hoc ἀνακολούθῳ. Supple h. l. cogitatione: „nec id ex animi solum partibus colligitur." (3) Sic de optima M. €. (cfr. *Tusc.* 1., *C.* 24.) L. Sch. 2. — *vitae quidem* corrupte Cdd. multi. Cr. V. M. Grut. D. 1. Br. — *in te quidem* Cdd. aliq. P. — *inde quidem* Cdd. Spir. Erl. G. cum qua lect. non coit v. *inest*. Deberet esse *est*. (4) — del. *in* cum C2d. G., 2. Sed solent sic librarii post v. *inesse* omittere praepos. (5) — *et* V. (6) — om. *corporis* Spir. Erl. (7) — *voluptatum* D. susp. prob. Ern. (8) cum Cdd. M. Grut. Seqq. — *videbantur* Cdd. multi. P. Cr. V. L. (9) e Cdd. G. 2. — *Quid? si* Ceteri. (10) — *max. in vol.* Gud. pr. Crat. V. (— *voluptate* de gloss. suspectum G.) (11) = *Polyclitum* e Cdd. G. (12) Sic Iu. Cr. D. 1. Br. G. 2. — *voluptates* P. V. M. L. Grut. (13) = *suas artes* V. (14) e Gud. pr. Sch. 2. = *Quae autem est* Ceteri. (15) — *sint* V. (16) — *possint* L. (17) — *possunt* Cdd. aliq. P. M. Sch. 2. (non Cr. V. L.)

XXXV. 116. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai; non Aristidi[1], aut[2] Themistocli; non Philippi, aut[3] Alexandri: lege nostrorum hominum, lege vestrae familiae; neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia[4] monumentorum id significant? velut hoc ad portam: * VNVM HVNC PLVRIMAE[5] CONSENTIVNT GENTES, POPVLI PRIMARIVM FVISSE VIRVM. 117. Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod praestantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis[6] adolescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros, et quidquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur?[7] Nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur? quanta confusio? Tollitur beneficium, tollitur gratia; quae sunt vincula concordiae. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio: nec gratia deberi videtur ei, qui suam ob causam commodaverit. Maximas vero virtutes iacere omnes necesse est, voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi honestas naturâ[8] plurimum valeat, cur non cadant in sapientem, non est facile defendere. 118. Ac, ne plura complectar (sunt enim innumerabilia) bene laudata virtus voluptatis[9] aditus intercludat necesse est. Quod iam a me exspectare noli. Tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione pertractans, percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens[10], in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu: an quum de omnibus gentibus optime mererere, quum opem indigentibus[11] salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas. Sic enim maiores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo aerumnas[12], etiam in deo[13], nominaverunt. 119. Exigerem ex te, cogeremque, ut responderes, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres. Quae quum dixissem, Habeo, inquit

---

(1) ex Erl. G. 2. = *Aristidis - - Themistoclis* Ceteri. (2) cum Cdd. V. G. 2. — *non* Ceteri. (3) cum Cdd. Crat. G. 2. — *non* Ceteri. (4) — *eclogia* L. (5) Unicam et huius l. et *de Senect.* §. 61. emendandi viam, eandemque certissimam, demonstrat elogium L. Scipionis, Barbati fil. apud Visconti *Monum. degli Scipioni. Tav.* V. *p.* 14.: *HONC OINO PLOIRVME COSENTIONT* (*sic*) *R. . . . DVONORO OPTVMO FVISE VIRO.* Ergo in Calatini quoque monumento erat vel *HONC OINO* vel, quo ducunt optimi Cdd. Pal. pr. Spir. Erl. exhibentes *uno cum*, *OINO HONC*, sicque dedi, recentiore scriptura, quam in ceteris librarii potius, quam Tullius ipse, videntur secuti esse. Cur enim interpretatus esset in seqq.? Fuit igitur: *OINO HONC PLOIRVME COSENTIONT* cet. — *ore uno plurimae* P. Marsus. — *ore uno cui pl.* Iu. — *uno ore cui pl.* Cr. V. M. L. 1. Br. G. ex insterpol.; nam *ore* in nullo G. Cd. exstabat. — *portam unicum: PLVR.* e corrupto l. *de Senect.* §. 61. D. Lall. Sch. 2. Unicum huius generis sane non fuisse, demonstrat illud Scipionis. (6) — *his* cum Cdd. aliq. Edd. ante Man. G. 2. (7) cum Cdd. (etiam Mo.) G. 2. — *arbitramur* Ceteri. (8) — *honesta natura* Cdd. aliq. (etiam Mo.) prob. Grut. — *honestatis natura* Cr. (9) — *voluptati* L. in m. 1584. (non 1566.) (10) cum Cdd. L. Seqq. — *perfluens* Cdd. aliq. Edd. ante L. (11) — *indulgentibus* L. err. typogr. (12) — *aerumnas* D. [ ]. Del. Ern. 1. (13) — *etiam*, *ut video* Cdd. aliq. P. Cr.

Torquatus, ad quos ista referam: et, quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores familiares nostros. Credo, Syronem[1] dicis, et Philodemum[2], quum[3] optimos viros, tum doctissimos homines. Recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam. Sed erat aequius, Triarium aliquid de nostra dissensione iudicare. Eiuro[4], inquit arridens, iniquum, hac quidem de re; tu enim ista lenius: hic Stoicorum more nos vexat. Tum Triarius, Posthac quidem, inquit, audacius. Nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audivi: nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum videro. Quae quum essent dicta, finem fecimus et ambulandi, et disputandi.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM
AD M. BRUTUM
LIBER TERTIUS.

I. 1. Voluptatem quidem[5], Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati. Etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet, aut si honestis iucunda anteponat, aut pluris esse contendat dulcedinem corporis et titillationem[6], ex eave natam laetitiam, quam gravitatem animi atque constantiam. Quare illam quidem dimittamus, et suis se finibus tenere[7] iubeamus, ne blanditiis eius illecebrisque impediatur disputandi severitas. 2. Quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire volumus, quoniam et voluptas ab eo remota est, et eadem fere contra eos dici possunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum[8] esse voluerunt; nec vero ullum probetur ut summum bonum, quod virtute careat[9]:

---

(1) — *Sironem* Cdd. pleriq. V. (2) Sic Cd. Mo. Margo Cr. Grut. Seqq. — *Philodamum* L. — *Polydemum* Priores. (3) Sic P. M. L. D. 1. Br. = *tum* Cdd. aliq. Cr. V. G. 2. (4) e vestigiis Cdd. (*iuro* vel *iure*) G. certissima E. 2. — *Immo* Ceteri. (5) — *equidem* M. Grut. soli ex meis. (6) e C2d. e E. procul dubio emendatis D. G. 2. — *et titillantem* Cdd. aliq. P. V. — *titillantem* Cd. Rivii. M. L. 1. Br. — *et utilitatem* Cr. ∾ om. haec v. *et titillationem* optimi aliq. Cdd. (Mo. Spir. Erl.) (7) — *cedere* Cdd. aliq. Iu. — *petere* Cdd. aliq. mire prob. I. Gronov. (8) — *summum bonum* Br. tacite. (9) Haec mihi quidem videntur artissime iungenda cum proposit. praecipua *Quaerendum est enim*, transponendumque *ullum ut probetur.* Sic, ut edidi, Cdd. Spir. Erl. G. (Mea in ratione *ita* quoque retineri potest a plerisque Cdd. firmatum.) Sequi volebat Sch. 2. Sed omittit *ut* ante v. *summum.* Proxime accedit Crat.: — *nec vero ita ullum probetur ut summum bonum quod* (non *que*, ut ait G.) *virt. car.* — *Nec vero ita ullum probetur summum bonum, ut v. c.* Ceteri.

qua nihil potest[1] esse praestantius. Itaque quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus[2], non remissi fuimus: tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. Quae enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime, nec abscondite disseruntur. Neque[3] enim qui defendunt eam, versuti in disserendo sunt, nec qui contra dicunt, causam difficilem repellunt[4]. 3. Ipse etiam dicit Epicurus, ne[5] argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum iudicium eius[6] in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri. Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit; nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius, disserendi genus: idque quum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus[7] mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, quum constituantur earum[8] rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. 4. Itaque et dialectici, et physici verbis utuntur iis[9], quae ipsi Graeciae nota non[10] sunt. Geometrae vero et[11] musici, grammatici etiam, more quodam loquuntur suo. Item ipsae rhetorum[12] artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tamen[13] in docendo[14] quasi privatis utuntur ac suis.

II. Atque, ut omittam has[15] artes elegantes et ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen ea[16] res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est. Ars est enim philosophia vitae: de qua disserens arripere verba de foro non potest. 5. Quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt[17], Zenoque[18], eorum princeps, non tam rerum inventor fuit, quam verborum novorum[19]. Quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum [a Graecia[20]] est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis[21],

(1) Sic Iu. Cr. V. M. L. 1. 2. — *possit* Cdd. multi. P. D. Br. G. Coniunctivus hic ortus est e praecedd. *probetur - careat.* neque in propos. hac *γενικῶς* prolata locum habet. (2) = *habitus est* Br. tacite. (3) = *nec* L. (4) — *refellunt* L. susp. non recepta. (5) — *nec* V. (6) e Cdd. G. 2. = *eius iud.* Ceteri. (7) — *nec* vel *vel med. d.* Ern. susp. (8) ∞ *ea* e Spir. Erl. G. 2. *Res* tamen, non *vocabula* in arte versantur. Itaque consentaneum erat, ut v. *rerum* attribueretur pronomen. (9) — *his* Cdd. aliq. Cr. V. G. (non P. M. L.) (10) — om. *non* Cdd. aliq. Grut. — *i. Gr. nova sunt* de Walkeri Є. Lall. (11) — om. *et* V. (12) — om. *rhetorum* Gud. pr. impense prob. Goer. Rectissime refutavit Sch. *artes* scil., *τέχναι*, antiquis sunt et ipsa *compendia*, *initia doctrinae solidioris*, ut nostri loquuntur professores, et ratio ac via docendi. (13) — *tamen iam* L. Є. — *tantum* e Pál. pr. Grut. 1. soli. (14) e Cdd. Grut. Seqq. — *dicendo* Priores. (15) — om. *has* Spir. Erl. (16) Cum bonis Cdd. Cr. G. 2. ∞ *eas* Ceteri. Praetuli h. l. G. lect., etsi simili superiore reiecta, quia *eas res* sane contra scriptoris mentem fere significaret *omnes* res, in quibus versetur agricultura, nova ab ea nomina accepisse. (17) e Cdd. Grut. Seqq. = *novarunt* L. — *nominaverunt* Cdd. pleriq. Edd. ante L. (18) e Cdd., ut volebat Walker, G. 2. — *Zeno quoque* Ceteri. (19) e Cdd. G. 2. — *nov. verb.* Ceteri. (20) ∞ om. *a Graecia* Spir. Erl. Cd. Urs. Br. [ ]. Del. G. (21) Sic Cdd. multi. V. Grut. D. Br. G. — *pervulgatis* P. M. L. 1. 2.

inusitatis verbis uterentur: quanto id nobis[1] magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Etsi[2], (quod saepe diximus, et quidem cum aliqua querela non Graecorum modo, sed eorum etiam[3], qui se Graecos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores:) elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam[4] in illorum ipsorum, consequamur[5]. Quamquam[6] ea verba, quibus, instituto[7] veterum, utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta[8] sunt, nostra ducamus. Atque haec quidem de rerum nominibus. 6. De ipsis rebus autem saepenumero, Brute, vereor, ne reprehendar, quum haec ad te scribam, qui quum[9] in philosophia, tum in optimo genere philosophiae tantum processeris. Quod si facerem quasi te erudiens, iure reprehenderer. Sed ab eo plurimum absum: neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto; sed quia facillime in nomine tuo acquiesco, et quia te habeo aequissimum[10] eorum studiorum, quae mihi communia tecum sunt, existimatorem[11] et iudicem. Attendes igitur, ut soles, diligenter, eamque controversiam diiudicabis, quae mihi fuit cum avunculo tuo, divino ac singulari viro. 7. Nam, in Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. Quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim, ut scis, in eo inexhausta[12] aviditas legendi, nec satiari poterat: quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae rei publicae detrahens; quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi heluari libris[13], si hoc verbo in tam clara re[14] utendum est, videbatur. 8. Quod quum accidisset, ut alter alterum nec opinato videremus, surrexit statim. Deinde prima illa, quae in congressu solemus: Quid tu, inquit, huc? a villa enim, credo: et, si ibi te esse scissem[15], ad te ipse venissem. Heri, inquam, ludis commissis, ex urbe profectus veni ad vesperum[16]. Causa autem[17] fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem. Et quidem, Cato, totam hanc[18] copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit: nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu villae delectari. Est enim mihi

---

(1) cum Cdd. Grut. Seqq. — *id vel nobis* Cdd. aliq. Edd. ante Grut. (2) — *et si* P. V. M. L. Mox *quod* [ ]. D. 1. (3) e Cdd. G. = *etiam eorum* Ceteri. (4) — om. *etiam* G. (5) — *assequamur* Cdd. aliq. (Mo.) (6) — *quam* e Pal. pr. Grut. 1. (7) e Cdd. G. 2. ∾ *ex inst.* Ceteri. (8) *recepta* L. ∾ *praecepta* Cdd. aliq. Grut. D. (9) — *tum* Edd. ante Grut. (— *in omni phil.* L. susp.) (10) = *aeq. habeo* V. (11) Sic L. Seqq. — *aestimatorem* Cdd. multi. Edd. ante L. (12) ∾ om. *inexhausta* Pal. pr. Spir. Erl. G. [ ]. Videtur omnino excidisse adi., quod Ciceroni ipsi placuit, hocque esse e supplemento. — *summa* Sch. susp. Poterat etiam *incredibilis.* (13) e Cdd. (Mo.) Grut. D. 1. G. 2. ∾ *heluari in libris* Moseri €. — *heluari libros* de L. sententia Br. — *heluo librorum* Edd. ante Grut., etiam L. (14) — *tam in clara re* P. Cr. V. prob. Garat. ad *Caelianam* C. 5. p. 401. ∾ *in tam praeclara re* L. €. non improb. Mosero p. 11. (15) — *ipse sc.* V. (16) e Cdd. Grut. Seqq. — *vesperam* Priores. (17) e Cdd. Grut. Seqq. — *enim* Priores. (18) — *hanc totam* V.

magnae curae, (quamquam hoc quidem[1] proprium tuum munus est,) ut ita erudiatur, ut et patri, et Caepioni[2] nostro, et tibi, tam propinquo, respondeat. Laboro autem non sine causa: nam et avi eius memoria moveor (nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem: qui, ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si viveret:) et Lucullus mihi[3] versatur ante oculos, vir quum[4] omnibus excellens, tum mecum et amicitia, et omni voluntate sententiaque coniunctus. 9. Praeclare, inquit, facis, quum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendavit, et puerum diligis. Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso: sed te adiungo socium. Addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum et pudoris, et ingenii; sed aetatem vides. Video equidem, inquam: sed tamen iam infici[5] debet iis[6] artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. — Sic: et quidem[7] diligentius, saepiusque ista loquemur inter nos, agemusque communiter. Sed resideamus[8], inquit, si placet. Itaque fecimus.

III. 10. Tum ille: Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios[9], quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos[10] legerem, dum essem otiosus: quod quidem nobis, ut scis[11], non saepe contingit[12]. Quam vellem, inquit, te[13] ad Stoicos inclinavisses[14]! Erat enim, si cuiusquam, certe tuum, nihil praeter virtutem in bonis ducere. Vide, ne magis, inquam, tuum fuerit, quum re idem tibi, quod mihi videretur, non nova te[15] rebus nomina imponere. Ratio enim nostra consentit, pugnat oratio[16]. Minime vero, inquit ille, consentit. Quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris[17], in bonisque numeraveris: et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris, et virtutem penitus everteris. 11. Dicuntur ista, Cato, magnifice, inquam: sed videsne verborum gloriam tibi cum Pyrrhone et cum[18] Aristone, qui omnia exaequent, esse communem? de quibus, cupio scire, quid sentias. Egone[19]? [quaeris] inquit, [scire, quid sentiam[20]?] quos bonos viros, fortes, iustos, moderatos aut audivimus in re publica fuisse, aut ipsi vidimus; qui sine ulla doctrina naturam ipsam secuti, multa laudabilia fecerunt; eos melius a natura institutos fuisse, quam instituti potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent, praeter eam, quae nihil aliud in bonis habet, nisi honestum: nihil, nisi turpe, in

---

(1) — *quidem hoc* V. Seqq. — *enim* Priores. (2) e Cdd. hic et infra, ut C. M., e Cdd. Grut. Seqq. — *Scipioni* - - *Scipionem* Priores. (3) — *iam mihi* V. (4) — *tum* P. M. L. (non V.) (5) = *infici tamen iam* P. M. L. (non Cr. V.) (6) — *his* P. V. G. (7(e Gdd. Grut. Sec. — *Sic equidem* Cdd. multi. Edd. ante L. ∾ *sic est, et quidem* L. (8) — *residamus* Cdd. aliq. (9) e Cdd. Grut. Seqq. — *Aristotelicos* Priores. (10) — *ut leg.* El. pr. — *quo l.* D. susp. (11) — om. *ut scis* Spir. Erl. — *sicut scis*. V. (12) — *contigit* Ern. 1. Br. err. typogr. (13) e Cdd. Grut. Seqq. — *ut te* Priores. (14) = *inclinasses* P. M. L. (non V.) (15) — de D. et Ern. sent. Br. [ ] *te.* (16) e Cdd. G. 2. = *or. pugnat* Ceteri. (17) — *Quidquam* - - *esse si dix.* Gud. sec., ut volebat D. (18) — om. *cum* M. L. Grut. 1. (19) — *Ergone* Grut. (20) ∾ om. *quaeris* Cd. Bas. Del. G. 2. Recte. — *quaero* Alii Cdd. Mox *scire* om. Cdd. aliq. (Mo.) Br. [ ]. Del. Sch. 2., ut sit: ∾ *Egone? inquit, quos* — Recte, puto.

malis: ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia[1]: sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem[2] aut in bonis, aut in malis numerent[3], eas non modo nihil adiuvare arbitror, neque † affirmare[4], quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. Nam si hoc non obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit: nullo modo probari possit, beatam vitam virtute effici. Quod si ita sit[5], cur[6] opera philosophiae sit danda, nescio. Si enim sapiens aliquis miser esse possit, nae ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno[7] aestimandam putem.

IV. 12. Quae adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem, aut Aristonem. Nec enim ignoras, [similiter[8]] his istud[9] honestum, non summum modo, sed etiam, ut tu vis, solum bonum videri. Quod si ita est, sequitur id ipsum, quod te velle video, omnes semper beatos esse sapientes. Hosne igitur laudas, et hanc eorum, inquam[10], sententiam sequi nos censes oportere? Minime vero istorum quidem, inquit. Quum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum: qui omnia sic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur[11], virtutem ipsam sustulerunt. 13. Istud quidem, inquam, optime dicis: sed quaero, nonne[12] tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tollerem: sed relinquo. 14. Quonam modo, inquam, si una virtus, unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum, (erit enim notius quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus,) id ergo, inquam, si solum est bonum, quid habebis praeterea, quod sequare? aut, si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum, (ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus:) quid praeterea dices esse fugiendum? Non ignoranti, inquit, tibi, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea brevi responsione arripere cupienti, non respondebo ad singula: explicabo potius, quoniam otiosi sumus, (nisi alienum putas,) totam Zenonis Stoicorumque sententiam.

---

(1) — *ceteras — — disciplinas aliam magis*, *aliam minus* L. — *alia magis*, *alia minus* V. (2) — *virtutis * * expertem* cum defectus signis Br. — *aut vitii* excidisse putabat D. (3) — *numerant* V. (4) Haec manifesto corrupta. Etenim simplici *affirmatione* dogmatis alicuius, quomodo meliores fiamus? Nec vero, ut Tacitus *Hist.* 4, 73. dixit: *armis populi R. virtutem affirmavi*, Tulliani est usus, etsi sic accepit D. ∾ *afferre* Cd. Barberin. M. L. prob. Ern. longe melius, etsi videtur e Є. docti alicuius Itali. ∾ *non modo nihil afferre arbitror*, *quo*, ceteris om. Pareus *Lex. crit.* prob. Gar. ad *Milon.* p. 59. *Bon.* Recte ad sensum, sed tamen haec ratio iusto audacior. Quum P. habeat *nec affirmare*, mihi se commendavit: *non m. nihil adiuvare arbitror*, *nec confirmare*, *quo.* Sic Cic. dicit, se libros de Off. scripsisse ad *confirmationem* filii, scil. in virtute. *nec* absumpsit *c* compendii *cfirmare;* quamquam Br. improbat interpret. Davis. (5) — *est* L. (6) ∾ *an* P. Cr. V. (7) ∾ *magni* P. L. ut §. 43. et fere semper apud Cic. — *magnopere* Bas. Mars. (8) e Bas. O2x. *similiter* inseruere G. 2. — *ignoras si his* Cdd. multi, quod ortum esse potest e geminat. Equidem cum [ ] retinui. (9) — *illud* 1. Br. err. typogr. (10) — om. *inquam* M. L. Grut. (11) Sic L. G. 2. (non Crat., ut ait G., in huius Ed. lectionibus semper errans.) — — *uterentur eius* P. V. M. D. 1. Br. — *uterentur huius* Margo Crat. (— *ut in nullam selectionem verterentur eius* Iu. Crat.) VV. DD. Є. v. ap. G. (12) — *numne* V.

Minime id quidem, inquam, alienum: multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit. 15. Experiamur igitur, inquit, etsi habet haec Stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius. Nam quum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum novabantur[1], quae nunc consuetudo diuturna trivit: quid censes in Latino fore? Faciendum[2] id quidem est, inquam. Si enim Zenoni licuit, quum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, quum sit verbum, quod[3] idem declaret, magis[4] usitatum. Equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere: et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis[5] et acratophoris potius, quam proegmenis et apoproegmenis concedatur. Quamquam haec quidem *praeposita*[6] recte et *reiecta* dicere licebit. 16. Bene facis, inquit, quod me adiuvas: et istis quidem, quae modo dixisti, utar potius Latinis; in ceteris subvenies, si me haerentem videbis. Sedulo, inquam, faciam. Sed *fortuna fortes:* quare conare, quaeso. Quid enim hoc possumus[7] agere divinius[8]?

V. Placet his[9], inquit, quorum ratio mihi probatur, simulatque natum sit animal, (hinc enim est ordiendum,) ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum, et ad suum statum, eaque, quae[10] conservantia sunt eius status, diligenda: alienari autem ab interitu iisque[11] rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod ante quam voluptas, aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturque contraria: quod non fieret, nisi statum ipsum suum[12] diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se et sua[13] diligerent. Ex quo intelligi debet, principium ductum esse a se diligendo[14]. 17. In principiis autem naturalibus[15] plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior: ne, si voluptatem natura posuisse in iis[16] rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti videtur, quamobrem illa,

---

(1) Sic Cd. Stephani et Victorius; iam hoc vocabulum prorsus Tullianum, sed rarius, multas excitavit turbas. Verba *quid censes in Latino fore?* explica: quot verba novanda erunt in Latino? — *rerum nomina novarum non videbantur* Cdd. pleriq. Iu. Cr. M. G., qui mire explicat: *conspiciebantur*, *audiebantur*. — *rerum nomina nova tum videbantur* P. Ern. 1. — *rerum nomina novarum nova videbantur* de M. €. L. Grut. D. qui *novarum* [ ]. 2. — *novarum rerum nomina nova videbantur* (sic) Br. €. (2) e Cdd. D. Seqq. — *Facillimum* Priores. (*fore faciendum. Facill.* Alii Cdd. — *fore faciendum. Faciendum* Alii Cdd. P.) (3) — *quo* 1. G. 2. errore typogr. Mox *declarat* V. (4) e Cdd. Grut. Seqq. — *magis minusve* Priores. (5) — *in eph.* G. susp. prob. Sch. (6) — *proposita* V. (7) = *poss. hoc* Cr. V. (8) — *dignius* Ern. susp. (9) ∾ *iis* L. (10) e Cdd. G. 2. — *et ad suum statum, et ad ea q.* P. V. M. L. 1. (D. cum C1d. del. *ad* ante *suum* Br. idem [ ].) (11) — *hisque* V. (12) Sic G. 2. — *statum suum* Priores. — *statum ipsum* Cdd. multi. (13) — om. *et sua* Cdd. aliq. D. (14) cum Cdd. (Ms.) D. Br. G. 2. — *diligendi* P. M. L. — *diligendi sui* Ven. 1494. Cr. V. Ern. 1. (15) Sic Cd. s. €. Ursini: Br. G. 2. — *naturalibus diligendi sui* Ceteri. D. et Ern. [ ] *dil. sui.* (16) — *his* P. V. G.

quae prima sunt adscita naturâ, diligamus[1]; quod est nemo, quin, quum utrumvis liceat, aptas malit et integras omnes partes corporis, quam, eodem usu[2], imminutas, aut[3] detortas habere. Rerum autem cognitiones[4], (quas vel comprehensiones, vel perceptiones[5], vel, si haec verba aut[6] minus placent, aut minus[7] intelliguntur, καταλήψεις appellemus licet;) has[8] igitur ipsas propter se adsciscendas arbitramur[9], quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Id autem in parvis intelligi potest; quos delectari videamus[10], etiam si eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerunt. 18. Artes etiam ipsas propter se assumendas putamus; tum[11] quia sit in his aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus, et contineant quiddam in se ratione constitutum et via. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quae sunt contra naturam, arbitrantur[12]. Iam membrorum, id est, partium corporis[13], alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea[14], quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit, a medicis etiam disputatur: alia autem nullam ob utilitatem, quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba. 19. Haec dicuntur fortasse ieiunius: sunt enim quasi prima elementa naturae; quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, nec equidem eam cogito consectari: verumtamen quum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt[15]. Ita fit quum gravior, tum etiam splendidior oratio. Est ut dicis, inquam. Sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. Istiusmodi autem[16] res dicere ornate velle, puerile est: plane autem et perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri.

VI. 20. Progrediamur igitur, quoniam, inquit[17], ab his principiis naturae discessimus: quibus congruere debent, quae sequuntur. Sequitur autem prima divisio haec[18]: Aestimabile esse dicitur: (sic enim, ut opinor, appellemus[19] id, quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione; quam ille ἀξίαν vocat[20]: contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium. Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quae secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contrariaque item reiicienda; primum est officium (id enim appello καθῆκον,)

---

(1) cum Cdd. G. 2. — *quae natura prima sunt adscita, natura dil.* Priores; De Ern. sententia Br. prius *natura* [ ]. (2) ∾ *easdem casu* Moseri susp. Acquiesco in G. interpret. (3) Sic Grut. tacite. Seqq. — *et* Priores. (4) cum Cdd. Iu. Cr. Grut. Seqq. — *Cognitiones autem* P. V. M. L. (5) Haec *quas* – *perceptt.* e Spir. Erl. inseruere G. 2. — om. priores. (6) — om. *aut* P. M. L. (habent Iu. Cr. V.) (7) — om. *minus* Sch. 2, err. typogr. (8) e Cld. Vien. G. 2. ∾ *eas* Ceteri. (9) — *arbitrantur* G. (10) — *videmus* Ern. 1. C. sicque O2x. (11) — *quum* Grut. D. 1. Br. (12) ∾ *arbitramur* Cd. Urs. prob. D. Ern. 1. v. Add. (13) Haec *id est, p. c.* suspecta Walkero et Br. (14) — *et ea* M. L. (15) ∾ *pariunt* de nescio cuius C. Lall. Br. (16) — *enim* D. susp. ∾ del. *autem* G. C. 2., quum Spir. Erl. habeant *ut.* (17) ∾ *inquit, quoniam* ex El. pr. D. Br. (18) = *haec pr. d.* Cdd. aliq. (19) de Bentl. C. 1. Br. G. 2. — *appellamus* Priores. De recta distinct. h. l. v. Beier *Off.* T. 2. p. 202. Madvig I. p. 173. (— *appellamus ἀξιωτόν, id* de Man. C L.) (20) ∾ *illi* – *vocant* de Pearcii C. (prob. G.) Sch. 2.

ut se conservet in naturae statu: deinceps ut ea teneat, quae secundum naturam sint, pellatque contraria; quae inventa[1] selectione et item reiectione, sequitur[2] deinceps cum officio selectio[3]. Deinde ea perpetua, tum ad extremum constans, consentaneaque naturae: in qua *quum primum inesse incipit, intelligit[4], quid sit, quod vere bonum possit dici. 21. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam. Simul autem[5] cepit intelligentiam, vel notionem potius, (quam appellant ἔννοιαν illi,) viditque rerum agendarum ordinem, et, ut ita dicam, concordiam: multo eam pluris aestimavit, quam omnia illa, quae prima[6] dilexerat; atque ita cognitione[7] et ratione collegit, ut statueret, in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum; quod quum positum[8] sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet: quum igitur in eo sit id bonum, quo omnia referenda sunt[9], ipsumque[10] honestum, quod solum[11] in bonis ducitur, quamquam post oritur[12], tamen id solum vi sua[13] et dignitate expetendum est: eorum autem, quae sunt prima naturae, propter se nihil expetendum[14]. 22. Quum vero illa, quae officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturae; necesse est ea ad haec referri[15], ut recte dici possit, omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturae: nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio. Consequens est enim[16], et post oritur, ut dixi. Est tamen ea secundum naturam, multoque nos ad se expetendam magis hortatur, quam superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sequi existimet[17], ut duo sint ultima bonorum. Ut enim si cui propositum sit, collineare hastam aliquo, aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis dicimus, sic illi, facere omnia, quae possit, ut collineet. Huic, in eiusmodi similitudine, omnia sint facienda, ut collineet; et tamen, ut omnia faciat, quo propositum assequatur, sit hoc quasi ultimum, (quale nos summum in vita bonum dicimus:) illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum[18].

---

(1) — *qua inventá* e Cdd. D. 1. Br. (2) e Cdd. D. Seqq. — *sequuntur* Priores. (— *sequuuntur sequitur* P.) (3 — *deinceps officiorum sel.* L. C. (probb. D. et Br.) (4) Sic Sch. 2. C. — *in qua quum primum inesse incipit*, *et intelligit* G. C. Scil, Cdd. et priores Edd. non habent *quum* (vel *ut*, uti poterat etiam suppleri.) — *et intelligit* Cdd. est lectio et Edd. ante Ed. 1584. Grut. D. 1. Br., qui peius etiam *et intelligi. et* recte videtur delevisse Sch. (5) — *Simulatque* Ven. 1494. In. Cr. — *Simulac* Cd. Urs. (6) e Cdd. G. 2. — *primum* Priores. (7) — *cogitatione* cum Cdd. multis (prob. L) Cr. D. (8) — *quod compositum* V. (9) Sic cum Cdd. L. et C. ≠ *quo ref. sunt omnia* P. V. M. Grut. D. — *quo ref. sint omnia* Ern. 1. Br. err. typogr. — *quo sint ref. omnia* Sch. 2. quasi cum G., sed duplice errore commisso. Post *ref. sunt* Cdd. Edd. ante G. addunt manifestum gloss. *honeste facta*, quod de D. sententia [ ]. 1. Br. (10) — *ipsum* L. (11) e Spir. Erl. G. 2. — om. *solum* Priores. ∞ *quod familiam in bonis ducit* Nescio cuius C. cfr. *Lib.* 4., §. 45. (12) — *post demum oritur* Br. nescio unde. (Multa hinc inde err. typogr. exciderunt in eius Ed., quae non semper notavi. v. c. §. 21. v. *et item reiectione.*) (13) = *sua vi* e C2d. G. (14) — *est exp.* V. (15) Sic Cdd. P. Cr. V. G. 2. = *ea ad haec r. nec. est* M. L. D. 1. Br. (16) e Cdd. G. 2. — *enim est* Priores. (17) — *ne quis sit*, *qui exist.* Cr. V. L. (non Cd. Mo. P. M.) Propter hanc falsam lect. ab ipso Lamb. postea repudiatam, a. 1566. sic seqq interpolavit: — *duo poni ultima bonorum.* (18) V. pag. seq. N. 1.

VII. 23. Quum autem omnia officia a principiis naturae proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam. Sed quemadmodum saepe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus sit, quam illum, a quo sit[2]; sic minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initiis naturae, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant[3]: sic appetitio animi, quae ὁρμή Graece vocatur, non ad quodvis genus vitae, sed ad quandam formam vivendi videtur data; itemque et ratio, et perfecta ratio. 24. Ut enim histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet: quod genus conveniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi, aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa[4] insit, non foris petatur extremum, id est, artis effectio. Et tamen est alia[5] cum his ipsis artibus sapientiae dissimilitudo; propterea quod, in illis quae recte facta sunt, non continent[6] tamen omnes partes, e[7] quibus constant. Quae autem nos aut recta, aut recte facta dicamus, si placet,

---

(1) Locus difficilis, qui Goerenzio multum debet, etsi idem in aliis incredibiliter peccavit, optime explicatur ex Stobaei *Ecl. eth.* 2, 7. p. 136. *Heeren.* *διαφέρειν δὲ τέλος καὶ σκοπὸν ἡγοῦνται* cet. et p. 140. *διαφέρειν δὲ λέγουσι τὸ αἱρετὸν καὶ τὸ αἱρετέον.* Sensus hic est: „Ut sagittarius propositum habet *σκοπὸν*, quo feriat, sic adeptio principiorum naturae nobis *σκοπὸς* est seligendus, *αἱρετέος*. *Τέλος* autem s. ultimum bonorum nobis est honesta actio, ad *σκοπὸν* illum relata, et unice *αἱρετή*: veluti sagittario hoc quasi ultimum est et expetendum (*τέλος αἱρετὸν*) omnia ut faciat, quo feriat suum *σκοπὸν αἱρετέον*, seligendum." In alia omnia abit G., in eo praesertim errans, quod v. *ut omnia faciat*, — *sit hoc quasi ultimum* (id est, omnia facere sit ultimum) explicavit *si vel omnia faciat.* Videamus iam singula, missis L. et Sch. 2. [1.] — *sit propos.* M. 1. Br. [2.] *collineare* - - *collineet* - - *collineet* Pal. pr. P. Crat. in contextu. V. Grut. D. Br. G. — *collimare* - *collimet* - *collimet* M. 1. [3.] — *sic nos* e C2d. vulgaribus Bas. Gud. pr. G. contra loci sensum. [4.] *dicimus* idem recte e Cdd. — *diximus* Priores. [5.] *Sit illi* cet. id est, „liceat" G. E. Latinitate plus quam poëtica, certe non Tulliana. *sic illi* scil. ultimum est. Post hoc *collineet* puncto mai. distinguendum erat, ne cui posthac cum Ursino, vel eius Cd., et Matthiaeo haec omnia *sic illi* - - *ut collineet* delenda viderentur. [6.] *eiusmodi* cum optt. Cdd. P. G. — *eius* Ceteri. [7.] *sit hoc* Ern. E. Br. G. — *sed hoc* Cdd. Edd. ante Ern. Iam L. 1566. totum l. sic refinxit: — *Ut enim, si cui sit propositum collimare hastam aliquo, aut sagittam, huic omnia sint facienda, ut collimet, et ita tamen, ut omnia faciat, quo feriat; sic quum homini ultimum in bonis esse dicimus, adipisci principia naturae, hoc dicimus, huic in eadem similitudine omnia esse facienda, ut omnia faciat, quo propositum assequatur, sed hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus, illud autem quasi seligendum, non expetendum.* Sch. 2. vero G. se sequi professus mirum in modum huius et vulg. lectiones ita confudit: — *Ut e., si c. p. s., collineare h. a., a. s., sic nos u. in b. diximus* (*dicimus* G.): *sic* (*sit* G.) - - *collineet: huic in eius* (*eiusmodi* G.) *sim.* cet. Ceterum cfr. etiam Matthiae p. 136. (2) — om. *sit* Grut. D. Lall. (— om. *sic* V.) Mox — *primum* Cd. Vienn. (3) ∞ *appareat* L. (ut volebat Ern.) Sch. 2. Recte. (4) cum Cdd. G. 2. — *in ipsa arte* Cdd. aliq. Cr. V. M. L. D. 1. Br. — *arte in ipsa* Cdd. aliq. P. (5) cum Cdd. G. 2. — *est etiam alia* Ceteri. — *aliqua* Br. susp. (6) cum C5d. Marsus. G. 2. — *continentur* Ceteri. (7) = *ex* M. L.

(illi autem appellant κατορθώματα,) omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est: quod idem in ceteris artibus non fit. 25. Inscite autem medicinae et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur, et iustitiam: [et[1]] ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet; quod idem in ceteris artibus non contingit. Tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modo feci mentionem[2], nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse, quod[3] intersit, aut differat aliud ab alio, praeter honesta et turpia. 26. Videamus nunc, quam sint praeclare illa iis[4], quae iam posui, consequentia. Quum enim hoc sit extremum (sentis enim, credo, me iam diu, quod τέλος Graeci dicunt[5], id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum[6]: licebit etiam finem pro extremo, aut ultimo dicere:) quum igitur[7] hoc sit extremum, congruenter naturae convenienterque vivere; necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate[8] vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est, ut, quod honestum sit, id solum bonum iudicemus: potest id quidem fuse, et copiose, et omnibus electissimis verbis gravissimisque sententiis [rhetorice[9]] et augeri, et ornari: sed consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant.

VIII. 27. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est[10]; quod autem laudabile est, omne[11] est[12] honestum: bonum igitur quod est, honestum est. Satisne hoc[13] conclusum videtur? Certe: quod enim efficiebatur ex his duobus, quae erant sumpta, in eo vides esse conclusum. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, non omne bonum esse laudabile. Nam quod laudabile sit, honestum esse[14] conceditur. Illud autem perabsurdum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit: aut expetendum, quod non placens: aut, si id, non etiam diligendum: ergo et probandum. ita etiam laudabile: id autem honestum. Ita fit, ut, quod bonum sit, id etiam honestum sit. 28. Deinde quaero, quis aut de misera vita possit gloriari, aut non de beata? De sola igitur beata. Ex quo efficitur, gloriatione, (ut ita dicam,) dignam esse beatam vitam: quod non possit quidem[15] nisi honestae[16] vitae iure contingere. Ita fit, ut honesta vita, beata vita[17] sit. Et quoniam is, cui contingit, ut iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam, ut ob ea[18], quae tanta sint[19], beatus dici iure possit; idem de vita talis viri rectissime

(1) ∞ *et* [ ]. G. Del. Sch. 2. (2) Cdd. G. 2. = *ment. f.* Ceteri, (3) — *quo* Reizii susp. Mox: — *aut quo differat* D. susp. (4) — *his* e C2d, G, 2. (5) Sic Cdd. optt., P. G. — *Graeci dicant* Cd. Mo. Marsus. Sch. 2. — *Graecus dicat* Ceteri. (6) — om. *tum summum* El. pr. prob. D. (7) e Cdd, G, 2. — *enim* Cdd. multi. P. — *ergo* Ceteri. (8) — *absolute fortunate* iungit G, Sed sic Scholastici; non antiqui, nedum Tullius. (9) ∞ om. *rhetorice* Cdd. aliq. ∞ [ ]. D, 1. Br. ∞ del. G. 2. (10) ∞ om. *est* Cd. Mo. (11) — om. *omne* utrobique Erl. (12) = *hon. est* L. ∞ om. *est* Cd. Mo. (13) — om. *hoc* Cd. Mo. (14) Sic Cdd. optt. etiam Mo. L. Seqq. — *q. honestum sit, laudabile e.* Priores. (15) ∞ om. *quidem* Pal. pr. Spir. Erl. Del. D. (16) — *quidem inhonestae* Cdd. aliq. P. V. — om. *vitae* Br. (17) — om. *vita* Cd. Mo. (18) — *ad ea* V. (19) — *sunt.* L.

dicetur[1]. Ita, si beata vita honestate cernitur; quod honestum est, id bonum solum habendum est. 29. Qui vero negari ullo modo[2] possit, quemquam[3] stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus, effici posse, nisi constitutum sit, non esse malum dolorem? Ut enim qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere: sic nemo ulla in re potest id, quod malum esse decreverit[4], non curare idque contemnere: quo posito et omnium assensu approbato, illud assumitur, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quae cadere in hominem possint, despicere ac[5] pro nihilo putare. Quae quum ita sint, effectum est, nihil esse malum, quod turpe non sit. Atque iste vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens; is, inquam, quem efficere[6] volumus, quem quaerimus, certe et confidere[7] sibi debet[8], et[9] suae vitae et actae et consequenti, et bene de sese[10] iudicare, statuens nihil posse mali incidere[11] sapienti. Ex quo intelligitur idem illud, solum bonum esse, quod honestum sit; idque esse beate vivere, honeste[12], id est, cum virtute vivere.

IX. 30. Nec vero ignoro varias philosophorum fuisse sententias, eorum dico, qui summum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. Quos[13] quamquam vitiose quidam secuti sunt, tamen non modo his tribus, qui virtutem a summo bono segregaverunt, quum aut voluptatem, aut vacuitatem doloris, aut prima naturae in summis bonis ponerent; sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem, ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas[14] addiderunt: his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi[15] sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt. 31. Sed sunt[16] tamen perabsurdi et ii[17], qui, cum scientia vivere, ultimum bonorum, et qui nullam rerum differentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo[18] anteponentem: aut[19], ut quidam Academici constituisse dicuntur, extremum bonorum et summum munus esse sapientis, obsistere visis assensusque suos firme[20] sustinere. His singulis copiose responderi solet: sed quae perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem apertius, quam[21], si selectio nulla sit ab iis[22] rebus, quae contra naturam sint, ut[23] earum rerum, quae sint secundum naturam, tollatur[24] omnis ea, quae quaeratur

(1) e Cdd. G. — *dicitur* Ceteri. (2) e Cdd. G. 2. — *Quod v. n. nullo m.* Priores. (3) e Cdd. Br. G. 2. — *quem, inquam* P. V. — *quem unquam* Cr. M. L. D. 1. (4) e Cdd. G. 2. — *decernit* Priores. (5) e Cdd. G. — *et* Ceteri. (6) — *aspicere* D. susp. (7) Sic distinguunt V. L. Recentiores: *quem quaerimus certe, et conf.* (8) — *c. debet et sibi* L. (9) ∾ *ac* Gud. sec. (10) cum Cdd. Cr. V. — *se* P. M. L. D. 1. Br. — *ipsa* Sch. 2. nescio quo errore. (11) cum Cdd. G. 2. — *nihil mali posse inc.* Ceteri, praeter L., qui: — *nihil m. p. accidere.* (12) Sic Cdd. aliq. P. (ut volebat M.) Grut. Seqq. — *et honeste* Cr. V. M. L. (13) Sic Ven. 1494. D. Seqq. — *quas* P. Cr. (errat G.) V. M. L. (14) de P. Fabri Є. (prob. L.) D. Seqq. — *singulis singulas* Cdd. P. Cr. V. L. — *singulas singulis* M. (15) Sic Margo 1584. D. Seqq. — *cuiusmodi* Cdd. pleriq. P. V. M. — *cuimodi* Spir. Erl. — *cuiuscuiusmodi* L. (16) — om. *sunt* Cdd. aliq. Del. D. — *sed tamen perabsurde* P. (17) — *hi* V. D. (18) — *ullo mom.* Br. (19) e Cdd. G. 2. — om. *aut* Ceteri. (20) — *firmiter* cum Cdd. aliq. D. (21) — *quam quod* D. susp. (22) — *his* P. V. (23) Sic G. Є. 2. — om. *ut* Cdd. Edd. ante G. (24) — *fore, ut t.* L. Є. prob. Ern. (— *tollatur demum o.* Cdd. aliq. P.)

laudeturque prudentia? Circumscriptis[1] igitur iis sententiis, quas posui, et iis[2], si[3] quae similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit, vivere, scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et si quae contra naturam[4] sunt, reiicientem, id est, convenienter congruenterque naturae vivere. 32. Sed in ceteris artibus quum[5] dicitur *artificiose*, posterum quodam modo et consequens putandum est; quod illi ἐπιγεννηματικὸν appellant: quod[6] autem in quo[7] *sapienter* dicimus, id a primo[8] rectissime dicitur. Quidquid enim a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus; in eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu: sic timere, sic maerere, sic in libidine esse, peccatum est, etiam sine effectu. Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt: sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.

X. 33. Bonum autem, quod in hoc sermone toties usurpatum est, id etiam definitione explicatur[9]. Sed eorum[10] definitiones paullum oppido inter se differunt, et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit[11], id quod esset natura absolutum. Id autem sequens, illud, etiam[12] quod prodesset, (ὠφέλημα[13] enim sic appellemus,) motum, aut statum esse dixit, e naturâ absoluto[14]. Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut coniunctione, aut similitudine, aut collatione rationis; hoc quarto[15], quod extremum posui, boni notio[16] facta[17] est. Quum enim ab iis[18] rebus, quae sunt secundum naturam, adscendit[19] animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. 34. Hoc autem ipsum bonum, non accessione, neque[20] crescendo, aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus, et appellamus bonum. Ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur: sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed ea aestimatio genere valet, non magnitudine. Nam quum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit, neque rursus[21] in malis: quantumcunque eo addideris, in suo genere manebit. Alia est

(1) — *circumcisis* Br. dubia susp. v. Matthiae. (2) — *his* bis V. — om. *iis* D. Br. (3) cum Cdd. (etiam Mo.) D. Br. G. 2. — om. *si* Ceteri. (4) Sic V. M. G. 2. ∾ *et quae c. n.* Cdd. optt. (Mo.) D. Br. — *et si qua c. n.* P. — *et si quae* (*qua* L.) *etiam c. n.* L. 1. (5) — *quod* L. (6) — *quum* Ern. susp. (7) — om. *in quo* L. — *in bono* D. susp. (8) de Walckeri C. Ern. 1. Seqq. — *apprime* P. Cr. V. M. — *adprimo* Grut. D. (— *apprime recte* L.) (9) ex optt. Cdd. G. 2. — *explicetur* Ceteri. (10) — *aliorum* vel *ceterorum* Ern. susp. (11) — *definiit* de D. susp. Ern. 1. (12) — om. *etiam* Mars. M. L. (probb. Br. et G.) Recte Beier *Off.* T. 2. p. 201. defendit vulg. (13) — ὠφέλειαν G. C. 2. Sed v. Beier l. l. Quaerit G., „ubi demum sic Stoici ὠφέλημα ponant?" Facilis est responsio. Apud Stobaeum *Ecl. Eth.* P. 2. 1. p. 140. Heeren. αἱρετέον - ὠφέλημα πᾶν. (— *ophelen* Cdd. P. — *ophelon* Mars. Ju. ὀφειλὴν (sic) Cr.) (14) de Br. sententia G. 2. — *e* (*ex* P. *a* M.) *natura absoluta* Cdd. Edd. ante Ern. 1., qui de Pearcii C.: — *dixit*, *natura absoluti*, — sicque etiam Lall. (15) ∾ *quarto* Br. [ ]. (16) e Cdd. G. 2. — *posui bonum*, *notitia* Cdd. multi. P. V. D. — *posui*, *bonorum notitia* M. L. 1566. — *posui*, *boni notitia* L. in m. 1581. Lall. Br. (17) ∾ *effecta* Moseri susp. (18) — *his* V. (19) — *escendit* Cdd. (probb. G. et Sch.) (20) — *atque* Cdd. aliq. (21) = *nec r.* V. — om. *rursus* Br.

igitur propria aestimatio virtutis: quae genere, non crescendo, valet. 35. Nec vero perturbationes animorum, quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt: (quas Graeci πάθη appellant, poteram ego, verbum ipsum interpretans, morbos appellare: sed non conveniret[1] ad omnia: quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam, morbum solet dicere? at illi dicunt πάθος: sit igitur perturbatio, quae nomine[2] ipso vitiosa declarari videtur:) nec hae perturbationes[3] vi aliqua naturali moventur: omnesque sunt[4] genere quattuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi, ἡδονὴν appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam. Perturbationes autem nulla naturae vi commoventur, omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis. Itaque his sapiens semper vacabit.

XI. 36. Omne autem, quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum sententiis. Praeter enim tres disciplinas, quae virtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his [Stoicis[5]], qui nihil aliud in bonorum numero, nisi honestum, esse voluerunt. Sed haec quidem est perfacilis et perexpedita defensio. Quis est enim, aut quis unquam fuit aut avaritia tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam[6] rem, quam[7] adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore, quam illo modo pervenire? 37. Quam vero utilitatem, aut quem fructum petentes, scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quo modo[8] moveantur, quibusque de causis ea versentur in caelo? quis autem tam agrestibus institutis vivit, aut quis contra studia naturae tam vehementer obduruit[9], ut a rebus cognitione[10] dignis abhorreat, easque sine voluptate, aut utilitate aliqua non requirat, et pro nihilo putet? aut quis est, qui maiorum[11], aut Africanorum, aut eius, quem tu in ore semper habes, proavi mei, ceterorumque virorum fortium atque omni virtute praestantium facta, dicta, consilia cognoscens, nulla animo[12] afficiatur voluptate? 38. Quis autem honesta in familia institutus et educatus ingenue, non ipsa turpitudine, etiam si eum laesura non sit, offenditur? quis animo aequo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? quis non odit sordidos, vanos[13], leves, futiles? Quid autem dici poterit[14], si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus[15],

(1) — *conveniet* Cdd. aliq. P. V. D. — *convenerit* Ern. susp. (2) — *sic ig. pert. nomine* Mars. (3) ∾ *nec hae igitur pert.* L. (4) cum Pal. pr. D. Seqq. — *omnesque hae s.* Priores. (5) ∾ *Stoicis* de L. sententia Br. [ ]. Del. G. 2. — *tamen Stoicis* (ut volebat M. e lect. Cdd. et P.): — *tamen in Stoicis* L. Lall. (— *maxime tamen haec Stoicis* Lall. susp.) Mox: — *expedita* Cdd. aliq. (6) — *ipsam* Mars. Cr. (7) — *quamquam* Cdd. aliq. (non Cr., ut ait G.) (8) Sic Cdd. aliq. P. Cr. D. Br. G. 2. — *quo* V. M. Grut. 1. — *qui* L. — Post *moveantur* Br. cum [ ] inseruit *astra.* (9) Cdd. pauci. P. Cr. M. L. D. Seqq. — *obduravit* Cdd. pleriq. V. Grut. (10) Sic Cdd. pleriq. Iu. Cr. V. M. D. Br. G. 2. ∾ *cognitu* P. L. Grut. 1. (11) — *Manliorum* Clerici susp. prob. D. recepit Lall. — *Aemiliorum* Br. susp. (12) — *animi* vel *omnino* D. susp. (13) — *varios* Cdd. aliq. V. (14) — *poterat* P. V. M. (15) Sic Cdd. opt. (Mo.) Grut. Seqq. ∾ *statuerimus* Cdd aliq. P. L. prob. G. — *statueremus* Cr. V. M. — Haec *si - - statuemus* de Walkeri susp. D. [ ].

quo minus homines tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam: sed non necesse est. Nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam et honesta, expetenda per se [1], et eodem modo turpia, per se esse fugienda. — 39. Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset [2], id esse solum bonum: intelligi necesse est, pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse, quam illa media, quae ex eo comparentur. Stultitiam autem et temeritatem [3] et iniustitiam et intemperantiam quum dicimus esse fugienda [4] propter eas res, quae ex ipsis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quo [5] positum est, solum id esse malum, quod turpe sit, haec pugnare videatur oratio: propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quae oriuntur e vitiis. Quas enim Graeci κακίας appellant, vitia malo, quam malitias nominare.

XII. 40. Nae [6] tu, inquam, Cato, verbis illustribus et id, quod vis, declarantibus! Itaque mihi videris Latine docere philosophiam et ei quasi civitatem dare: quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur, nec offerre sese [7] nostris sermonibus: et ista [8] maxime propter limatam quandam et rerum, et verborum tenuitatem. Scio enim, esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint; nullis enim [9] partitionibus, nullis definitionibus utuntur [10], ipsisque [11], dicunt [12], ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur. Itaque in rebus minime [13] obscuris non multus est apud eos disserendi labor. Quare attendo te studiose, et, quaecunque rebus iis [14], de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriae mando [15]. Mihi enim erit iisdem istis fortasse iam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi videris, et ad consuetudinem nostrae orationis, vitia posuisse contraria. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum [16] vituperari. Sin κακίαν, malitiam dixisses, ad aliud nos unum certum vitium consuetudo Latina traduceret. Nunc [17] omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. 41. Tum ille: His igitur ita positis, inquit, sequitur magna

---

(1) = *per se exp.* Cr. V. Br. (2) e Cdd. G. 2. — *sit* Priores. (3) — *timiditatem* de Guyeti susp. Br. — *Temeritatem autem et iniustitiam et intemp. et ignaviam* Beieri susp. *Offic.* T. 1. p. 335. (4) cum Cdd. optt. M. Grut. Seqq. — *fugiendam* Cdd. aliq. P. Cr. V. — *fugiendas* L. (5) Sic Spir. Erl. G. 2. — *quod* Ceteri. (6) Sic Cdd. optimi. (Mo.) L. Seqq. — *Haec* Cdd. pleriq. Edd. ante L. (7) — *se* Cd. Mo. (8) Donec meliora afferantur, facio cum Sch. *et ista* nominativo casu ad *philosophiam* referente. Nolebat scribere *et quidem maxime*, nec *et ea quidem maxime*; prius, ne continuarentur tres particulae, alterum, ne *ea* post *ei* repeteretur. Post *tenuitatem* cogitatione supple: „quae eius et in se spectatae, et apud Graecos propria est, Latinis ante te negata." — *et istam* Cdd. aliq. P. L. in curis posterior., id quod non male referretur ad v. *Latine docere philosophiam.* — *nostris sermonibus audebat; et ista* L. E. — *nostris sermonibus est quita, max.* Scalig. susp. — *n. s. esse ausa, m.* D. susp. — *n. s. est ausa, m.* Br. susp. (9) Sic Cdd. multi. P. Cr. Lall. G. 2. — *tamen* Iu. Cr. V. M. L. D. 1. Br. (10) — *utantur* Ern. E. 1. (11) ex optt. C2d. G. Egregia inest εἰρωνεία. — *ipsique* e Pal. pr. Grut. D. 1. Br. 2. — *ipsi, qui* Edd. ante L. — *qui* (om. *ipsi*) L. (12) — *dicant* Ern. E. 1. (13) — *maxime* aliquando Ern. suspicatus erat, postea sapienter ipse vulgatae veritatem agnovit. (14) — *his* P. V. G. (15) — *commendo* Cdd. aliq. Mars. Iu. Cr. (16) — *ductum* Mars. (17) cum optt. Cdd. Man. in Ed. poster. Grut. Seqq. — *hoc* Meae ante Grut.

contentio: quam tractatam[1] a Peripateticis mollius (est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta propter ignorationem dialecticae,) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in dialecticis summaque eloquentia rem in summum discrimen adduxit: propterea quod pugnare non destitit, in omni hac quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum. Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis, quam verbis dissidere: maiorem multo inter Stoicos, et Peripateticos rerum esse aio[2] discrepantiam, quam verborum. Quippe quum Peripatetici omnia, quae ipsi bona appellant[3], pertinere dicant ad beate vivendum: nostri vero[4], quod aestimatione omnino aliqua dignum sit, compleri[5] vitam beatam non putent[6].

XIII. 42. An vero certius quidquam potest esse, quam illorum ratione[7], qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, quum eculeo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, uti in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius[8] patiuntur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leviore[9] de causa: opinio facit, non natura, vim doloris aut maiorem, aut minorem. 43. Ne illud quidem est consentaneum, ut[10], si, quum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis, aut externis bonis plenior: ut hoc idem[11] approbandum sit nobis, ut qui plura habeat ea[12], quae in corpore magni aestimantur, sit beatior. Illi enim corporis commodis compleri vitam beatam putant: nostri nihil minus. Nam quum ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quae nos bona naturae[13] appellemus[14], frequentia beatiorem vitam fieri, aut magis expetendam, aut pluris aestimandam: certe minus ad beatam vitam pertinet multitudo corporis commodorum. 44. Etenim, si et sapere expetendum[15], et valere: coniunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum, neque tamen, si utrumque[16] aestimatione dignum, pluris sit[17] coniunctum, quam sapere ipsum separatum[18]. Nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus[19], neque eam tamen[20] in bonis ponimus, iidem censemus, nullam esse tantam aestimationem, ut ea virtuti anteponatur. Quod idem Peripatetici non tenent:

---

(1) e Cdd. Grut, D. 1. Br. G. 2. — *quae tractata est* P. — *quae pertractata est* Iu. Cr. V. M. L. — *qua tractata* de Guyeti C. Lall. (2) e Cdd. Grut. Seqq. — *maiorem multo habere St. et P. omnino discr.* Cdd. pleriq. Edd. ante Grut. (3) — *appellent* Ern. 1. C. (4) — *nostri non* Gud. sec. (5) Sic Cdd. aliq. P. Cr. 1. G. 2. — *complecti* Cdd. aliq. V. M. L. Grut. D. Br. (6) ex El. sec. Br. G. 2. — om. *non* Ceteri. (7) Sic L. in m. 1584. Grut. Seqq. (cfr. §. 48. quem locum prave interpretatur G.) — *quam illa ratio est eorum* P. — *quam illa ratio eorum* Cr. V. M. ∾ *quam ratio eorum* L. 1566. (8) — *tolerantius* L. (9) = *leviori* V. (10) — om. *ut* L. (11) ∾ *item* L. — om. *idem* C2d. (12) — om. *ea* M. L. D. 1. Br. contra Cdd. (13) — *bona vere* Cdd. aliq. P. — *prima naturae* cum Cdd. Lambini Br. (14) — *appellamus* cum C2d. Br. (15) cum Cdd. G. 2. *expet. sit* Ceteri. (— *si valere et sapere magis exp. sit* omissis v. *coniunctum - sapere solum* Cdd. aliq. Edd. vett. V.) (16) cum Cdd. G. 2. — *utrumque sit* Ceteri. (17) — *si* Ern. 1. Br. 2. errore typogr. (18) — *separatim* Cdd. aliq. Iu. Cr. V. (19) Sic Cdd. optt. P. Grut. Seqq. — *videamus* Cd. Mo. V. M. — *vidomus* L. (20) e Cdd. G. 2. = *tamen eam* Ceteri.

quibus dicendum est, quae et honesta actio sit, et sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. Nobis aliter videtur; recte secusne, postea: sed potestne rerum maior esse dissensio?

XIV. 45. Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae, et ut interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae[1], et ut in divitiis Croesi teruncii accessio, et gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam: sic, quum sit is bonorum finis quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum[2] aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est. Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus εὐκαιρίαν,) non fit maior productione temporis, (habent enim suum modum quaequae[3] opportuna dicuntur:) sic recta effectio (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum[4] factum κατόρθωμα:) recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi[5] accessionem nullam habet. 46. Ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione maiora: ob eamque causam Stoicis non videtur optabilior, nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis: utunturque simili: ut si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec[6] maiores minoribus: sic, quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec longinquiora brevioribus anteponentur. 47. Nec vero satis acute dicunt: Si bona valetudo pluris aestimanda sit longa, quam brevis, sapientiae quoque usus longissimus quisque sit plurimi. Non intelligunt, valetudinis aestimationem spatio iudicari; virtutis, opportunitate: ut videantur qui illud dicant, iidem hoc esse dicturi, bonam mortem, et bonum partum, meliorem longum esse, quam brevem. Non vident, alia brevitate pluris aestimari; alia, diuturnitate. 48. Itaque consentaneum est his[7], quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putent[8] posse, iisdem placere, esse alium alio etiam[9] sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare, vel recte facere. Quod nobis non licet dicere: qui crescere bonorum finem non putamus. Ut enim qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe[10] absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo: nec catulus ille, qui iam appropinquat, ut videat, plus cernit, quam is, qui modo est natus: item[11] qui processit aliquantum[12] ad virtutis aditum, nihilo minus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.

XV. Haec mirabilia videri intelligo: sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum[13]

(1) — *mellis* Cdd. pleriq. (2) Sic Mars. E. C1d. Man. L. D. 1. G. 2. — *in corpore harum* Cdd. aliq. P. V. — *incorporearum* Cdd. aliq. Iu. Cr. — *corporearum* cum El. sec. Br. (3) Sic G. 2. — *quaeque* Cdd. aliq. Mars. V. — *quae* Cd. Mo. — *quaecunque* P. M. L. D. 1. Br. (4) — *recte* Ern. 1. €. (5) — *crescendo* e Cdd. Regg. Lall. (6) = *neque* L. (7) ∞ *iis* V. (8) — *putant* M. L. (= *putent cresc.* V.) (9) ∞ del. *etiam* cum C2d. G. 2. (10) — *longe non* M. L. (11) Sic Cdd. aliq. Cr. M. L. G. 2. — *ita* P. V. Grut. D. 1. Br. (12) ∞ *aliquantulum* V. (13) cum Cdd. Mars. G. 2. — *eorum* Ceteri.

quidem est veritate[1] dubitandum, sed, quamquam negant[2] nec virtutes nec vitia crescere, et tamen[3] utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant, 49. divitias autem Diogenes censet[4] non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam, ut ea[5] contineant, non idem facere[6] eas in virtute, neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest; itaque si voluptas, aut si[7] bona valetudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas: at[8], si sapientia bonum sit, non sequi[9], ut etiam divitias bonum esse dicamus; neque[10] ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest[11]; ob eamque causam, quia cognitiones[12] comprehensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitiones[13] movent; quum divitiae non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest. 50. Quod si de artibus concedamus, virtutis tamen non sit eadem ratio, propterea quod haec plurimae commentationis et exercitationis indigeat; quod idem in artibus non sit: et quod virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitae complectatur, nec haec eadem[14] in artibus esse videamus. Deinceps explicatur differentia rerum: quam si non ullam esse diceremus, et[15] confunderetur omnis vita, ut ab Aristone: neque[16] ullum sapientiae munus, aut opus inveniretur, quum inter res eas[17], quae ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino interesset, neque ullum delectum adhiberi oporteret. Itaque quum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, et id malum solum, quod turpe: tum inter illa[18], quae nihil valerent ad beate, misereve vivendum, aliquid tamen, quo differrent[19], esse voluerunt, ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum. 51. Quaeque[20] autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse causae, quamobrem quibusdam anteponerentur, ut in valetudine, ut in integritate[21] sensuum, ut in doloris vacuitate; ut gloriae, divitiarum, similium rerum[22]: alia autem non esse eiusmodi; itemque[23] eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quamobrem reiicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam,

(1) = *ver. est* M. L. D. 1. Br. Ceterum totum h. l. dedi ex ratione Hermanni (*Diss. de R. Bentleio* p. 82. *Append. Bentl. Epp.*) probata iam Beiero *Off.* T. 2. p. 197. (2) Sic Spir. Erl. Mars. — *negent* Ceteri. (3) Sic Cdd. pleriq. (etiam Stephani) Iu. V. — *tamen* P. — *attamen* Cr. M. L. D. 1. Br. G. 2. (4) — *censeat* Cdd. aliq. P. V. (5) — *in ea* V. (6) „Cohaerent haec ita: ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed non idem facere divitias in virtute censendum est: quod *censendum est*, quoniam latet in illo, *non est dubitandum*, omisit." Hermann. (7) — om. *si* Cdd. aliq. L. (8) — *aut* Cdd. multi. V. (non P.) (9) — *sequitur* Cdd. aliq. P. (10) = *nec* M. L. 1. (11) — *posse* L. E. (12) cum opt. Cdd. Mo. L. Seqq. — *cogitationes* P. V. M. (13) — *ad appetitiones* V. M. ∾ *appetitionem* Cdd. aliq. Grut. G. (14) Sic Cdd. noti. P. Cr. V. G. = *eadem haec* M. L. D. 1. Br. 2. (15) e Cdd. G. 2. — om. *et* Ceteri. (16) = *nec* L. D. 1. Br. (17) = *eas res* V. (18) e Pal. pr. Lall. Ern. 1. Seqq. — *inter haec et illa* Priores. (Turbant Cdd. v. c. P.: — *turpe inter haec et ut illa.*) (19) — *quod differret* Cdd. pleriq. P. — *quod differrent* Iu., ut volebat G. (20) Sic Cdd. P. Iu. V. G. — *quae* M. L. D. 1. Br. 2. (21) Sic V. M. L. D. 1. Br. Sic distinguitur etiam infra §. 56. — *ut integri sensus*, *ut bona valetudo*. — *valetudine et integritate* Cdd. aliq. Iu. Cr. G. 2. Scil. quum excidisset *in* ante *integr.*, *ut* necessario in *et* mutandum erat. — *valetudine*, *integr.* Cdd. aliq. P. (22) — *vacuitate*, *in gloria*, *divitiis*, *similibus rebus* L. E. (23) ∾ *item* Cdd. aliq.

similia[1] horum: partim non; itemque hinc esse illud[2] exortum, quod Zeno προηγμένον, contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis; quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quamquam tu hanc copiosiorem etiam soles dicere[3]. Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem huius verbi[4] faciendi Zenonis exponere.

XVI. 52. Ut enim, inquit, nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem, (id[5] enim est προηγμένον,) sed eos, qui in aliquo honore sint[6], quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum[7]: sic in vita non ea, quae primario[8] loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, προηγμένα, id est, producta nominentur. Quae vel ita appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota, et remota[9]; vel, ut dudum diximus, praeposita, vel praecipua; et illa, reiecta. Re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. 53. Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus: necesse est, nec bonum esse, nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum nominamus. Itaque id definimus, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri: (quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem:) neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset, aut contra: nec, quum id relinqueretur, nihil in his poni[10], quod satis aestimabile esset: nec, hoc posito[11], non aliqua essent[12] praeposita. 54. Recte igitur haec facta distinctio[13] est, atque etiam ab iis[14], quo facilius res perspici possit, hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si hoc fingamus esse quasi finem et ultimum, ita iacere talum, ut rectus assistat: qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem: qui aliter, contra[15]: neque tamen illa praepositio tali, ad eum, quem dixi, finem pertinebit: sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa ~~quidem ad finem, sed ad eius vim naturamque nihil pertinent.~~ 55. Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia, (sic enim appello, quae τελικὰ dicuntur: nam[16] hoc ipsum instituamus, ut placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non[17] poterimus; ut res intelligatur) alia autem efficientia, quae Graeci ποιητικά, alia utrumque. De pertinentibus, nihil est bonum, praeter actiones honestas: de efficientibus, nihil praeter amicum. Sed et pertinentem, et efficientem sapientiam volunt esse. Nam quia sapientia est conveniens actio, est[18] illo pertinenti genere[19],

(1) Sic Grut. Seqq. — *et sim.* Priores. (2) ⇌ *illud esse* Cdd. aliq. V. — Del. *esse* G. €. (3) cum Cdd. G. 2. — *dicere soles.* Ceteri. (4) — *huius verbi rat.* V. (5) — *idem* V. (6) ∞ *sunt* V. (7) — *a regio principatu* D. susp. (8) ∞ *primore* Pal. sec. G. — *primori e loco* Cdd. aliq. Margo Cr. — *primore in l.* D. susp. (9) — om. *et remota* M. — *velut promota*, *velut illa remota* L. (— *vel promota*, *vel*, *ut d. d.*, *praeposita*, *vel praecipua*, *et illa reiecta aut remota* D. susp.) (10) — *ut nihil in his poneretur* L. €. (11) Sic. Cdd. aliq. (Mo.) P. L. Seqq. — *haec posita* Cdd. pleriq. Cr. V. M. (12) — *esse* ex El. pr., (ut coniec. Mo. M.) D. 1. 2. — *ut non aliqua essent pr.* L. €. (13) — *definitio* Cd. Mo. (14) — *his* P. V. D. G. (15) — *qui aliter*, *qui c.* Cdd. pleriq. — *aliter*, *qui contra* satis perverse Mars. G. 2. (16) e Cdd. D. Seqq. — *iam* Priores. (17) — *non uno* P. — *n. pot. uno* Cdd. aliq. (18) — *erit* P. M. (19) Sic Cdd. optt. V. Grut. 1. Br. — *cum illo p. g.* Cdd. pleriq. P. Cr. M. G. 2. ∞ *in illo p. g.* D. €. — *ex illo p. g. est* L.

quod dixi. Quod autem honestas actiones affert et efficit, id[1] efficiens dici potest.

XVII. 56. Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque[2]: per se, ut quidam habitus oris et vultûs, ut status, ut motus: in quibus sunt et praeponenda quaedam, et reiicienda: alia ob eam rem praeposita dicentur[3], quod ex se aliquid efficiant, ut pecunia: alia autem ob utramque rem, ut integri sensus, ut bona valetudo. 57. De bona autem fama (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius est hoc loco bonam famam appellare, quam gloriam,) Chrysippus quidem et Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem eius causa porrigendum[4] esse dicebant; quibus ego vehementer assentior. Qui autem post eos fuerunt, quum Carneadem sustinere non possent, hanc, quam dixi, bonam famam, ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt: esseque hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipsam, non propter usum: dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiam si postumi futuri sint, propter ipsos: sic futurae post mortem famae tamen[5] esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum. 58. Sed quum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus: consentaneum tamen est, fungi officio, quum id officium nec in bonis ponamus, nec in malis. Est enim aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut eius ratio reddi possit. Ergo ut etiam probabiliter acti[6] ratio reddi possit. Est autem officium, quod ita factum est, ut eius facti[7] probabilis ratio reddi possit. Ex quo intelligitur, officium medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis. Quoniamque in his[8] rebus, quae neque in virtutibus sunt, neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse: tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quaedam, et quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid et facere eorum. Quod autem ratione actum[9] sit, id officium appellamus. Est igitur officium eius generis, quod nec[10] in bonis ponatur, nec in contrariis.

XVIII. 59. Atque[11] perspicuum etiam illud est, in istis rebus mediis aliquid agere sapientem. Iudicat igitur, quum agit, officium illud esse. Quod[12] quoniam nunquam fallitur in iudicando, erit in mediis rebus officium: quod efficitur hac etiam[13] conclusione rationis. Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus; (id autem est perfectum officium:) erit [autem[14]] etiam inchoatum: ut, si iuste depositum reddere, in recte factis sit, in officiis ponatur, depositum reddere: illo enim addito, *iuste*, fit[15] recte factum: per se autem hoc ipsum reddere, in officio ponitur. Quoniamque non dubium est, quin in his[16], quae

(1) ∞ *ideo* El. pr. L. D. 1. Br. (2) ∞ *p. ob utrumque* L. E. Br. (3) Sic Cdd P. Cr. V. M. G. — *dicuntur* L. D. 1. Br. 2. (4) Sic Cd. Mo. Margo Cr. M. L. Seqq. = *porrig. in eam* Iu. Cr. — *in eam porrig.* V. (5) — *ipsam* D. susp. (6) — *acti* G. [ ]. — *facti* L. (— *probabilis facti* L. susp. probb. D. et Br.) (7) — om. *facti* M. L. (8) ∞ *iis* M. L. 1. Br. 2. (9) — *factum* L. (10) = *neque* V. (11) — *Atqui* e Pal. pr. Grut. Ern. 1. (12) — *qui quoniam* de D. susp. Lall. (13) cum Cdd. G. 2. = *etiam hac* Ceteri. (14) ∞ Del. *autem* L. Br. [ ]. Recte; cfr. Beier *Offic.* T. 1. p. 20. Madvig I. p. 112. (15) Sic L. E. G. 2. — *facit* Ceteri. (16) Sic P. V. G. h. l. recte. — *iis* Ceteri.

media dicimus, sit aliud sumendum, aliud reiiciendum: quidquid ita fit, aut dicitur, communi[1] officio continetur. Ex quo intelligitur, quoniam se ipsi[2] omnes naturâ diligant[3], tam insipientem, quam sapientem, sumpturum quae secundum naturam sint, reiecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis, et insipientis. Ex quo efficitur, versari[4] in his[5], quae media dicamus. 60. Sed quum ab his omnia proficiscantur officia, non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes: in his[6] et excessum e vita, et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem aut sunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium est, e vita[7] excedere. E quo[8] apparet, et sapientis esse aliquando officium[9], excedere e vita, quum beatus sit: et stulti manere in vita, quum sit miser. 61. Nam bonum illud et malum, quod saepe iam dictum est, postea consequitur. Prima autem illa naturae, sive secunda, sive contraria, sub iudicium sapientis et delectum cadunt: estque illa subiecta quasi materia sapientiae. Itaque et manendi in vita, et migrandi ratio, omnibus iis[10] rebus, quas supra dixi, metienda. Nam neque iis[11], qui virtute retinentur in vita[12], neque iis[13], qui sine virtute sunt, mors est oppetenda. At saepe[14] officium est sapientis, desciscere[15] a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit, quod est convenienter naturae vivere. Sic enim censent, opportunitatis esse beate vivere. Itaque a sapientia praecipitur, se ipsam[16], si usus sit[17], sapiens ut relinquat. Quamobrem, quum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariae: perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse, manere in vita, si sint in maiore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita, et manens, aeque miser est, nec diuturnitas ei magis[18] vitam fugiendam facit: non sine causa dicitur, iis[19], qui pluribus naturalibus frui possint[20], esse in vita manendum.

XIX. 62. Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi, natura fieri, ut liberi a parentibus amentur: a quo initio profectam[21] communem humani generis societatem persequimur[22]. Quod primum intelligi debet, figura[23] membrisque corporum; quae ipsa declarant, procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possent[24], ut natura et procreari vellet, et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturae perspici[25] potest: quarum in fetu et in[26] educatione laborem quum cernimus, naturae ipsius vocem vide-

(1) Sic M. L. Seqq. — *omni* Cdd. pleriq. V. — *in off.* P. (2) e Cdd. G. 2. ∞ *ipsos* Ceteri. (3) cum Cdd. P. Cr. V. G. 2. — *diligunt* M. L. D. 1. Br. (4) — *id vers.* L. (5) — *iis* M. L. D. 1. Br. 2. (6) ∞ *in his esse* G. E. 2. (7) ∞ *de vita* Cd. Mo. Spir. Erl. (8) = *Ex quo* Cdd. aliq. P. V. M. L. (9) — om. *officium* Cd. Bas. prob. G. (= *et off. sap. esse aliq.* V.) (10) — *his* P. V. G. 2. (11) — *his* P. V. (12) — *qui virtute fruuntur, manendum in vita* L. E. (13) — *nec his* V. (14) e Cdd. D. Seqq. ∞ *et s.* Cd. Urs. L. — *ut s.* P. V. M. (15) — *deficere* P. — *desistere* Cd. Mo. (16) — *se ipsum* Ern. susp. (17) e Pal. pr. Grut. Seqq. — *si iusserit* Edd. ante Grut. (18) e Cdd. G. 2. = *magis ei* Ceteri. (19) — *his* P. V. G. (20) — *possunt* Sch. 2. err. typogr. (21) — *profecti* Ern. susp. (22) — *persequuntur* ex El. sec. D. — *prosequimur* V. (23) — *ex fig.* L. (24) — *possint* Grut. solus. (25) e Cdd. G. 2. — *inspici* Priores. — *conspici* G. susp. (26) — om. *in* M. L.

mur audire. Quare ut[1] perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere: sic apparet, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli[2]. 63. Ex hoc nascitur etiam, ut[3] communis hominum inter homines naturalis[4] sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures: aliqua[5] etiam ceterorum membrorum usum adiuvant, ut crura, ut manus: sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt: at illa, quae in concha[6] patula pinna dicitur; isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodit[7], pinnoteres[8] vocatur, in eamque[9] quum se recepit[10], includitur, ut videatur monuisse, ut caveret: itemque formicae, apes, ciconiae, aliorum etiam causa quaedam faciunt. Multo magis haec coniunctio est hominis. Itaque natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates. 64. Mundum autem censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unumquemque nostrûm eius mundi esse partem: ex quo illud naturâ consequi[11], ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt: sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus utilitati omnium[12] plus, quam unius alicuius, aut suae consulit. Nec magis vituperandus est[13] proditor patriae, quam communis utilitatis, aut salutis desertor propter suam utilitatem, aut salutem. Ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro re publica, quod deceat[14], cariorem esse patriam nobis, quam nosmet ipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata ducitur, eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium[15] deflagratio consequatur: (quod vulgari quodam versu Graeco pronuntiari solet:) certe verum est, etiam iis[16], qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum.

XX. 65. Ex hac animorum affectione testamenta commendationesque morientium natae sunt. Quodque[17] nemo in summa[18] solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia: facile intelligitur, nos ad coniunctionem congregationemque hominum et ad naturalem[19] communitatem esse natos. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. 66. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris naturâ datum est, ut pro vitulis contra leo-

(1) — om. *ut* V. cum Cd. Stephani. (2) — v. *impelli* collocant post v. *a natura ipsa* Edd. vett. aliq. L. (non P., nec Cr., ut ait G.) (3) e Spir. Erl. G. — *ut etiam* Ceteri, etiam Sch. 2. (4) — *et nat.* D. susp. F. *naturâ*. (5) — *alia* M. L. (6) — *conchis* L. (— *quae cum concha p.* D. susp. — *quae conchis p.* Br. susp.) (7) Sic Cdd. Goerenzii. V. D. G. 2. — *custodiat* P. M. L. 1. Br. (8) — *pinoteres* P. — *pinnophylax* Alii apud Mo. (9) ∾ *in eandemque* Spir. Erl. (10) Sic Edd. ante Grut. Tum Br. — *recipit* e Cdd. Grut. D. 1. G. 2. (11) cum Cdd. V. M.) Grut. Seqq. — *consequitur* P. Cr. L. (12) — *hominum* V. cum Cd. Steph. (13) = *est vit.* e C2d, Sch. 2. (14) Sic Cdd. aliq. (etiam Steph.) Ed. princ. Ern. 1. Br. G. 2. — *quod doceat* P. V. Grut. D. — *qui doceat* M. L. (15) ∾ om. *omnium* C2d. Goerenzii. P. Mars. Sch. 2. (15) — *his* V. (17) — *quumque* Br. susp. (18) Sic Cdd. multi. (etiam Steph.) V. D. G. 2. ∾ om. *summa* P. M. L. 1. Br. (19) — *civilem* de D. susp. (prob. G.) Sch. 2.

nes summa vi impetuque contendant: sic ii[1], qui valent opibus atque id facere possunt, ut de Hercule et de[2] Libero accepimus[3], ad servandum genus hominum naturâ incitantur. Atque etiam Iovem quum Optimum et Maximum dicimus, quumque eundem Salutarem, Hospitalem, Statorem, hoc intelligi volumus, salutem hominum in eius esse tutela. Minime autem convenit, quum ipsi inter nos abiecti[4] neglectique simus, postulare, ut diis immortalibus cari simus et ab iis[5] diligamur. Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cuius ea utilitatis causâ habeamus: sic inter nos naturâ ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus. Quod ni ita se haberet, nec iustitiae ullus esset, nec bonitati locus. 67. Et quo modo hominum inter homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil iuris esse[6] cum bestiis. Praeclare enim Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum[7]; eos autem, communitatis et societatis suae: ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria; quoniamque ea natura esset hominis, ut ei[8] cum genere humano quasi civile ius intercederet: qui id conservaret, eum iustum: qui migraret, iniustum fore. Sed, quemadmodum, theatrum ut[9] commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe mundove communi non adversatur ius, quo minus suum quodque[10] cuiusque sit. 68. Quum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam; atque, ut e natura vivat, uxorem adiungere et velle ex ea liberos[11]. Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur[12]. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, si quis eiusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit: alii nullo modo.

XXI. 69. Ut vero[13] conservetur omnis homini erga hominem societas, coniunctio, caritas; et emolumenta, et detrimenta, (quae ὠφελήματα et βλάμματα appellant,) communia esse voluerunt: quorum altera prosunt, nocent altera[14]. Neque[15] solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem et commoda[16] (ita enim[17] εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello,) communia esse voluerunt, paria noluerunt. Illa enim, quae prosunt, aut quae nocent, aut bona sunt, aut mala; quae sint paria necesse est. Commoda autem et[18] incommoda in eo genere sunt, quae praeposita et reiecta

(1) — *hi* P. V. G. 2. (2) ∞ *ut de* P. — om. *de* Cdd. aliq. M. L. (3) — *accipimus* Beier *Offic.* T. 1. p. 42. (4) — *nos viles*, *abiecti neglectique* Cdd. aliq. Mars. L. e gloss. — *viles neglectique* de Grut. susp. Lall. (5) — *his* P. M. L. — *illis* V. (— *curae* pro *cari* L. susp.) (6) → *esset* V. Seqq. mire interpretatur G. „bestiis in nos iuris nihil esse." Est: „nullum ius intercedere homini cum bestiis, unde in has homo liberum habet arbitrium, etiam occidendi." (7) ∞ om. *et deorum* Cdd. D. [ ]. prob. Br. Del. Sch. 2. (8) — om. *ei* Cdd. aliq. Edd. ante L. (9) e Spir. Erl. G. 2. — *quum* Ceteri. (10) e Cdd. G. 2. — *quidque* Ceteri. (11) e Cdd. Lall. G. ∞ *et tollere ex ea liberos* de ingeniosa G. susp. Sch. 2. — *et velle ex ea liberos procreare* Ceteri. (— *quaerere* omisso v. *procreare* D. susp.) (12) — *arbitramur* Cdd. aliq. (13) — *ergo* P. Cr. (14) — Haec: *quum* - - *altera* suspecta Man. (15) = *nec* L. D. 1. Br. (16) — *Commoda autem et incommoda* cum Cdd. aliq. D. (17) — om. *enim* M. L. Grut. 1. 2. (18) cum Cdd. multis P. Cr. V. D. Br. — *aut* Ceteri.

dicimus. Ea possunt paria non esse; sed emolumenta[1] communia esse dicuntur: recte autem facta[2] et peccata non habentur communia. 70. Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo[3] genere, quae prosunt[4]. Quamquam autem in amicitia alii dicant, aeque caram esse sapienti rationem amici, ac suam; alii autem sibi cuique cariorem suam: tamen hi quoque posteriores[5] fatentur, alienum esse ab[6] iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid[7] de aliquo, quod sibi assumat. Minime vero probatur huic disciplinae, de qua loquor, aut amicitiam, aut iustitiam propter utilitates adscisci, aut probari. Eaedem enim utilitates[8] poterunt eas labefactare atque pervertere. Etenim nec iustitia, nec amicitia[9] esse omnino poterunt, nisi ipsae per se expetantur[10]. 71. Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse naturâ[11]: alienumque esse a sapiente non modo iniuriam cui[12] facere, verum etiam nocere. Nec vero rectum est cum amicis, aut bene meritis consociare[13], aut coniungere iniuriam: gravissimeque et verissime[14] defenditur, nunquam aequitatem ab utilitate posse seiungi[15]: et, quidquid aequum iustumque esset, id etiam honestum: vicissimque, quidquid esset honestum, id iustum etiam atque aequum fore. 72. Ad easque[16] virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adiungunt et physicam; easque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus[17], ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur[18] ab vero abduci fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque[19] vitiosa est, ars ab his ea[20], quae tollit haec, virtus nominata est.

XXII. 73. Physicae quoque non sine causa tributus idem est honos: propterea quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei proficiscendum[21] est ab omni mundo atque[22] ab eius procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis[23] vere iudicare, nisi omni cognita

(1) — *sed em. et detrimenta c.* L. €. — Haec: *sed -- dicuntur* D. [ ]. (2) — *acta* Br. (3) ∞ *eorum* L. (4) — *prosint* Ern. €. 1. Br. (5) ∞ *posteriores* de gloss. suspectum Mosero p. 13. — *id quoque post.* Iu. V. (6) e Cdd. G. 2. = *a* Ceteri. (7) ∞ om. *quid* C2d. prob. D. et Beier *Offic.* T. 2. p. 219. (8) — *voluptates* V. cum C1d. (9) Sic P. Iu. Cr. M. L. vide Beier *Offic.* T. 2. p. 412. Ern. 1. Br. ∞ *nec iustitia, nec amicitiae* cum C1d. D. — *nec iustitiae, nec amicitiae* Cdd. aliq. V. Grut. G. 2., quod casu nominativo stare non posse quum videret G., mirum in modum pro dativis accepit. Sed poenas dedit Beiero. (10) — *nisi ipsa per se expetentur* L. (*ipsa* defendi potest ex *Offic.* 3. §. 118. *si haec non per se expetantur*, quum praecessisset *bonitas*, *liberalitas*, *comitas.*) (11) cum Tertii libro P. Iu. L. D. 1. Br. — *naturam* Cdd. pleriq. Cr. V. M. (qui tamen prob. *naturâ.*) Grut. G. 2. Aeque corruptus est locus *de Legg.* 1. §. 33. (12) ∞ *cuiquam* L. (13) — *sociare* Cdd. aliq. (14) ∞ *severissime* Beieri €. *Offic.* T. 2. p. 22. (15) — *seiungere* Cd. Steph. V. (16) — *ad eas* Erl. Spir. (17) ex Erl. Spir. G. 2. ∞ *disseramus* cum C1d. Br. — *diceremus* Ceteri. (18) e Cdd. D. Seqq. — *arbitramur* Priores. Mox *ab v.* G. e Cdd. Ceteri: *a vero.* (19) — *ignorantiaque* Cd. Mo. (20) Sic Marsus. G. — *ars ea* Cd. Mo. cum aliis. D. Br. — *ab his ea* Edd. ante D. Tum 1. 2. Excidit *ars* propter falsam distinct. P. V.: — *ab his, quae tollit, haec virtus n. e.* (21) Sic L. in m. 1584. D. G. — *et prof.* Cdd. multi. P. — *ei et prof.* V. M. L. 1566. 1. Br. 2. — *ei etiam prof.* Cr. (22) e Cdd. G. Sch. 2. — *et* Ceteri. (23) Sic Cdd. pleriq. M. 1. G. cfr. §. 41. et 72. ∞ *et de malis* P. V. D. 1. Br. 2.

ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa: quaeque sunt vetera[1] praecepta sapientium, qui iubent *tempori parere*, et *sequi deum*, et *se noscere*, et *nihil nimis*. Haec sine physicis quam vim habeant, (et habent maximam,) videre nemo potest. Atque[2] etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, haec una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest. 74. Sed iam sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque rerum[3] traxit ordo: quem[4], per deos immortales! nonne miraris? Quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si *unam[5] literam moveris, labent omnia? Nec tamen quidquam est, quod[6] moveri possit.

75. Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! qui, quum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit; rectius magister populi, (is enim est[7] dictator,) quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit; rectius dives, quam Crassus, qui, nisi eguisset, nunquam Euphratem, nulla belli causa, transire voluisset. Recte eius omnia dicentur[8], qui scit uti solus omnibus: recte etiam pulcher appellabitur; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis: recte solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediens cupiditati: 76. recte invictus; cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint. Neque[9] exspectet ullum[10] tempus aetatis, ut tum denique iudicetur, beatusne fuerit, quum extremum vitae diem morte[11] confecerit: quod ille unus e[12] septem sapientibus[13] non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus unquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro exstructum rogum pertulisset[14]. Quod si ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint: quid philosophia magis colendum, aut quid est virtute divinius?

---

(1) ∾ *veterum* G. ingeniosa susp. in Add. Sic plane de iisdem infra *Lib.* 4, §. 17. (2) — *Atqui* Ern. 1. (3) — *me rerum* Erl. (4) Sic Cdd. optt. D. G. — *quae* Ceteri. (5) de Marklandi susp. Ern. €. 1. 2. — *ullam* Ceteri. ∾ om. *ullam* Cd. Bas. prob. G. — *ut*, *si unam* Matthiaei susp. Cfr. *Lib.* 4, §. 53. (6) — *quo* e Cdd. Grut. D. (7) ∾ *is est enim* Beier *Offic.* T. 1. p. 129. (8) — *Recte*, *eius esse omnia*, *dicetur* G. susp. (*dicetur* Spir.) (9) = *nec* V. (10) Sic Cdd. P. V. M. L. D. G. (hic invitus.) ∾ *ultimum* de Th. Bentleii €. Lall. Ern. 1. Br. 2. probb. D. et G. Placet; nisi forte negat Cic., ullo ex tempore, vel breviore vel longiore, pendere vitam beatam. (11) ∾ om. *morte*, ut D. volebat, Br. tacite. — Omnia haec: *quum* - - *confecerit* suspecta G. (12) = *ex* P. V. (13) — om. *sapientibus* Margo 1584. (14) Sic Cd. Mo. cum aliis. D. Seqq. ∾ *protulisset* Priores.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER QUARTUS.

I. 1. Quae quum dixisset, finem ille. Ego autem, Nae tu, inquam, Cato, ista exposuisti tam multa memoriter, tam obscura dilucide. Itaque aut omittamus contra omnino velle aliquid, aut spatium sumamus ad cogitandum: tam enim diligenter, etsi[1] minus vere; (nam nondum id quidem audeo dicere) sed tamen accurate[2] non modo fundatam, verum etiam exstructam disciplinam, non est facile perdiscere[3]. Tum ille, Ain' tandem[4], inquit, quum ego te hac nova lege videam[5] eodem die accusatori respondere et tribus horis perorare, in hac me[6] causa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agetur non[7] melior, quam illae sunt, quas interdum obtines. Quare istam quoque aggredere, tractatam praesertim et ab aliis, et a te ipso saepe, ut tibi deesse non possit oratio. 2. Tum ego, Non mehercule, inquam[8], soleo temere contra Stoicos: non quo[9] illis admodum assentiar: sed pudore impedior; ita multa dicunt, quae vix intelligam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de industria, sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, verbum nullum est, quod non intelligatur? Easdemne res, inquit? an parum disserui, non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissidere[10]? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. Quare ad ea primum, si videtur; sin aliud quid voles, postea. Immo istud quidem, inquam, loco[11]: nisi iniquum postulo, respondere[12]

---

(1) ∞ *etiam si* Erl. (2) ∞ *sed tamen tam acc.* L. Є. — *sed tam acc.* D. susp. (3) — *dissolvere*, vel *evertere* L. susp. (4) Sic Margo Cr. V. Seqq. — *Te ne ullam tandem* Cr. (5) — *audiam* Cd. Mo. (6) — *mea* Iu. Cr. V. (7) — *modo* Cd. Urs. Iu. — om. *non* P. — *paullo melior* L. susp. (8) Sic Cdd. optt. (Mo.) Cr. D. G. 2. — *non meh. solere temere* Cdd. multi. P. V. (errat G.) — *non meh. soleo tem.* M. L. 1. (9) — *quod* L. (10) cum Cdd. optt. V. D. Seqq. — *dissentire* P. M. L. Grut. (11) Sic plane P. Iu. Rursus G. 2. — *istud quidem, inquam, quo loco* Cdd. pleriq. V. Lall. cum Cdd. Reg. — *isto qu. inq. loco* Cr. M. L. D. 1. — *isti qu. i. loco* L. (12) Sic plane P. Rursus de D. susp. Sch. 2. — *responde* Ceteri praeter L., qui Є.: *respondebo*.

arbitratu meo. Ut placet, inquit. Etsi enim[1] illud erat aptius, aequum cuique concedere.

II. 3. Existimo igitur[2], inquam, Cato, veteres illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem; deinde eorum Polemonem, Theophrastum, satis et copiose, et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ut non esset causa Zenoni, quum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso, et a superioribus dissideret: quorum fuit haec institutio; in qua animadvertas velim, quid putes mutandum[3], nec exspectes, dum ad omnia dicam, quae a te[4] dicta sunt: universa enim illorum ratione cum tota vestra confligendum puto. 4. Qui quum viderent, ita nos[5] esse natos, ut et communiter ad eas virtutes apti essemus, quae notae illustresque sunt, iustitiam dico, temperantiam, ceteras[6] generis eiusdem; (quae omnes similes artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem[7] et tractatione differunt:) easque[8] ipsas virtutes viderent nos magnificentius appetere et ardentius; habere etiam insitam[9] quandam, vel potius innatam cupiditatem scientiae, natosque esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani, eaque in maximis ingeniis maxime elucere: totam philosophiam tres in partes diviserunt; quam partitionem a Zenone retentam esse[10] videmus. 5. Quarum quum una sit, qua mores conformari[11] putantur; differo eam partem, quae quasi stirps est huius quaestionis: qui sit enim finis bonorum, mox: hoc loco tantum dico, a veteribus Peripateticis Academicisque, qui re consentientes vocabulis differebant, eum[12] locum, quem civilem recte appellaturi videmur, (Graeci[13] *πολιτικόν*,) graviter et copiose esse tractatum.

III. Quam multa illi de re publica scripserunt! quam multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus[14] bene dicendi reliquerunt! Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, tum[15] definientes, tum partientes; ut vestri etiam: sed vos squalidius; illorum, vides, quam niteat oratio. 6. Deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis! quam splendide! de iustitia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda re publica, de temperantia; *nec more hominum acu spinas vel-

---

(1) ∞ om. *enim* Mars. M. L. prob. G. (Atque transponunt *illud enim* P. Cr.) Sic sensus erit: „etsi erat aptius, id cuique concedere, quod ipsi aequum videretur." Nostrae vero l.: „etsi illo modo respondere aptius erat, aequum tamen est, (et *est* fortasse excidit propter script. *aequum'st*) aequum tamen ipse censeo, cuique (in levioribus eiusmodi rebus) concedere. Ut *unicuique* de G. susp. legatur, necesse non est. — *Etsi illud erat aequius*, *suum cuique conc.* L. C. — *Etsi enim illud erat aptius*, *hoc tamen aequum cuique conc.* Sch. 2. C. (2) — om. *igitur* P. M. L. (Habet V.) (3) = *mut. putes* Spir. Erl. V. (4) Sic M. L. Seqq. — *ante* Cdd. pleriq. P. Cr. V. (5) = *nos ita* P. M. L. (6) cum Spir. Erl. G. 2. — *ceterasque* Ceteri. (7) — Haec *ad mel. partem* suspecta L. et Lall. (8) — *eas quum* D. susp. (9) — *insitamque* V. — *infinitam* Sch. 2. err. typogr. (10) Fortasse del. v. *esse*, ut vitetur hexametri exitus. (11) ∞ *confirmari* Cdd. P. V. (12) ∞ *illum* Spir. Erl. (13) cum Cdd. V. 1. Seqq. — *Graece* P. M. L. D. (14) — *rationibus* G. mira C. (*artes* sunt scripta *ἐσωτερικά*, *orationes*, *ἐξωτερικά*.) (15) c Cdd. G. 2. = *quum* Ceteri.

lentium[1], ut Stoici, nec ossa nudantium; sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque quae sunt eorum consolationes! quae cohortationes[2]! quae etiam monita et consilia, scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque, aut his[3] adiunctis, facti, aut iuris, aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur: eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam. 7. Totum genus hoc et Zeno, et ab eo qui sunt[4], aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt. Quamquam scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam; sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaque vides, quo modo loquantur. Nova verba fingunt: deserunt usitata. — At quanta conatur[5]! mundum hunc omnem oppidum esse nostrum! — Vides[6], quantam rem agat[7]: ut, Circeiis qui habitet, totum hunc mundum suum municipium esse existimet. — Incendit igitur eos, qui audiunt[8]. — Quid? ille incendat? Restinguet citius, si ardentem acceperit. Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem; a te quidem apte ac rotunde: quippe; habes enim a rhetoribus. Illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi! quam tantam volunt esse, ut beatum per se efficere possit. Pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis; quibus, etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant: res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.

IV. 8. Sequitur disserendi ratio cognitioque naturae. Nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus, et ad id explicandum disputationem omnem conferemus. In iis[9] igitur partibus duabus[10] nihil erat, quod Zeno commutare gestiret. Res enim praeclare se habent, et quidem in utraque parte. Quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima, et definiendi artes reliquerunt: quodque est definitioni adiunctum, ut res in partes dividatur, id et fit ab illis, et, quemadmodum fieri oporteat, traditur; item de contrariis; a quibus ad genera formasque generum venerunt[11]. Iam argumenti ratione conclusi caput esse[12] faciunt ea, quae[13]

(1) In loco desperato secutus sum Heinrichium eleganter sic E., prob. Beiero ad *Fragmm. Oratt.* p. 169. — *de temperantia; nec more hominum vellentium spinas* Mars. G. 2. Haec quoque E. videtur, non Cdd. lectio. — *de temperantia, de fortitudine hominum de spinas* (*de spinis* P. V. M.) Cdd. Edd. praeter Mars. G. 2. et L., qui E.: — *de temp., quod erat hominum non de spinis* (*non spinas* in Curis poster.) *vellentium, nec ossa nudantium, ut Stoici.* — *de temp., de omni virtute, non hominum more spinas vell.* de Davisii susp. Lall. (2) — om. *quae cohortationes* Sch. 2. err. typogr. (3) e Cdd. G. — *iis* Ceteri. (4) — *qui sunt profecti* Ern. susp. (5) Sic P., ut volebant D. et Ern. — *conantur* Ceteri. Sed num. plur. h. l. ortus est e praecedd. *loquantur - - fingunt: deserunt.* (6) — *vide* Ern. susp. (7) Sic P. Iu. Cr. Rursus de D. susp. Sch. 2. — *agas* Ceteri. (8) Haec *Incendit - - audiunt* de D. E. prob. Matthiae, hic collocavi cum G. 2. Vulgo leguntur ante *Vides.* (— *Incendit, inquit, eos* Matthiae susp.) (9) — *his* Gud. pr. Mars. prob. G. (10) — om. *duabus* Spir. Erl. (11) — *devenerunt* M. L. 1. (12) — *esse* suspectum Bremio. (13) Sic Cd. Mo. M. Seqq. — *eaque* P. Cr. V.

perspicua dicunt: deinde ordinem sequuntur: tum, quid verum sit in singulis, extrema conclusio est. 9. Quanta autem ab illis varietas argumentorum ratione concludentium, eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo! Quid? quod pluribus locis quasi denuntiant, ut neque sensuum fidem sine ratione, nec rationis[1] sine sensibus exquiramus atque eorum[2] alterum ab altero separemus? Quid? ea, quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis instituta sunt et inventa[3]? de quibus etsi a Chrysippo maxime est elaboratum, tamen a Zenone minus multo, quam ab antiquis. Ab hoc autem quaedam non melius, quam veteres[4]: quaedam omnino relicta. 10. Quumque duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi: hanc posteriorem et Stoici, et Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt; hi omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis, quasi thesauris, argumenta depromerentur, vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio et via tradiderunt. Quae quidem res effecit[5], ne necesse sit, iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet, ubi quidque positum sit, quaque eo veniat, is, etiam si quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Quod etsi[6] ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux certior, quam natura. Aliud est enim poëtarum more verba fundere; aliud ea, quae dicas, ratione et arte distinguere.

V. 11. Similia dici possunt de explicatione naturae, qua hi utuntur, et vestri: neque vero ob duas modo causas, quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus; sed etiam modestiam[7] quandam cognitio rerum caelestium affert iis[8], qui videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo: et magnitudinem animi, deorum opera et facta cernentibus: iustitiam etiam, quum cognitum habeas, quod sit summi rectoris ac[9] domini numen, quod consilium, quae voluntas; cuius ad naturam apta ratio, vera illa et summa lex a philosophis dicitur. 12. Inest in eadem explicatione naturae insatiabilis quaedam e[10] cognoscendis rebus voluptas: in qua una, confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus[11] vivere. Ergo in hac ratione tota de maximis fere[12] rebus Stoici illos secuti sunt, ut et deos esse, et quattuor ex rebus omnia constare dicerent. Quum autem quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse, ex qua ratio et intelligentia oriretur, in quo etiam de animis, cuius generis essent, quaereretur: Zeno id dixit esse ignem: nonnulla deinde aliter; sed ea pauca: de maxima autem re, eodem modo, divina mente atque natura mundum universum atque eius maximas partes administrari: materiam vero rerum et copiam apud hos exi-

(1) e Cdd. Grut. D. G. 2. — *nec* (*neque* L.) *rationes* P. Cr. V. M. L. 1. (2) cum Cdd. Mars. Iu. Cr. G. — *atque ut eorum* P. V. M. 1. 2. — *atque ut ne eor.* L. Є. 1566. — *atque ut eor. a. ab a. ne sep.* L. in m. 1584. — *neque eorum* D. susp. (3) Sic Iu. Cr. V. M. L. 1. G. 2. — *instituta sunt*, *inventa sunt* Cdd. noti. P. D. (4) — Haec *quam vet.* D. 1. [ ] de L. susp. (5) cum Cdd. Gr. V. G. 2. — *efficit* P. M. L. D. 1. (6) — *quod si* Cd. Bas. Mox *dicendi cop.* suspecta Man. (7) — *sed quod et mod.* L. Є (8) — *his* cum Cdd. G. 2. (9) cum Cdd. V. G. 2. — *et* Ceteri. (10) = *ex* P. — om. *e* Spir. Erl. (11) — *possimus* P. (12) — om. *fere* L.

lem[1], apud illos uberrimam reperiemus. 13. Quam multa ab his conquisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus! quam multa de rebus iis[2], quae gignuntur e terra! quam multae quamque de rebus variis et causae, cur quidque[3] fiat, et demonstrationes, quemadmodum quaeque fiant[4]! qua ex omni copia plurima et certissima argumenta sumuntur ad cuiusque rei naturam explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intelligo, causa non videtur fuisse mutandi nominis. Non enim, si omnia non sequebatur, idcirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democritium[5] puto; pauca mutat, vel plura[6] sane. At quum e plurimis[7] eadem dicit, tum certe de maximis. Quod idem[8] quum vestri faciant, non satis[9] magnam tribuunt inventoribus gratiam.

VI. 14. Sed haec hactenus. Nunc videamus, quaeso, de summo bono, quod continet philosophiam, ecquid[10] tandem attulerit, quamobrem ab inventoribus, tamquam a parentibus, dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatum[11], finis hic bonorum[12] et quis[13] a Stoicis, et quemadmodum, diceretur: tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si potuerimus[14], quidnam a Zenone novi sit allatum. Quum enim superiores, e quibus planissime[15] Polemo, secundum naturam vivere, summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici[16] dicunt: unum eiusmodi[17], vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent[18]: (hunc ipsum Zenonis aiunt finem esse, declarantem illud, quod a te dictum est, convenienter naturae vivere:) 15. alterum significari[19] idem, ut si diceretur[20], officia omnia media, aut pleraque servantem vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum, (quod κατόρθωμα dicebas,) contingit[21] sapienti soli: hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti; quod cadere in nonnullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus[22], aut[23] maximis rebus iis, quae secundum naturam sunt[24], fruentem, vivere; hoc non est positum in nostra actione. Completur enim et ex eo genere vitae, quod virtute finitur[25],

---

(1) Sic M. (sed *eos*) L. Seqq. — *et apud eos copiam exilem* Cdd. pleriq. P. Cr. V. (— *materiae vero rerum copiam apud hos ex.* G. mira susp.) (2) — *his* P. — del. *iis* G. E. (3) — *quidquid* Spir. Erl. (4) — *quidquid fiat* Spir. Erl. (5) Sic V. (Nissen volebat = *Democriteum.*) — *Democritum* Ceteri; ut sexcenties *Epicurus* Cdd. habent v. c. in Pisoniana, pro *Epicureus.* Mire autem dixisset *Epicurum Democritum puto;* in quo minus offenderem, si esset saltem *eundem cum Democrito*, vel *alterum Democritum*, etsi ne haec quidem satis convenirent. (6) — *plurima* O2x. L. (— *pauca mutat; mutet vel plura s.* G. susp. prob. Sch.) (7) ∾ *de plurimis* L. D. 2. (Nunquam L. *plura* et *plurima* transposuit. Errat G.) (8) cum Cdd. aliq. 1. G. 2. ∾ *item* Cdd. aliq P. Cr. V. M. L. D. (errat G.) (9) — *nae satis* Gronovii susp. (10) Sic M. L. Seqq. ∾ *quid* Cdd. P. Iu. Cr. V. (11) cum Cdd. D. 2, — *explicatus* Ceteri, etiam 1. (12) Additur vulgo *qui continet philosophiam*, Ern. 1. [ ]. Del. G. 2. (13) — *qui* P. M. L. (non V.) (14) — *poterimus* O2x. Ern. 1. (15) — *plenissime* Cdd. aliq. P. (16) = *sign. St. tria* P. M. L. (non V.) (17) — *huiusmodi* Ern. susp. (18) — *eveniant* Ern. susp. (19) e Cdd. G. 2. — *significare* Ceteri. (20) cum Cdd. L. Seqq. — *ut dic.* Ceteri. (— *dicatur* Ern. susp.) (21) Sic P. Cr. (errat G.) V. M. L. D. G. 2. — *rectum est - - contingitque* e Pal. pr. Grut. 1. (22) — *aut omn.* Gud. sec. (23) — om. *aut* Spir. Erl. (24) e Cdd. G. ∾ *sint* Ceteri, (25) cum Cdd. aliq. P. Iu. 1, Lall. G. 2. — *fruitur* non recepit D., ut ait G., sed habent sic Cr. V. M. L. Grut. D.

et ex iis[1] rebus, quae secundum naturam sunt, neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum, quod tertia[2] significatione intelligitur, eaque vita, quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit: isque finis bonorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele constitutus est. Itaque ab his[3] constitutio illa prima naturae[4], a qua tu quoque ordiebare, his prope verbis exponitur.

VII. 16. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in genere conservetur suo. Ad hanc rem, aiunt, artes quoque requisitas[5], quae naturam adiuvarent: in quibus ea numeretur in primis, quae est vivendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit, quod desit, acquirat; iidemque diviserunt naturam hominis in animum et corpus. Quumque eorum unumquodque[6] per se expetendum esse dixissent, virtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant: quum[7] animum quadam infinita laude[8] anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. 17. Sed quum sapientiam totius hominis custodem et procuratricem esse vellent, quae esset naturae comes et adiutrix: hoc sapientiae munus esse dicebant, ut eum tueretur, qui constaret ex animo et corpore; in utroque iuvaret eum atque[9] contineret. Atque ita re primo simpliciter collocata[10], reliqua subtilius persequentes, corporis bona facilem quandam rationem habere censebant. De animi bonis accuratius exquirebant: in primisque reperiebant, inesse in his[11] iustitiae semina: primique ex omnibus philosophis a[12] natura tributum esse docuerunt, ut ii, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur, et id, quod temporum ordine antiquius est, ut coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse dicerent: qua ex stirpe orirentur amicitiae cognationum. Atque ab his initiis profecti, omnium virtutum et originem, et progressionem persecuti sunt. Ex quo magnitudo quoque animi exsistebat, qua facile posset repugnari obsistique fortunae, quod maximae res essent in potestate sapientis. Varietates autem iniuriasque fortunae facile veterum philosophorum praeceptis instituta vita superabat. 18. Principiis autem a natura datis, amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occultiorum[13], quod erat insitus menti cognitionis amor, ex quo etiam rationis explicandae[14] disserendique cupiditas consequebatur: quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps, appetensque coniunctionem hominum ac societatem[15], animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret, aut diceret, ut[16] ne quid ab eo fieret, nisi honeste et[17]

(1) — *his* V. (2) e Cdd. Grut. Seqq. — *certa* Edd. ante Grut. (3) ∾ *ab iis* V. (4) cum Cdd. paucis Mars. L. D. G. 2. — *natura* Ceteri, etiam 1. (5) cum Cdd. (etiam Mo.) L. Seqq. — *exquisitas* P. V. M. (6) — *utrumque* Cdd. aliq. (Mo.) Man. in Ed. poster. L. D. (7) ∾ *et quum* I. ∾ *quum autem* de D. susp. Sch. 2. (8) = *inf. quadam l.* Cdd. aliq. Cr. (9) = *ac* e Cdd. D. (10) — *collecta* O2x. (11) cum Cdd. V. G. 2. = *in his inesse* M. I. D. 1. — *in his esse* P. (12) — om. *a* Cdd. multi V. D. (non Cr. Errat G.) Mox: — *ut hi* V. (13) ∾ *occultarum* Cdd. aliq. (etiam Mo.) lu. Cr. (14) Sic Cdd. aliq. (= *explicandae rationis* Mo) L. D. 1. G. 2. — *rationis explicandi* (id est: ∾ *rationes explicandi*) Edd. ante L. item Grut. (15) Sic Cdd. multi. P. Cr. D. 1. G. 2. — *coniunctionum* - - *societatum* V. M. L. Grut. (16) e Cdd. D. G. 2. — om. *ut* Ceteri, etiam 1. (17) ∾ *ac* Spir. Erl.

decore; his initiis, ut ante dixi, tamquam seminibus, a natura datis, temperantia, modestia, iustitia, et omnis honestas perfecte absoluta est.

VIII. 19. Habes, inquam, Cato, formam illorum omnium[1], de quibus loquor, philosophorum. Qua exposita, scire cupio, quae causa sit, cur Zeno ab hac antiqua institutione[2] desciverit: quidnam horum ab eo non sit probatum. Quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint[3]? an quod omne animal ipsum sibi[4] commendatum, ut se et[5] salvum in suo genere, incolumeque vellet? an, quum omnium artium finis is esset, quid[6] natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae? an, quod quum[7] animo constaremus et corpore, et haec ipsa, et eorum virtutes per se esse sumendas? an vero displicuit ea, quae tributa est animi virtutibus[8] tanta praestantia? an, quae de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quaeque ab eisdem de temperantia, de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici, haec omnia dicta esse praeclare, neque eam causam[9] Zenoni desciscendi fuisse. 20. Alia quaedam dicent, credo: magna antiquorum esse peccata, quae ille veri investigandi cupidus, nullo modo ferre potuerit. Quid enim perversius, quid intolerabilius, quid stultius, quam bonam valetudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum, ponere in bonis potius, quam dicere[10], nihil omnino inter eas res, hisque[11] contrarias, interesse? ea enim omnia, quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona: itemque illa, quae in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda; sumenda[12] potius, quam expetenda; †eademque omni vita[13], quae in una virtute consisteret, illam vitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam: quumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quaedam deesse sapientibus, tum, quum sint[14] beatissimi: itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates[15] repellant[16].

IX. 21. O magnam vim ingenii causamque iustam, cur nova exsisteret disciplina! Perge porro. Sequentur enim, quae tu scientissime complexus es, omnem insipientiam, iniustitiam[17], alia vitia, similia esse, omniaque peccata esse paria; eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plene consecuti essent, summe esse

---

(1) e Cd. Vindob. G. 2. — *illorum eorum* Cdd. aliq. P. Iu. ∞ *eorum* Cr. V. M. L. D. 1. (2) ∞ *constitutione* Gud. sec. (3) cum Cdd. L. 1. G. 2. — *dixerit* P. Cr. V. M. D. (4) — *sibi esse* L. (5) ∞ del. *et* censebat L. (6) — *quem* Cd. Mo. ∞ *id esset, quod* Bremii susp. (7) ∞ om. *quod* V., ut volebat Ern. — *quum* suspectum Hottingero. (8) — *virtutis* Cr. V. (9) Sic Cdd. aliq. (etiam Mo.) P. D. G. — *neque enim eam causam* Iu. Cr. M. L. — *neque causam* Ern. 1. 2. errore typogr. (10) Sic iam P. tum M. Seqq. — *dicerent* V. — *eiicere* Cr. (11) Sic Cdd. P. V. G. 2. — *iisque* M. L. D. 1. (12) cum Spir. Erl. (Br. susp.) G. — *et sum.* Ceteri, etiam 2. (— *at sum.* Moseri susp.) (13) cum Cdd. aliq. P. Cr. V. G. 2. — *eademque de o. v.* Ceteri. Nostra in lect. paene necessario cum G. E. 2. inserendum *et* ante v. *illam vitam*. Sed corrupta haec existimo cum D. ingeniose suspicante *expetenda ea: denique o. v.;* nisi quod praestat distinguere: *expetenda: ea denique omni v.* (14) cum Cdd. Cr. V. 1. G. 2. ∞ *sunt* P. M. L. D. (15) — *debilitatem* L. (16) — *depellant* Cdd. aliq. — *pellant* Cd. Bas. (17) cum Cdd. V. D. G. 3. — *et ini.* P. M. L. 1.

miseros, neque inter eorum vitam et improbissimorum quidquam omnino interesse: ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, quam quivis improbissimus, nec beatius vixerit. Haec videlicet est correctio philosophiae veteris et emendatio. Quae omnino aditum habere nullum potest in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem vitae graviter et sapienter agendae profiteretur, nomina rerum commutantem [1], quumque idem sentiret[2], quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia [3] nomina imponentem: verba modo mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? 22. Patronusne causae in epilogo pro reo dicens negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? haec reiicienda esse, non fugienda? nec misericordem iudicem esse oportere? in concione autem si loqueretur, si Hannibal ad portas venisset, murumque iaculo traiecisset, negaret esse in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? an senatus [4], quum triumphum Africano decerneret, QVOD EIVS VIRTVTE [5], aut FELICITATE, posset dicere, si neque virtus in ullo [6], nisi in sapiente [7], nec felicitas vere [8] dici potest? Quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libello [9], suo? praesertim quum, quod illi suis verbis [10] significent, in eo nihil novetur [11]; [de ipsis rebus nihil mutetur [12]] eaedem res maneant alio modo [13]. 23. Quid enim interest, divitias, opes, valetudinem, bona dicas, anne [14] praeposita, quum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus his tribuat, quam tu, qui eadem illa praeposita nominas? Itaque homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius, quum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam [15] posuit, non esse malum dolorem: sed quid esset et quale, quantumque in eo inesset alieni, deinde quae ratio esset perferendi: cuius quidem, quoniam Stoicus fuit, sententiâ condemnata mihi videtur esse immanitas [16] ista verborum.

X. 24. Sed, ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te [17] dicta sunt, pressius agamus, eaque, quae modo dixisti, cum his [18] conferamus, quae tuis antepono. Quae sunt igitur communia vobis cum antiquis, his sic utamur, quasi concessis: quae in controversiam veniunt,

---

(1) Suspecta haec non sine probabilitatis specie iam Manutio, D. Ern. 1. G. [ ]. del. Sch. 2. Sed ἐπέχω. Nam *nomina rerum commutare* est *vera rerum vocabula* (Sallust. *Catil.* C. 52.) recepta a consuetudine pervertere. Saltem aequo iure in susp. adducas v. *verba modo mutantem.* (2) — *quumque ratione s.* Gud. sec., unde G. susp.: — *quumque re s.* (3) — *iis alia* L. Є. (4) — *in senatu* om. *an* L. Є. (5) e Cdd. Grut. Seqq. — *quid de eius v.* Priores. v. Add. (6) Sic iam P., tum M. L. 1. G. 2. — *nullo* Cdd. Єr. V. D. (7) cum Cdd. V. G. = *nisi in sap.* Ceteri. (8) — om. *vere* Mars. — *neque f. esse vere d.* L. (9) ∾ *in libellis* Cd. Mo. Bene. Imperiti enim librarii num. plur. accommodasse videntur pronomini *suo.* (10) e Cdd. G. 2. = *verbis suis* Ceteri. (11) Sic P. Faber et L. Seqq. — *movetur* Cdd. P. V. — *moveatur* Iu. Cr. M. (12) Haec om. Gud. sec. G. [ ]. Ern. 1. 2. [ ] tantummodo v.: *nihil mutetur.* (13) ∾ *alio nomine* Sch. susp. Fortasse: ∾ *alio modo nomine.* (14) — *an* Ern. susp. (15) cum Cdd. 1. G. 2: — *nunquam* Edd. ante Ern. (16) ∾ *inanitas* Cd Urs. Spir. Erl. (17) Sic Iu. Cr. V. M. L. D. 1. Sensus est: „sed ut post haec magis popularia proprius accedam ad caput disputationis tuae, pressius agamus." Sine causa Spir. et Erl., prorsus ut ipse G., oppositionem requirentes inter *modo* et *antea*, pro *a te*, *antea* scripserunt; receperunt G. 2. (— *ad ea* pro *a te* Gud. uterq. P.) (18) ∾ *iis* M. L. D. 1.

de iis[1], si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius, et, ut ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt: ego autem a te[2] elegantiora desidero. A mene[3] tu? inquam: sed tamen enitar, et[4], si minus mihi multa[5] occurrent, non fugiam ista popularia. 25. Sed positum sit primum[6], nosmet ipsos commendatos esse nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit: sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut, nos, quales oportet esse[7], servemus. Sumus igitur homines: ex animo constamus et corpore; quae sunt cuiusdam modi[8]; nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere, constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi. Quem, si prima vera sunt[9], ita constitui necesse est, earum rerum, quae sint[10] secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci. 26. Hunc igitur finem illi tenuerunt; quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere. Hoc his bonorum videtur[11] extremum.

XI. Age nunc isti doceant, vel tu potius, (quis enim ista melius?) quonam modo ab eisdem[12] principiis profecti, efficiatis, ut honeste vivere, (id est enim vel e virtute[13], vel naturae congruenter vivere) summum bonum sit, et quonam[14] modo, aut quo loco corpus subito deserueritis, omniaque ea, quae, secundum naturam quum sint[15], absint a nostra potestate: ipsum denique officium. Quaero igitur, quo modo hae tantae commendationes a natura profectae, subito a sapientia relictae sint[16]. 27. Quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis: is autem esset nihil, nisi animus: (liceat[17] enim fingere aliquid eiusmodi, quo verum facilius reperiamus:) tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valetudinem, vacuitatem doloris: appeteret etiam conservationem sui, earumque[18] rerum custodiam: finemque sibi constitueret, secundum naturam vivere: quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sint[19], vel omnia, vel plurima et maxima. 28. Cuiuscunque enim modi animal constitueris, necesse est, etiam si id sine corpore sit, ut fingimus, tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae sunt[20] in corpore: ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem[21] animo, nonnullas valere utraque re: deinde disputat, quod cuiusque generis animantis[22] statui deceat[23] extremum. Quum autem hominem in eo[24] genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam, summum bonum

(1) — *his* P. V. (2) — om. *a te* Cdd. aliq. (3) — *a me* V. (4) — *ut* Matthiae et Sch. susp. (5) — *culta* D. susp. — *nimis mihi involuta* G. mira susp. (6) e Cd. G. 2. — *primum pos. sit* Ceteri. (7) = *esse op.* V. (8) — *quae sint cuiusdam modi necesse est* L. E. (9) cum Cdd. (prob. G.) Sch. 2. — *sint* Ceteri. (10) cum Cdd. D. 1. — *sunt* Ceteri. (11) Sic M. Seqq. — *videatur* Cdd. (etiam Mo.) P. Cr. V. ∞ *indicatur* G. susp. (— *ius* pro *his* P. Cr. V.) (12) cum Cdd. V. G. 2. = *iisdem* Ceteri. (13) e Cdd. G. (*vel virtute*, Sch. 2. err. typogr.) — *ex v.* Ceteri. (14) — *ecquonam* Cd. Mo. (15) cum Cdd. G. 2. = *quae quum s. n. s.* Ceteri. (16) — *sunt* V. (17) cum Cdd. P. Cr. V. D. 1. G. 2. — *licet* M. L. Grut. (18) — *suarumque* Man. susp. (19) ∞ *sunt* V. M. L. (20) e Cdd. G. 2. — *sint* Ceteri. (21) ∞ om. *autem* L. (22) ∞ *animanti* Ern. susp. (23) — *debeat* Eliens. V. D. (24) = *eo in* L.

id constituit, non ut excellere animo[1], sed ut nihil esse, praeter animum, videretur.

XII. Uno autem[2] modo in virtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente constaret: id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam, ut valetudo est. 29. Sed id ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi. Sin dicit quaedam obscurari[3], nec apparere, quia valde parva sint, nos quoque concedimus. Quod dicit Epicurus[4] de voluptate, quae minimae sint voluptates[5], eas obscurari saepe et obrui. Sed non sunt in eo genere tantae commoditates corporis, tamque productae temporibus tamque multae. Itaque, in quibus propter earum exiguitatem obscuratio consequitur[6], saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa, necne sint: ut in sole[7], quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium adiicere[8] Croesi pecuniae. 30. Quibus autem in rebus tanta obscuratio[9] non sit, fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda[10] menstrua addatur; quia momentum aliquod habeat ad iucundum accessio[11], bonum sit: sin autem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur[12]. Bona autem corporis huic sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur[13], ut mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, quum ita dicant, si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui[14] haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore. 31. Hoc simile tandem est non risu potius, quam oratione eiiciendum[15]? Ampulla enim sit, necne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? At vero gravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam: nec, si ille sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac[16] si ampullam perdidisset: sed, ut magnum et difficile certamen iniens, quum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae: quarum praesidio iniret illud difficile[17], ut dixi, magnumque proelium. Deinde non quaeremus[18], quid obscuretur, aut intereat, quia sit admodum parvum: sed quid tale sit, ut expleat summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria: sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est eius vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur: pars est tamen divitiarum[19]. Quare obscurentur etiam haec, quae secun-

---

(1) cum Cdd. L. D. Seqq. — om. *ut* Edd. ante L. (— *non ut excelleret animus* Cd. Mo.) Mox *ut* e Cdd. G. = *uti* Ceteri. (2) — *tamen* Cdd. aliq. (3) = *obsc. quaedam* V. (4) — *Epic. etiam* Gud. sec. Cr. = *item Epic.* G. susp. (5) — *utilitates* D. susp. (6) — *sequitur* P. Cr. (7) — *in solem* Cd. Mo. — *ad solem* L. (8) Sic Cdd. multi. (etiam Mo.) V. D. G. 2. — *addere* P. M. L. 1. (9) e Cdd. G. 2. = *obsc. tanta* Ceteri. (10) ∞ *iucunda vita* L. (11) cum Cdd. L. in curis poster. (— *ad vitam iucundam haec accessio* L. 1566.) — *ad iucunda accessio* Iu. — *ad iucundum* (Mo. sive:) *iucundam accessionem* Priores, nisi quod corruptius etiam V.: — *momentum aliquam habeat ad iucundum accessionem.* (12) ∞ *tollatur* L. (13) — *laboretur* L. (14) cum Cdd. Mars. D. 2. — *quo* Ceteri, ortum ex *quoi.* (15) — *reiic.* Quidam apud L. (16) ∞ *et* Cdd. multi. V. D. G. (17) = *diff. illud* Spir. Erl. (18) — *quaerimus* M. L. (19) — *div. illarum* G. susp.

de iis[1], si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius, et, ut ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt: ego autem a te[2] elegantiora desidero. A mene[3] tu? inquam: sed tamen enitar, et[4], si minus mihi multa[5] occurrent, non fugiam ista popularia. 25. Sed positum sit primum[6], nosmet ipsos commendatos esse nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit: sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut, nos, quales oportet esse[7], servemus. Sumus igitur homines: ex animo constamus et corpore; quae sunt cuiusdam modi[8]; nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere, constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi. Quem, si prima vera sunt[9], ita constitui necesse est, earum rerum, quae sint[10] secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci. 26. Hunc igitur finem illi tenuerunt; quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere. Hoc his bonorum videtur[11] extremum.

XI. Age nunc isti doceant, vel tu potius, (quis enim ista melius?) quonam modo ab eisdem[12] principiis profecti, efficiatis, ut honeste vivere, (id est enim vel e virtute[13], vel naturae congruenter vivere) summum bonum sit, et quonam[14] modo, aut quo loco corpus subito deserueritis, omniaque ea, quae, secundum naturam quum sint[15], absint a nostra potestate: ipsum denique officium. Quaero igitur, quo modo hae tantae commendationes a natura profectae, subito a sapientia relictae sint[16]. 27. Quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis: is autem esset nihil, nisi animus: (liceat[17] enim fingere aliquid eiusmodi, quo verum facilius reperiamus :) tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valetudinem, vacuitatem doloris: appeteret etiam conservationem sui, earumque[18] rerum custodiam: finemque sibi constitueret, secundum naturam vivere: quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sint[19], vel omnia, vel plurima et maxima. 28. Cuiuscunque enim modi animal constitueris, necesse est, etiam si id sine corpore sit, ut fingimus, tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae sunt[20] in corpore: ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem[21] animo, nonnullas valere utraque re: deinde disputat, quod cuiusque generis animantis[22] statui deceat[23] extremum. Quum autem hominem in eo[24] genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam, summum bonum

(1) — *his* P. V. (2) — om. *a te* Cdd. aliq. (3) — *a me* V. (4) — *ut* Matthiae et Sch. susp. (5) — *culta* D. susp. — *nimis mihi involuta* G. mira susp. (6) e Cdd. G. 2. — *primum pos. sit* Ceteri. (7) = *esse op.* V. (8) — *quae sint cuiusdam modi necesse est* L. E. (9) cum Cdd. (prob. G.) Sch. 2. — *sint* Ceteri. (10) cum Cdd. D. 1. — *sunt* Ceteri. (11) Sic M. Seqq. — *videatur* Cdd. (etiam Mo.) P. Cr. V. ∾ *indicatur* G. susp. (— *ius* pro *his* P. Cr. V.) (12) cum Cdd. V. G. 2. = *iisdem* Ceteri. (13) e Cdd. G. (*vel virtute*, Sch. 2. err. typogr.) — *ex v.* Ceteri. (14) — *ecquonam* Cd. Mo. (15) cum Cdd. G. 2. = *quae quum s. n. s.* Ceteri. (16) — *sunt* V. (17) cum Cdd. P. Cr. V. D. 1. G. 2. — *licet* M. L. Grut. (18) — *suarumque* Man. susp. (19) ∾ *sunt* V. M. L. (20) e Cdd. G. 2. — *sint* Ceteri. (21) ∾ om. *autem* L. (22) ∾ *animanti* Ern. susp. (23) — *debeat* Eliens. V. D. (24) = *eo in* L.

id constituit, non ut excellere animo[1], sed ut nihil esse, praeter animum, videretur.

XII. Uno autem[2] modo in virtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente constaret: id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam, ut valetudo est. 29. Sed id ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi. Sin dicit quaedam obscurari[3], nec apparere, quia valde parva sint, nos quoque concedimus. Quod dicit Epicurus[4] de voluptate, quae minimae sint voluptates[5], eas obscurari saepe et obrui. Sed non sunt in eo genere tantae commoditates corporis, tamque productae temporibus tamque multae. Itaque, in quibus propter earum exiguitatem obscuratio consequitur[6], saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa, necne sint: ut in sole[7], quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium adiicere[8] Croesi pecuniae. 30. Quibus autem in rebus tanta obscuratio[9] non sit, fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda[10] menstrua addatur; quia momentum aliquod habeat ad iucundum accessio[11], bonum sit: sin autem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur[12]. Bona autem corporis huic sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur[13], ut mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, quum ita dicant, si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui[14] haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore. 31. Hoc simile tandem est non risu potius, quam oratione eiiciendum[15]? Ampulla enim sit, necne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? At vero gravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam: nec, si ille sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac[16] si ampullam perdidisset: sed, ut magnum et difficile certamen iniens, quum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae: quarum praesidio iniret illud difficile[17], ut dixi, magnumque proelium. Deinde non quaeremus[18], quid obscuretur, aut intereat, quia sit admodum parvum: sed quid tale sit, ut expleat summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria: sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est eius vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur: pars est tamen divitiarum[19]. Quare obscurentur etiam haec, quae secun-

(1) cum Cdd. L. D. Seqq. — om. *ut* Edd. ante L. (— *non ut excelleret animus* Cd. Mo.) Mox *ut* e Cdd. G. = *uti* Ceteri. (2) — *tamen* Cdd. aliq. (3) = *obsc. quaedam* V. (4) — *Epic. etiam* Gud. sec. Cr. = *item Epic.* G. susp. (5) — *utilitates* D. susp. (6) — *sequitur* P. Cr. (7) — *in solem* Cd. Mo. — *ad solem* L. (8) Sic Cdd. multi. (etiam Mo.) V. D. G. 2. — *addere* P. M. L. 1. (9) e Cdd. G. 2. = *obsc. tanta* Ceteri. (10) ∾ *iucunda vita* L. (11) cum Cdd. L. in curis poster. (— *ad vitam iucundam haec accessio* L. 1566.) — *ad iucunda accessio* Iu. — *ad iucundum* (Mo. sive:) *iucundam accessionem* Priores, nisi quod corruptius etiam V.: — *momentum aliquam habeat ad iucundum accessionem.* (12) ∾ *tollatur* L. (13) — *laboretur* L. (14) cum Cdd. Mars. D. 2. — *quo* Ceteri, ortum ex *quoi.* (15) — *reiic.* Quidam apud L. (16) ∾ *et* Cdd. multi. V. D. G. (17) = *diff. illud* Spir. Erl. (18) — *quaerimus* M. L. (19) — *div. illarum* G. susp.

dum naturam esse dicimus, in vita beata: sint modo partes vitae beatae[1].

XIII. 32. Atqui, si, ut convenire debet inter nos, est quaedam appetitio naturalis ea, quae secundum naturam sunt, appetens[2]: eorum omnium est aliqua summa facienda. Quo constituto, tum licebit otiose ista quaerere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque sit ad beate vivendum, de istis ipsis obscurationibus, quae propter exiguitatem vix, aut ne vix quidem appareant. Quid? de quo nulla[3] dissensio est? Nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturalium[4] simile esset id, ad quod omnia referuntur: quod est ultimum rerum appetendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sunt[5], aut motum, aut statum? Quae autem natura suae[6] primae institutionis oblita est? Nulla[7] profecto, quin suam vim retineat a primo ad extremum. 33. Quomodo[8] igitur evenit, ut hominis natura sola esset, quae hominem relinqueret, quae oblivisceretur corporis, quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? Quomodo autem, quod ipsi etiam fatentur, constatque inter omnes, conservabitur, ut simile sit omnium naturale[9] illud ultimum, de quo quaeritur? Tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret. † Tale enim visum esset ultimum Stoicorum[10]. 34. Quid dubitas igitur mutare principia naturae? quid enim dicis[11], omne animal, simul atque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum; esseque in se conservando occupatum? quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, et in eius unius occupatum esse custodia reliquasque naturas nihil aliud agere, nisi ut id conservent[12], quod in quaque optimum sit? quo modo autem optimum, si bonum praeterea nullum est? sin[13] autem reliqua appetenda sunt, cur, quod est ultimum rerum appetendarum[14], id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarum et maximarum appetitione concluditur? ut Phidias potest a primo[15] instituere signum idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere et absolvere. Huic sapientia similis[16]: non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hanc ergo intuens[17], debet institutum illud quasi signum absolvere. 35. Qualem[18] igitur natura hominem inchoavit?

---

(1) cum Cdd. P. V. G. 2. = *beatae vitae* M. L. D. 1. (2) — *appetentes* P. ∞ *appetentis* L. prob. Lall. (3) cum Cdd. P. (Man. in curis poster.) L. Seqq. — *multa* Cdd. aliq. Cr. V. (4) Sic Mars. Ven. 1494. Cr. G. 2. — *naturarum* P. V. M. L. D. 1. (5) e Cdd. G. 2. — *sint* Ceteri. (6) — *sua* Ern. 1. err. typogr. (non D., ut ait G.) (7) ∞ *Nulla est pr.* Sch. 2. de priore G. susp. — *oblita? Est nulla pr.* Altera G. susp. in Add. (8) — *quo* Cdd. aliq. P. V. Grut. (9) — *naturarum* e Cd. Sigonii Man. in curis poster. L. D. Fortasse *naturalium*, ut supra. (10) Locus corruptus. — *esse* Bremii susp. — del. *visum* Sch. susp. (F. *Tale autem vix esset ult. St.* — *enim* et *autem* saepe confunduntur.) (11) — om. *dicis* Cdd. aliq. (12) — *conservetur* Cdd. aliq. (13) e Cdd. G. 2. — *si* Ceteri. (14) — *appetendum* Cdd. aliq. non improb. G. (15) cum Cdd. V. D. 1. G. 2. — *a principio* Cdd. aliq. P. M. L. (16) cum Bas. G. 2. ∞ *huic est s. s.* Ceterae Edd. ∞ *huic s. est sap.* Spir. Erl. (17) cum Cdd. aliq. Cr. D. G. 2. = *hanc igitur int.* Ven. 1494. M. L. — *hanc intuens* P. Iu. V. (errat G.) Grut. 1. (18) — *Quare* Spir. Erl.

et quod[1] est munus, quod[2] opus sapientiae? quid[3] est, quod ab ea absolvi[4] et perfici debeat? Si nihil in eo, quod perficiendum est[5], praeter motum ingenii quendam, id est, rationem: necesse est, huic ultimum esse, ex virtute vitam fingere[6]. Rationis enim perfectio, est virtus. Si[7] nihil, nisi corpus: summa erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulchritudo, cetera[8]. Nunc de hominis summo bono quaeritur.

XIV. 36. Quid ergo dubitamus in tota eius natura quaerere, quid sit effectum? quum enim constet inter omnes, omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum: alii — ne me existimes contra Stoicos solum dicere, — eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de animali aliquo[9] loquantur; alii contra, quasi corpus nullum sit[10] hominis, ita praeter animum nihil curant: quum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit, (neque enim id possum intelligere,) sed in quodam genere corporis: ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem utrique idem faciunt, ut si laevam partem negligerent, dexteram tuerentur: aut ipsius animi, ut fecit Herillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia[11]. At vero illa perfecta atque plena eorum, qui quum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. 37. Vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet, et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus: aciem animorum nostrorum virtutis splendore praestringitis[12]. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus; quibus tamen et dolore vacare opus est, et valere: sic igitur in homine perfectio ista, in eo potissimum, quod est optimum, id est, in virtute, laudatur[13]. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae[14], quaeque progressio. Non enim[15], quod facit in frugibus, ut, quum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, quum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, ne[16] deserat. 38. Itaque sensibus rationem adiunxit; et, ratione effecta, sensus non relinquit[17].

---

(1) ∾ *ecquod* M. L. (2) — *ecquod* L. non M. (3) — *ecquid* L. (4) — *et abs.* V. (5) cum Cdd. optt. Cr. V. G. 2. — *si nihil in eo quidem p.* P. M. L. ∾ *si nihil in eo p.* cum C2d. D. 1. (6) cum Cdd. V. M. L. Seqq. — *ex v. vitam agere* P. Cr. — *e virtute agere* Cd. Mo. (7) ∾ *sin* D. susp. (8) cum Cdd. G. — *et cetera* Ceteri. (9) Corrupta haec videntur. Sic V. M. L. D. 1. ∾ *inanimali* Cdd. aliq. P. Iu. Cr. (— *nominali quo* Cd. Bas. — *de non animali aliquo* G. 2. Є. nimis incerta. Talia enim apud vett. scriptores vix reperiuntur extra casum primum et quartum. ∾ *de inanimato aliquo* vocab. vere Tulliano suspicor ego. (10) e Cdd. G. = *nullum sit corpus* P. Cr. V. = *nullum corpus sit* M. L. D. 1. 2. (11) ∾ *sententia est* L. Recte. Erat *sententia'st;* absorptum *est* a seq. *at.* (12) — *perstringitis* L., ut solebat. (13) — *locatur* D. susp. prob. Ern. (14) e Cdd. (etiam Mo.) Grut. Seqq. — *quid intersit naturae* Priores. (15) e Cdd. D. Seqq. — *non enim hoc* Priores, etiam V. L. (16) — *non* P. Cr. L. (non V. M.) (17) Sic P. Iu. G. 2. — *adiunxit - - reliquit* V. M. L. D. — *adiungit - - relinquit* Ern. Є. 1. Seqq. sic interpolavit L.; — *reliquit. Quod sic intelligamus, ut si c. - - habeat: licet enim.*

Ut si cultura vitium, cuius hoc munus est, ut efficiat, ut vitis cum partibus suis omnibus[1] quam optime se habeat: — sed sic intelligamus: (licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa:) si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera, credo, velit quae ad colendam vitem attinebunt, sicut antea: se autem omnibus vitis partibus praeferat, statuatque nihil esse melius in vite, quam se: similiter sensus, quum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam tuetur se: quum autem assumpta ratio est, tanto in dominatu[2] locatur, ut omnia illa prima naturae huius tutelae subiiciantur. 39. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus praeposita vitam omnem debet gubernare: ut mirari satis eorum[3] inconstantiam non possimus. Naturalem enim appetitionem, quam vocant ὁρμήν, itemque officium, ipsam etiam virtutem[4] volunt esse earum rerum, quae secundum naturam sunt. Quum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia, et duo nobis opera pro uno relinquunt: ut alia sumamus, alia appetamus, potius, quam uno fine utrumque[5] concludant.

XV. 40. At enim naturâ dicitis[6] virtutem non posse constitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Quod totum contra est. Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leget, quaeque reiiciet, unam referantur ad summam. Nam si omnino ea negligemus[7], in Aristonea vitia et peccata incidemus, obliviscemurque, quae virtuti ipsi principia dederimus. Sin ea non negligemus[8], neque tamen ad finem summi boni referemus[9], non multum ab Herilli levitate aberrabimus. Duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo seiuncta ultima bonorum: quae, ut essent vera, coniungi debuerunt. Nunc ista[10] separantur, ut disiuncta sint: quo nihil potest esse perversius. 41. Itaque contra est, ac dicitis; nam constitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quae sint[11] prima naturae, ut ad summam pertinentia, tenebit. Quaesita enim virtus est, non quae relinqueret naturam, sed quae tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quandam tuetur, reliquam deserit. Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, haec diceret: primos suos quasi coeptus[12] appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid[13] maxime natura vellet. Explanetur igitur. Quid ergo[14] aliud intelligetur, nisi ut ne quae[15] pars

---

(1) = *cum omn. part. suis* Spir. Erl. Cr. (2) — *tanto ea*, vel *ea in d. l.* Moseri susp. (3) ∾ *Stoicorum* G. E. (4) cum Erl. Spir. Monac. G. 2. Turbant alii Cdd. — *virtutem tuentem esse volunt* e geminat. perversa Edd. ante G. (5) e Cdd. (etiam Mo.) (Man. Ed. post. ?) D. Seqq. — *omnia* Ceteri. (— *concluderent* Cd. Mo.) (6) Sic Cdd. aliq. Mars. Iu. Cr. L. G. 2. — *At enim iam dic.* Cd. Mo. Grut. D. 1. — *At enim veram dic.* Cdd. aliq. P. — *At enim, nam dic.* Cdd. aliq. V. Lall. — *At enim dic.* M. (7) Sic L. 1566. — *ea negligimus* Oliv. G. 2. — *nos negligimus* Ceteri. (8) Sic L. 1. Seqq. — *negligimus* vel *neglegimus* Ceteri. (9) — *referimus* M. Grut. (10) ∾ *ita* M L., ut volebat G. Vide tamen Beier *Offic.* T. 2. p. 39. (11) ∾ *sunt* M. L. Grut. (12) Sic Cdd. aliq. P. V. M. L. D. 1. ∾ *conceptus* Cdd. aliq. Mars. Iu. Cr. G. 2. Sed valde vereor, ne falsa sit correctio falsae scripturae *ceptus*. Et nimis ambiguum erat voc., longe alio sensu (*Empfängniss*) alias Tullio usurpatum. (13) — *quod* Grut. (14) ∾ *enim* P. Iu. Cr. — *igitur* Cd. Mo. (15) Sic G. = *ne qua* L. D. 1. 2. — *ut aeque* Cdd. aliq. P. Iu. Cr. V. M.

naturae negatur? in qua si nihil est praeter rationem, sit in una virtute finis bonorum. Sin est etiam corpus, ista explanatio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante explanationem[1] tenebamus, relinquamus! Ergo id est convenienter naturae vivere, a natura discedere! 42. Ut quidam[2] philosophi, quum a sensibus profecti, maiora quaedam ac[3] diviniora vidissent, sensus reliquerunt: sic isti, quum ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem adspexissent, omnia, propter quae[4] virtutem ipsam viderant, abiecerunt, obliti, naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permanaret[5] ad fines: neque intelligunt, se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere[6].

XVI. 43. Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt, honeste vivere. Sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui, virtute constituta, nihil omnino quod appetendum sit, relinquat[7]: deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus; introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid[8], quodcunque[9] in mentem incideret, et quodcunque tamquam occurreret. Is hoc melior, quam Pyrrho, quod vel aliquod genus appetendi dedit: deterior, quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum: quod autem principium officii quaerunt, melius, quam Pyrrho: quod ea non occurrentia fingunt[10], vincunt Aristonem: quod autem ea, quae et[11] ad naturam accommodata, et per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura, et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. Ille enim occurrentia nescio quae comminiscebatur: hi autem ponunt illa[12] quidem prima naturae, sed ea seiungunt a finibus et a summa bonorum: quae quum praeponunt[13], ut sit aliqua rerum selectio, naturam videntur sequi; quum autem negant, ea quidquam ad beatam vitam pertinere, rursus naturam relinquunt. 44. Atque adhuc ea[14] dixi, causa cur[15] Zenoni non fuisset, quamobrem a superiorum auctoritate discederet. Nunc reliqua videamus: nisi aut[16] ad haec, Cato, dicere aliquid[17] vis, aut nos iam longiores sumus. Neutrum vero, inquit ille. Nam et a te perfici istam disputationem volo, nec tua mihi oratio longa videri potest. Optime, inquam. Quid enim mihi potest esse optatius,

---

(1) cum Cdd. (etiam Mo.) D. Seqq. — *explicationem* Priores. (2) ∞ *ut igitur quidam* L. (3) — *et* V. (4) Sic, e Cdd. fortasse vel e sagacissima Ci iam P. Iu. Tum Cr. M. L. Sensus est: „omnia illa prima naturae, quae tamen ipsa fuerant in causa, ut sensim progrediendo ad virtutem ipsam videndam pervenirent." — *quae propter* e falsa transpos. Cdd. aliq. V. Grut. Id quod male correctum dedit: — *quae praeter* Cdd. aliq. (Ascens.) D. 1. G. 2. Sensu prorsus perverso. (5) — *permaneret* P. Cr. V. Correxit Manutius. (6) — *subruere* inutilis Ern. susp. (7) — *relinquit* inutilis Ern. susp. Cum talibus semper nobis conflictandum est. (8) — *aliquid* Ern. [ ]. sine ulla causa, sensu minime perspecto, qui est: „Aristo contendit, iis omnibus, quae in mentem incidant, et quae tamquam occurrant, commoveri sapientem, ut appetat aliquid. (9) e Cdd., ut voluerat Man., D. Seqq. — *quod cuique* P. Cr. V. M. L. Grut. Sed cfr. §. 47. (10) — *occurr. non fing.* cum Pearcio Lall. (11) e Cdd. G. — om. *et* Ceteri. (12) Sic Cdd. aliq. P., ut volebat D. — *illi* Ceteri. (13) — e Cdd. G. 2. — *proponunt* Ceteri. — *ponunt* D. susp. (14) — *ea* sine causa suspectum Ern. (15) cum Cdd. P. G. 2. — *cur causa* Ceteri. (16) — *tu* O2x. (17) = *aliquid dic.* V.

quam cum Catone omnium virtutum auctore de virtutibus disputare? 45. Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit[1], honestum quod sit, id esse solum bonum: honesteque vivere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute constituunt finem bonorum: quodque dicitis, informari[2] non posse virtutem, si quidpiam[3], nisi quod honestum sit, numeretur[4], idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. Mihi autem aequius videbatur, Zenonem cum Polemone disceptantem, a quo, quae essent principia naturae, acceperat, a communibus initiis progredientem, videre, ubi primum insisteret, et unde causa controversiae[5] nasceretur; non stantem cum iis[6], qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta, uti[7] iisdem argumentis, quibus illi uterentur, iisdemque sententiis.

XVII. 46. Minime vero illud probo, quod, quum docuistis, ut vobis videmini, solum bonum esse quod honestum sit, tum rursum[8] dicitis, initia proponi necesse esse apta et accommodata naturae, quorum ex selectione[9] virtus possit exsistere. Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id[10] ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam omnia, quae sumenda, quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Videsne, ut, quibus summa est in voluptate, perspicuum sit, quid iis[11] faciendum sit, aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid sequi, quid fugere debeant. Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defenditur. Apparet statim, quae sint officia, quae actiones. Vobis[12] autem, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperietis. 47. Hoc igitur * quaerentes[13] omnes, et ii[14], qui, quodcunque in mentem veniat, aut quodcunque occurrat, se sequi dicent, et[15] vos, ad[16] naturam revertimini[17]. Quibus natura iure responderit, non esse verum, aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae peti: esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum, et ultima bonorum continerentur: atque, ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas, praeter virtutes et vitia, inter quas quidquam omnino interesset: sic errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in virtute, [aut vitio[18]] propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum, esse diceret: et, quum ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet[19], ad appetitionem autem[20] rerum, esse in his momenta, diceret: quasi vero haec appetitio non ad summi boni adeptionem pertineret! 48. Quid autem minus consentaneum est, quam, quod

(1) = *ducit fam.* Spir. Sed Cic. semper sic collocat *fam. duc.* (2) — *conformari* Cd. Mo. (3) ∾ *quicquam* Cdd. aliq. P. Cr. (errat G.) V. M. L. D. (4) — *in bonis num.* L. (5) — *causae controversia* Spir. (6) — *his* P. V. (7) — *ut* P. Cr. V. Gıut. G. miro errore. (8) = *rursus* Cdd. aliq. Mars. (9) cum Cdd. Aldus nepos. D. Seqq. ∾ *electione* Priores. (10) ∾ *ut ad i.* Gud. sec (11) — *his* V. (12) — *vos* Ern. Є. (13) Sic G. 2. Є. e vestigiis Cdd. (— *quaeretes* Spir. — *quaeres* Alii.) — *quaeritis* Ceteri. (14) — *hi* Cdd. aliq. P. V. G. 2. (15) — *sed vos* Cdd. aliq. P. (16) — *vos, qui ad* L. Є. (17) — *revertemini* Gud. sec., ut volebat D. (18) Haec D. Ern. 1. G. [ ]. Del. Sch. 2. (19) — om. *ea* V. — *cetera haberent* Br. susp. (20) — om. *autem* L. — *tamen* Ern. susp.

aiunt, cognito summo bono, reverti se ad naturam, ut ab ea[1] petant agendi principium, id est, officii? Non enim actionis, aut officii ratio impellit ad ea, quae secundum naturam sunt, appetenda: sed ab his et appetitio, et actio commovetur.

XVIII. Nunc venio ad illa tua brevia, quae consectaria esse dicebas: et primum illud, quo nihil potest brevius[2]: Bonum omne, laudabile; laudabile autem omne, honestum: igitur omne bonum[3], honestum. O plumbeum pugionem! Quis enim tibi illud primum[4] concesserit? quo quidem concesso, nihil opus est secundo. Si enim omne bonum laudabile est, omne honestum[5] est. 49. Quis tibi ergo istud dabit, praeter Pyrrhonem, Aristonem, eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles[6], Xenocrates, tota illa familia non dabit; quippe qui valetudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia, bona esse dicant[7], laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant. Quid censes eos facturos[8], qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadium finem tueri volunt? 50. Iam aut Calliphon[9], aut Diodorus, quomodo[10] poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adiungant, quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, quum res sumpseris non concessas, ex illis efficere, quod velis. Iam[11] ille sorites, (quo nihil putatis esse vitiosius[12],) Quod bonum sit, id esse optabile: quod optabile, id esse[13] expetendum: quod expetendum, laudabile: deinde reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto. Eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consectarium[14], sed in primis hebes illorum, gloriatione[15] dignam esse beatam vitam, quod[16] non possit sine honestate contingere, ut iure quisquam glorietur. 51. Dabit hoc Zenoni Polemo[17]: etiam magister eius, et tota illa gens, et reliqui, qui virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adiungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat ceteris[18] rebus, ut dici vix possit: et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem nihil in bonis esse ducendum. Illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo iure possit gloriari: etsi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas.

XIX. 52. Vides igitur, te aut ea sumere, quae non concedantur;

---

(1) ∾ *ex ea* Spir. Erl. (2) cum Cdd. G. 2. — *esse brevius* Ceteri. (3) = *bonum igitur omne* Spir. Erl. (4) — del. *illud* G. E. 2. = *primum illud* Cdd. aliq. Cr. V. (5) — *omne laudabile hon.* P. Ascens. L. 1566. — *omne bonum hon.* L. in m. 1584. (6) ∾ *Aristoteles vero* P. M. L. (7) — *dicunt* Cdd. aliq. P. V. D. (8) Sic Gud. pr. Crat. G. 2. — *esse fact.* Ceteri. (9) Sic Sch. 2. — *Callipho* Cet. (10) — *quo* Cdd. aliq. V. Grut. (11) — *Nam* G. susp. (12) — *melius* D., non ex ingenio, sed ex Med. sicque Monac. — *speciosius* Br. susp. ∾ *quo genere nihil putatis esse vitiosius* de D. susp. Sch. 2. (— *in quo nihil p. e. vitiosi* de Pearcii susp. Lall.) (13) ∾ om. *esse - - esse* Spir. Erl. (14) — *consentaneum* P. (15) cum Cdd. L. Seqq. — *illorum scilicet nominum glor.* Cdd. pleriq. P. Cr. V. M. (16) — *quae* V. (17) Sic Cdd. P. L. G. 2. = *Polemon* V. M. D. 1. (18) — *reliquis* Cdd. aliq. Margo Crat.

aut ea, quae etiam concessa, te nihil invent[1]. Equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, et maxime, quum summum bonum quaereremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Quis enim potest istis, quae te, ut ais, delectant, brevibus et acutis auditis, de sententia decedere? Nam, quum *exspectant[2] et avent audire, cur dolor malum non sit: dicunt illi, asperum esse dolere[3], molestum, odiosum, contra naturam, difficile[4] toleratu: sed, quia[5] nulla sit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, nec turpitudo, non esse illud malum. Haec qui audierit, ut ridere non curet, discedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum, quam venerat. 53. Tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui dolorem malum putet. Cur fortior sit, si illud, quod tute concedis, asperum et vix ferendum putabit? Ex rebus enim timiditas, non ex vocabulis nascitur. Et ais, si una litera commota sit, fore, tota ut labet disciplina. Utrum igitur tibi literam videor, an totas paginas commovere? Ut enim sit apud illos, id quod est a te laudatum, ordo rerum conservatus, et omnia inter se apta et connexa, (sic enim aiebas;) tamen persequi non debemus, si, a falsis principiis profecta, congruunt ipsa sibi, et a proposito non aberrant[6]. 54. In prima igitur constitutione Zeno tuus a natura recessit; quumque summum bonum posuisset in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, nec quidquam aliud bonum esse dixisset, nisi quod esset honestum, nec virtutem posse constare, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset, aut peius: his propositis[7], tenuit prorsus consequentia. Recte dicis: negare enim non possum. Sed ita falsa sunt ea, quae consequuntur, ut illa, e[8] quibus haec nata sunt, vera esse non possint. 55. Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea, quae rem aliquam sequantur[9], falsa sint, falsam illam ipsam esse[10], quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: Si illud; hoc: non autem hoc; igitur ne illud quidem. Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur[11]. Quae sequuntur igitur: „omnes, qui non sunt[12] sapientes, aeque miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse; recte facta omnia aequalia; omnia peccata paria:" — quae quum[13] magnifice primo dici viderentur[14], considerata minus probantur[15]. Sensus enim cuiusque, et natura rerum atque ipsa veritas clamabat[16] quodam modo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.

(1) Sic Cr. V. Grut. Seq. — *adiuvent* P. M. L. (2) Sic de Bentleii Є. prob. Lall. G. 2. — *quum ea spectant* Cdd. Ceterae Edd. — *quum ea exspectant* Ern. susp. (3) cum Cdd. Grut. Seqq. ∞ *dolorem* Edd. ante Grut. (4) cum Cdd. Grut. Seqq. ∞ *difficilem* Edd. ante Grut. (5) — *quum* Cdd. aliq. (6) Sic Ascens. L. D. 1. G. — *congruent - - aberrant* Cdd. pleriq. P. V. M. — *congruant - - aberrent* Mars. Iu. Cr. ∞ *congruent - - aberrabunt* de G. susp. Sch. 2. (7) — *positis* D. susp. (8) — om. *e* V. (9) ∞ *consequantur* Gud. sec. P. Cr. M. L. (non V.) (10) — *ipsam rem esse* L. (11) cum Cdd. Mars. Cr. V. M. L. 1. G. 2. — *tollantur* Grut. D. (12) ∞ *sint* Ern. 1. Є. (13) — om. *quum* L. (14) — *videntur* M. L. Rursus Ern. 1. Є. — *videantur* Br. susp. (15) — *probabuntur* Sch. 2. de G. susp. (16) ∞ *clamabit* Monac. (prob. G.) Ascens. Sch. 2. ∞ *clamat* Cdd. aliq. (etsi negat G., tu vide D.) P. 1480. L. D. 1.

XX. 56. Postea tuus ille Poenulus, (scis enim Citieos[1], clientes tuos, e Phoenica profectos;) homo igitur acutus causam non obtinens, repugnante natura, verba versare coepit: et primum rebus iis[2], quas nos bonas ducimus[3], concessit, ut haberentur aptae, habiles[4] et ad naturam accommodatae: faterique coepit, sapienti, hoc est, summe beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare; naturâ ipsa commodata esse concedit[5]: negatque, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium. Huic mori optimum esse, propter desperationem sapientiae: illi, propter spem, vivere: peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii praeterirent: iam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sapientiam possent pervenire: alios, qui possent, si id egissent[6], sapientiam consequi. 57. Hic loquebatur aliter, atque omnes; sentiebat idem, quod ceteri. Nec vero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse[7] dicebant. Quid igitur voluit sibi, qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere detraxisset, et paullo minoris aestimavisset ea, quam Peripatetici, ut sentire quoque aliud, non solum dicere videretur. Quid? de ipsa beata vita, ad quam omnia referuntur, quae dicitis? Negatis eam esse, quae expleta sit omnibus iis[8] rebus, quas natura desideret: totamque eam in una virtute ponitis: quumque omnis controversia aut de re soleat, aut de nomine esse, utraque earum nascitur, si aut res ignoratur, aut erratur in nomine. Quorum si neutrum[9] est, opera danda est[10], ut verbis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis, id est, rem declarantibus. 58. Num igitur dubium est, quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, verbis illi commodius utantur[11]? Videamus igitur sententias eorum: tum ad verba redeamus.

XXI. Dicunt appetitionem animi moveri, quum aliquid ei secundum naturam esse videatur; omniaque, quae secundum naturam sint[12], aestimatione aliqua digna: eaque pro eo, quantum in quoque[13] sit ponderis, esse aestimanda: quaeque secundum naturam sint[14], partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta, nec laudabilia dicantur: partim[15], quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam; ex eis[16], quae sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia. Illa autem superiora, naturalia nominantur; quae coniuncta cum honestis vitam beatam perficiunt et

---

(1) Sic G. 2. — *Citiaeos* Pleriq. — *Cittiaeos* 1. (— *citius* - - *a poëtica prof.* Cdd. multi. P. V.) v. Add. (2) — *his* P. V. G. 2. (3) Sic P. L. D. 1. 2. ∾ *dicimus* Cr. V. M. G. Illud praetuli, ut iustior sit oppositio cum v. *haberentur.* (4) — *haberentur optabiles* Cdd. aliq. Vide, ne *habiles* omnino e gloss sit. (5) e Cdd. Lall. G. Videtur tamen corruptum. — *natura ipsa accommodata e. c.* V. M. Grut. D. 1. 2. (∾ hi tres [ ].) ∾ *naturae ipsi accomm. e. c.* P. L. ∾ *naturâ ipsâ commendata* Lall susp. (6) e Cdd. D. Seqq. — *si id gessissent* P. V. M. Grut. — *si processissent* L. C. (7) — del. *esse* Ern. suspic. (8) — *his* P. V. G. 2. (9) = *neutrum si* G. 2. nescio unde. (10) — del. *est* cum C3d. G. 2. (11) — *utuntur* P. V. Grut. Correxerant iam M. L. Pro *commodius*: — *commodioribus* L. susp. non recepta. (12) — *sunt* M. L. D. G. (13) — *in quaque* Cdd. aliq. P. V. (14) — *sunt* L. Grut. (15) — *partim* cum defectus signo D. — *partim habere* L. C. (16) = *iis* 1. ∾ *his* Cr. L. D. (non P. V. M.)

absolvunt[1]. 59. Omnium autem eorum commodorum, (quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat,) longe praestantissimum esse, quod honestum esset atque laudabile: sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit: sed tamen tantam vim esse honestatis[2], tantumque eam rebus omnibus praestare et excellere, ut nullis nec suppliciis, nec praemiis demoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit: omniaque, quae dura, difficilia, adversa videantur, ea virtutibus iis[3], quibus a natura essemus ornati, obteri[4] posse; non faciles illas quidem, nec contemnendas[5]: — quid enim esset in virtute tantum? — sed ut[6] hoc iudicaremus, non esse in his partem maximam positam beate[7], aut secus, vivendi. 60. Ad summam, ea, quae Zeno aestimanda et sumenda et apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant: vitam autem beatam illi eam, quae constaret ex his[8] rebus, quas dixi, aut plurimis, aut gravissimis. Zeno autem, quod suam, quod propriam speciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat: beatam autem vitam eam solam, quae cum virtute[9] degatur.

XXII. Si de re disceptari oportet, nulla mihi tecum, Cato, potest esse dissensio. Nihil est enim, de quo aliter tu sentias, atque ego: modo commutatis verbis ipsas res conferamus. Nec hoc ille non vidit: sed verborum magnificentia est et gloria delectatus; qui si ea, quae dicit, ita sentiret, ut verba significant, quid inter eum, et vel[10] Pyrrhonem, vel Aristonem interesset? Sin autem eos non probabat: quid attinuit cum iis[11], quibuscum re concinebat[12], verbis discrepare? 61. Quid? si reviviscant Platonis illi[13], et deinceps qui eorum auditores fuerunt, et tecum ita loquantur?: „Nos quum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, iustissimum virum, optimum iudicem, religiosissimum testem

---

(1) — *perficiant et absolvant* Cr. (2) cum Cdd. Cr. V. G. 2. = *hon. esse* P. M. L. D. 1. (3) — *hiis* P. Hinc: — *his* V. G. 2. (4) Sic Margo Cr. V. Seqq. — *optari* vel *aptari* Cdd. Edd. vett. (5) Corrupta haec et manca omnibus visa praeter G., recte ad sensum, sed parum probabiliter quod ad verba ipsa attinet, sic emendare conati sunt VV. DD.: — *posse: valetudinem autem, pulchritudinem, celeritatem, vires corporis, divitias et ceteras res huius generis non faciles i. q.* L. e marg. Cd. ignoti. Est interpolatio Itali alicuius Sec. XV. ∞ *non facilia illa quidem, nec contemnenda* cum Sigonii Cd. Lall. — *non ut futilia illa quidem et contemnenda* D. susp. — *non ut faciles illas quidem res, nec c.* Bremii susp. — *ceteras res non futiles illas quidem, nec contemnendas* Sch. E. 2. (∞ *futiles*, voc. saepe corruptum, habet sane, quo se commendet.) Qui defensurus est, necessario tamen verba ista referre debet ad superiora *rebus omnibus* (virtutem) *praestare*, nec vero cum G. ad v. *virtutibus iis*, qua ratione totius loci sensus misere pervertitur. Aeque prave interpretatus is est v. *quid enim esset* (*esse* Ern. mala susp.) *tantum?* Sensus est: „Si cetera illa bona tam facilia (futilia) essent et contemnenda, ut Stoici volunt, quod tandem esset pretium ac meritum virtutis, sine ullo labore talia spernentis ac superantis, ubi cum honestate coniungi nequeunt?" (6) — *sed ita, ut* L. (7) — *aut beate* M. Grut. 1. (non P. V. L.) (8) ∞ *iis* M. L. D. 1. (9) — *eam, quae sola cum v.* D. susp. prob. Ern. (10) — om. *et* Grut. — Hoc *vel* del. censebat Ern. (11) — *his* V. (12) Sic L. Seqq. (Pal. quart.) — *continebat* Cdd. Goerenzii. — *concineret* Cd. Mo. — *concinnabatur* Nonius. — *conveniebat* P. V. M. (13) e Spir. Erl. Cd. Gronovii. G. ∞ *Platonis alumni* D. susp., ut §. 72. — *Platonici illi* Ceteri. Id quod Tullianum non est.

audiremus, admirati[1] sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat: nominibus uterentur iis[2], quae prima specie, admirationem, re explicata, risum moverent. Tu autem, si tibi illa probabantur[3], cur non propriis verbis illa tenebas? sin te auctoritas commovebat: nobisne omnibus, et Platoni ipsi, nescio quem illum anteponebas? praesertim quum in re publica princeps esse velles, ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses. Nobis[4] enim ista quaesita, a nobis descripta, notata, praecepta sunt: omniumque rerum publicarum rectiones[5], genera, status, mutationes, leges etiam et instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo[6] ornamento est, et qua te audimus[7] valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses!" Ea quum dixissent, quid tandem talibus viris responderes[8]? 62. Rogarem te, inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem dictavisses, vel potius paullum[9] loci mihi, ut his responderem, dares, nisi et te audire nunc mallem[10], et istis tamen alio tempore responsurus essem, tum[11] scilicet, quum tibi.

XXIII. Atqui[12], si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda: Non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines tantaque auctoritate, sed te animadvertisse, quas res illi propter antiquitatem parum vidissent, eas a Stoicis esse perspectas, eisdemque de rebus hos tum acutius disseruisse[13], tum sensisse gravius et fortius, quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant; non[14] quia bonum sit[15] valere, sed quia sit non nihilo[16] aestimandum, neque tamen pluris, quam illis videtur[17], qui illud non dubitant bonum dicere. Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi, quasi barbati[18], (ut nos de nostris solemus dicere,) crediderint[19], eius, qui honeste viveret, si idem etiam[20] bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam, melioremque et magis expetendam, quam illius, qui aeque vir bonus, multis modis esset, ut Ennii Alcmaeo,

---

(1) — *demirati* L. susp. (2) — *his* V. (3) Sic Cr. V. M. L. D. 1., ut mox *commovebat*. — *probantur* Cdd. noti P. Iu. G. 2. (4) ∾ *a nobis* L. (5) — *rationes* Iu. Cr. (6) cum Cdd. (etiam Mo.) D. Seqq. — *maxime* Priores. (7) Sic Cr. V. Sch. 2. — *audivimus* Ceteri. (8) — *respondisses* Cr. V. L. (— *talibus viris tandem respondisses* V.) (9) = *paullulum* M. L. (10) — *vellem* Cr. (11) ∾ *tunc* P. M. L. (12) — *Ad quae* Cdd. aliq. (13) = *disser. acut.* L. (14) — *nec* Cdd. multi, etiam Mo. (15) cum Cdd. Cr. V. G. 2. = *sit bonum* P. M. L. D. 1. (16) — *non nihili* L. (17) Sic non sine malitia Cicero introducit respondentem Catonem, quasi is diceret: „non nihilo quum dico, id per se intelligitur, non pluris nos aestimare ista, quam a Peripateticis fiat." Hinc facile colligit lector inanem hanc esse de verbis, non de re disceptationem. Varie tentarunt: — *neque tamen minoris*, *quam illis videtur* cet. (*videtur* habent boni Cdd., non tamen Crat., ut solito errore dicit G., egoque retinui pro ceterorum *videatur*. — *dubitent* Ern. Є. 1. 2.) D. susp. recepta a Lall. *Neque tamen pluris*, [*quam*] *illis videtur*, *qui i. n. dubitant b. d.* — *Hoc* G. Є., ita, ut v. *quam* deleto, haec verba a Cicerone refutandi causa interiecta sint Catonianis. Mire. — *neque tamen pluris illis videri*, *qui i. n. dubitent b. d.* Sch. 2. Є.; qua ratione mire excusantur, immo laudantur Peripatetici. (18) — *barbari* Cdd. aliq. M. (19) — *crediderunt* V. (20) cum Cdd. M. L. G. 2. — *et* Cr. V. Grut. D. 1. — om. *etiam* P.

Circumventus morbo, exsilio atque inopia.

63. Illi igitur antiqui non tam acute[1] optabiliorem illam vitam putant, praestantiorem, beatiorem. Stoici autem tantummodo praeponendam in seligendo, non quo beatior haec vita sit, sed quod ad naturam accommodatior; et qui sapientes non sint[2], omnes aeque miseros esse. Stoici hoc[3] videlicet viderunt; illos autem id fugerat superiores, [qui arbitrabantur[4]] homines sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo miseriores esse, quam eos, qui quum caste et integre viverent, nondum perfectam illam sapientiam essent consecuti. 64. Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi uti solent, dissimillimas proferebas. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam iam aquam[5] appropinquant, sed nihilo magis respirare posse, quam eos, qui sunt in profundo? Nihil ergo[6] adiuvat procedere et progredi in virtute, quo minus miserrimus sit, antequam ad eam[7] pervenerit[8], quoniam in aqua nihil adiuvat: et quoniam catuli, qui iam dispecturi sunt, caeci aeque, et ii[9], qui modo nati; Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat sapientiam[10], aeque caecum animo ac[11] Phalarim fuisse.

XXIV. 65. Ista similia non sunt, Cato: in quibus quamvis multum processeris, tamen illud in eadem causa est, a quo abesse velis, donec evaseris. Nec enim ille respirat, antequam emersit[12], et catuli aeque caeci, priusquam dispexerunt[13], ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia: hebes acies est cuipiam oculorum, corpore alius languescit: hi curatione adhibita levantur in dies: valet alter[14] plus quotidie: alter videt. His similes sunt omnes[15], qui virtuti student; levantur vitiis, levantur erroribus. Nisi forte censes[16] Ti. Gracchum patrem non beatiorem fuisse, quam filium[17], quum alter stabilire rem publicam studuerit, alter evertere. — Nec tamen ille erat sapiens: — quis enim hoc[18]? aut quando? aut ubi? aut unde? — sed quia studebat laudi et dignitati, multum in virtute processerat. 66. Conferam autem avum[19] tuum, Drusum[20], cum C. Graccho, eius fere aequali. Quae hic rei publicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. Si[21] nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus; ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt: non est tamen aeque miser, qui patriae consulit, et is, qui illam exstinctam cupit. Levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progressionis aliquantum[22].

(1) ∾ *acuti* L., ut volebat Ern. Placet. (2) Sic Iu. Cr. V. 1. 2. — *sunt* Ceteri, etiam L. G. (3) cum Cdd. Cr. V. L. D. G. 2. — *haec* P. M. 1. (4) Recte haec del. censent G. Sch. 2. — *arbitrabantur* om. *qui*, Mars. Iu. Est perversum gloss. (5) — *ad summ. aquam iam* Cr. V. (6) Sic M. L. 1. G. 2. ∾ *igitur* Cdd. multi. (Mo.) D. — *enim* P. Cr. V. (7) — *ad summam* Sch. 2. E. (8) — *sis -- perveneris* Ern. 1. E. (9) cum Cdd. M. Grut. D. 1. — *et hi* V. G. 2. — *ac hi* P. — *ut hi* Iu. — *ut ii* L. (10) Sic Cd. Stephani. Mo. P. Grut. Seqq. — om. *sapientiam* Iu. Cr. V. M. L. (11) = *et* G. e Cdd. (12) — *emerserit* L. (13) Sic, et supra *dispecturi* L. D. Seqq. — *desp.* Priores. (14) cum Cdd. G. 2. = *alter valet* Ceteri. (15) cum Cdd., etiam Mo. Aldus nepos. G. — *hi similes sunt omnibus* Ceteri, praeter Sch. 2., qui miro errore: — *his similes sunt omnibus*, quasi sic G. (16) — *censeres* V. Grut. (17) — *quam Ti. filium* G. E. (18) — *hoc habet* P. — del. *hoc* cum C1d. D. (19) — *avunculum* de Man. susp. L. (∾ om. *autem* Spir. Erl.) (20) ∾ *M. Drusum* G. susp. (21) e Cdd. D. Lall. G. 2. — *sed* Ceteri, etiam V. L. 1. (22) cum Cdd. V. D. Seqq. — *aliquantulum* P. M. L. Grut. Paullo ante: — *his* V.

67. Vestri autem progressionem ad virtutem fieri aiunt, levationem vitiorum fieri negant. At, quo nituntur[1] homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare. Quarum, inquit[2], artium summa crescere potest, earum etiam contrariorum[3] summa poterit augeri. Ad virtutis autem summam accedere nihil potest. Ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt virtutum contraria. Utrum igitur tandem[4] perspicuisne[5] dubia aperiuntur, an dubiis perspicua tolluntur? Atqui hoc perspicuum est, vitia alia in aliis esse maiora: illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. Vos autem, quum perspicuis dubia debeatis illustrare, dubiis perspicua conamini tollere. 68. Itaque eadem[6] ratione, qua sum paullo ante usus, haerebitis. Si enim propterea vitia alia aliis maiora non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam potest accedere: quoniam perspicuum est, vitia non esse omnium[7] paria, finis bonorum vobis mutandus est. Teneamus enim illud necesse est, quum consequens aliquod falsum sit, illud, cuius id consequens sit, non posse esse verum.

XXV. Quae est igitur causa istarum angustiarum? Gloriosa ostentatio in constituendo summo bono. Quum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, administratio rei publicae, ordo gerendorum negotiorum, officia[8] vitae: ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est. Quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chrysippo. Ex ea difficultate illae *fallaciloquae*[9], ut ait Attius, *malitiae* natae sunt. 69. Quod enim sapientia[10], pedem ubi poneret, non habebat, sublatis officiis omnibus: ⊤ officia autem[11] tollebantur, delectu omni et discrimine remoto; quae enim[12] esse poterant rebus omnibus sic exaequatis, ut inter eas nihil interesset? — ex his angustiis ista evaserunt deteriora, quam Aristonis. Illa tamen simplicia: vestra versuta. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris, divitiae, valetudo? Neget. Quid? quae contraria sunt his, malane? Nihilo magis. Zenonem roges; respondeat totidem verbis. Admirantes quaeramus ab utroque, quonam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus, aegrine simus; vacemus, an cruciemur dolore; frigus, famem propulsare possimus,

---

(1) cum Cdd. P. G. 2. ∾ *nitantur* e C1d. D. 1. — *utuntur* V. M. Grut. — *utantur* L. (2) cum Cdd. P. D. Seqq. — *inquiunt* Cr. V. M. L. (3) Sic L. G. — *contrariarum* Ceteri, praeter Rob. Steph. et Man., qui: — *contrarium* (Victorius quoque: *contrariarum*.) (4) — om. *tandem* Cdd. aliq. (5) — *perspicuis* Ern. 1. err. typogr. (6) Sic P. 1480. M. L. Ern. 1. — *itaque usi e.* Cr. V. Grut. — *itaque usus e.* Cdd. multi. Lall. — *itaque usque e.* e C2d. D. G. 2., prorsus contra consuetudinem Tullii, qui v. *usque* nusquam sic utitur. Nam diversa sunt *ad Div.* 12, 19. *Brut.* §. 87. Ceterum sic quoque locum hunc corruptum iudico. Nullum enim commodum praebet sensum. Deberet esse vel: „Itaque pressi, oppugnati eadem ratione cet.", vel: „Itaque usi eadem ratione, qua paullo ante, haerebitis." De verbis nihil coniicio. (7) ∾ *omnia* Nescio cuius E., ut in seqq. saepe. (8) — *officium* Mars. Iu. (9) cum Cdd. M. L. G. 2. — *fallaci* vel *fallacis loquelae* Cdd. pleriq. (P.) — *fallaciloquentiae* e Nonio V. Grut. 1. ∾ *versutiloquae* G. susp. (Mox *Attius* L. G. 2. = *Accius* Ceteri.) (10) — *Quid enim? sap.* V. Mox *pedem ubi* e Cdd. G. = *ubi pedem* Ceteri. (11) ∾ *autem omnia* Cdd. aliq. P. prob. D. (12) — om. *enim* V.

necne possimus[1]. Vives, inquit Aristo, magnifice atque praeclare; quod[2] erit cunque visum agens[3], nunquam angere, nunquam cupies, nunquam timebis. 70. Quid Zeno? Portenta haec esse dicit, nec ea ratione ullo modo posse vivi; sed differre[4] inter honestum et turpe, nimium quantum, nescio quid immensum[5]: inter ceteras res nihil omnino interesse. 71. Idem adhuc, (audi reliqua, et risum contine, si potes:) media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eiusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reiicienda, alia omnino negligenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. — At[6] modo dixeras, nihil in istis[7] esse, quod interesset. — Et nunc idem dico, inquiet[8]; sed ad virtutes et ad vitia nihil interesse. —

XXVI. 72. Quis istuc, quaeso[9], nesciebat? Verum audiamus. — Ista, inquit, quae dixisti, valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece προηγμένα: (Latine autem *producta*: sed *praeposita*, aut *praecipua* malo; sic tolerabilius et mollius:) illa autem, morbum, egestatem[10], dolorem, non appello mala, sed, si libet, *reiectanea*[11]. Itaque illa non dico me expetere, sed legere, nec optare, sed sumere: contraria autem non fugere, sed quasi secernere. Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni? Se omnia, quae secundum naturam sint, bona appellare; quae autem contra, mala. Videsne igitur, Zenonem tuum cum Aristone verbis consistere[12], re dissidere: cum Aristotele et illis re consentire[13], verbis discrepare? Cur igitur, quum de re conveniat, non malimus[14] usitate loqui? Aut doceat, paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus praepositis, quam si in bonis duxero: fortioremque in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu et[15] contra naturam esse, quam si malum dixero. 73. Facete M. Piso, familiaris noster, et[16] alia multa, et hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim? aiebat; bonum negas esse divitias, praepositum esse dicis. Quid adiuvas? avaritiamne minuis? Quod si verbum sequimur, primum longius verbum, praepositum, quam bonum. — Nihil ad rem! — Ne sit sane. At certe gravius. Nam bonum ex quo appellatum sit, nescio: praepositum ex eo credo, quod praeponatur aliis. Id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zenone, qui eas in praepositis poneret, quam ab Aristotele, qui bonum esse divitias fateretur; sed neque[17] magnum bonum, et prae rectis honestisque contemnendum ac despiciendum, nec magno opere expetendum: omninoque de istis omnibus[18] verbis a Zenone mutatis ita dispu-

---

(1) — om. *necne poss.* V. (2) — *quum*, *quod* G. 2. malâ C. Superbit enim quasi et exsultat Aristo sic respondens; id quod optime isto ἀσυνδέτῳ expressit scriptor. (3) e Cdd. D. Seqq. — *visum, ages* Ceteri. (4) ∞ *distare* Gud. sec. Bas. (5) ∞ Haec *nescio q. i.* aberant a Cd. Carrionis *Antiq. Lectt.* 2, 12. probb. Gronov. ad *A. Gell.* 1, 8. et D. (6) — *ac* V. (7) e Cdd. G. — *in istis rebus* e Cdd. D. — *in his rebus* Ceteri. (8) e Cdd. G. — *inquies* Ceteri. (9) — *quasi* Cdd. aliq. V. (10) cum Cdd. V. G. D. = *eg.*, *morbum* Ceteri. (11) — *reiecta* Cd. Urs. (12) cum Cdd. P. Cr. V. Grut. Seqq. — *consentire* M. L. (13) — *consistere* Cd. Memmii. — *concinere* L. susp. (14) ∞ *malumus* V. (15) — om. *et* Cdd. multi. — *si* G. susp. (∞ *et contra nat.*, *quam si m. esse d.* V.) (16) — *ut* Cr. L. (17) = *nec* M. L. 1. (18) Cum Cdd. Cr. V. G. (qui [ ]) = *de omn. istis v.* P. M. L. D. 1. ∞ del. *omnibus* Sch. 2.

tabat, et quae bona negarentur esse ab eo, et quae mala, illa laetioribus nominibus ab eo appellari[1], quam a nobis, haec tristioribus. Piso igitur hoc modo, vir optimus, tuique, ut scis, amantissimus. Nos paucis ad haec additis finem faciamus aliquando. Longum est enim ad omnia respondere, quae a te dicta sunt[2].

XXVII. 74. Nam ex eisdem[3] verborum praestigiis et regna nata vobis sunt, et imperia, et divitiae, et tantae quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis. Solum praeterea formosum, solum liberum, solum civem: stultorum[4] omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Haec παράδοξα illi; nos *admirabilia* dicamus. Quid autem habent admirationis, quum prope accesseris? Conferam tecum, quam cuique verbo rem subiicias; nulla erit controversia. Omnia peccata paria dicitis. Non ego[5] tecum iam ita loquar[6], ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt; aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius. 75. Peccata paria quonam modo? Quia nec honesto quidquam honestius, nec turpi turpius. Perge porro. Nam de isto magna dissensio est. Illa argumenta propria videamus, cur omnia peccata sint paria. Ut, inquit, in fidibus pluribus[7], si nulla earum ita contenta numeris[8] sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint: sic peccata, quia discrepant, aeque discrepant; paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur[9]. Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint: illud non continuo, ut aeque incontentae. Collatio igitur ista te nihil iuvat. Nec enim, omnes avaritias si aeque avaritias esse dixerimus, sequetur, etiam[10] ut aequas esse dicamus. 76. Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, si palearum navem evertit, et si auri: item aeque peccat, qui parentem, et qui servum iniuriâ verberat. Hoc[11] non videre, cuius[12] generis onus navis vehat, id ad[13] gubernatoris artem nihil pertinere! itaque, aurum, paleamve[14] portet, ad bene, aut ad male gubernandum, nihil interesse. At quid inter parentem et servulum intersit, intelligi et potest, et debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur. Et, si in ipsa gubernatione negligentiâ est navis[15] eversa, maius est peccatum in auro, quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia; quam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere.

---

(1) = *app. ab. eo* Cdd. aliq. (2) ∞ v. *respondere - - sunt* suspecta G. in Add. (3) = *iisdem* V. D. 1. (4) e Cd. Maffaei M. L. Seqq. — om. *stultorum* Cdd. pleriq. P. Iu. V. ∞ *omnia contraria stultis* Cdd. Eliens. et Stephani. Ascens. Crat. (5) — *ergo* V. (6) — *locabor* Spir. Erl. ∞ *iocabor* Cd. Mo. Bas. Vien. Memorabilis lectio. (7) Sic Cdd., etiam Mo. V. L. G. 2. — *plurimis* P. Cr. (errat G.) M. D. 1. (8) Sic P. Iu. Cr. (errat G.) M. L. D. 1. Recte, si tamen *numeris* servandum est, h. l. defendit Ern.; nec *fides* h. l. cum G. verti potest: *Saiteninstrumente*. ∞ *nervis* Cdd. aliq., etiam Mo. G. 2. — *contentis nervis* de D. susp. Lall. ∞ om. censebat *numeris* L. (9) — *hoc ambiguo ludis me* Cd. Stephani. Cr. V. (10) Sic Cr. V. — *sequitur* Ceteri. Mox = *ut etiam* e Cdd. G. (11) cum Cdd. P. G. 2. — *haec* Cr. V. Grut. D. — *hic* ex Ed. vett. Ern. 1. (— *hic nemo non videt* L. E.) (12) ∞ *cuiuscuius* Cod. Lambini. (13) e Cdd. G. 2. — *et ad* P. Cr. V. — om. *id* M. L. D. 1. (14) — *paleamne* Cdd. aliq. Cr. V. L. D. (15) = *navis est* Cdd. aliq.

XXVIII. 77. Ita ne hoc modo paria quidem[1] peccata sunt. Urgent tamen, et nihil remittunt. Quoniam, inquiunt[2], omne peccatum imbecillitatis et inconstantiae est, haec autem vitia in omnibus stultis aeque magna sunt: necesse est paria esse[3] peccata. Quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis aeque magna esse vitia, et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius is condemnatus est rogatione, P. Scaevolam: et[4] quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit; ut, quo hae maiores, minoresve sint, eo, quae peccentur[5] in his rebus, aut[6] maiora sint, aut minora! 78. Itaque (iam enim concludatur oratio,) hoc uno vitio[7] maxime mihi premi videntur tui Stoici, quod se posse putant duas contrarias sententias obtinere. Quid enim[8] tam repugnans, quam eundem dicere, quod honestum sit, solum id bonum esse, qui dicat, appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum a[9] natura profectam? Ita quum ea volunt retinere, quae superiori sententiae conveniunt, in Aristonem incidunt: quum id fugiunt, re eadem defendunt, quae Peripatetici; verba[10] tenent mordicus. Quae rursus dum sibi evelli ex ordine[11] nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione, et moribus. 79. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior: semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum; ut ipsius scripta declarant. Quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos magno opere censeo. 80. Sed quoniam et[12] advesperascit, et mihi ad villam revertendum est; nunc quidem hactenus: verum hoc idem faciamus saepe[13]. Nos vero, inquit ille. Nam quid possumus facere melius? et hanc quidem primam exigam a te operam, ut audias me, quae a te dicta sunt, refellentem. Sed memento, te, quae nos sentiamus, omnia probare, nisi[14] quod verbis aliter[15] utamur[16]: mihi autem vestrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti; sed videbimus. Quae quum essent dicta, discessimus.

(1) — *ita ne hoc quidem m. paria* L. (2) H. l. nemo voluit: *inquit.* (3) = *esse paria* Cdd. aliq. (4) — *aut* Bentl. susp. (5) Sic Cd. Mo. M. L. Seqq. — *eo quoque peccata* P. Cr. — *eo quae peccata* V. (6) — *haud* G. E., quem errorem tamen correxit in Add. (7) — del. *vitio* L. E. (8) e Cdd. G. 2. — *quid est enim* P. V. — *quid enim est* M. L. D. 1. (9) — om. *a* Cdd. aliq. (10) — *verba sibi* Cd. Paris. — *verba sua* Ern. susp. (11) ∞ *ex ore* M. L. D. — *ex oratione* Ern. susp. — Del. *ex ordine* censet Sch. (12) e Cdd. G. 2. — om. *et* Priores. (13) e C2d. G. = *saepe fac.* Ceteri. (14) Sic M. L. D. 2. — *ni* Cdd. noti. P. Cr. V. 1. G. (15) — *aliis* L. solus. (16) — *utimur* Gud. sec. Bas.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM
LIBER QUINTUS.

I. 1. Quum audissem[1] Antiochum, Brute, ut solebat[2], cum M. Pisone, in eo gymnasio, quod Ptolemaeum[3] vocatur, unaque nobiscum Q. frater, et T. Pomponius, et L. Cicero[4], frater noster, cognatione patruelis, amore germanus: constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam[5] conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa ab Dipylo[6] stadia confecimus. Quum autem venissemus in Academiae[7] non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus. 2. Tum Piso, Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam: ut, quum[8] ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando[9] eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis[10] in mentem: quem accepimus primum hic disputare solitum: cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt[11], sed ipsum videntur in conspectu meo ponere[12]. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo; cuius ipsa[13] illa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram, (Hostiliam dico, non hanc novam, quae minor mihi[14] esse videtur, posteaquam est maior;) solebam intuens, Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare. Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disciplina. 3. Tum Quintus, Est plane, Piso, ut dicis, inquit. Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus[15], cuius incola Sophocles ob oculos versabatur: quem scis quam admirer, quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc

---

(1) cum Cdd. P. V. L. D. G. = *audivissem* Cr. M. 1. 2. (2) ∞ *solebam* L. (ut volunt Victor. Bremius, G.) (3) Sic Iu. G. 2. ∞ *Ptolemaeium* V. M. L. D. — *Ptolemeum* P. 1. (4) ∞ *Q. frater noster, T. Pomponius, L. Cicero* P., ut volebat G. (om. scil. gloss. *noster.*) (5) „Alii (Crat.) ∞ *pomeridianam*, quod usitatius ait in *Oratore* Cicero." Mo. (6) cum Cdd. G. 2. = *a D.* Ceteri. (7) — *Academiam* P. Iu. M. Grut. (8) — *quando* Cd. Stephani. (9) — *ante* pro *quando* O4x. P. — *aut* Cd. Steph. V. (10) — *Plato* P. (11) — *offerunt* Ern. susp. (12) cum Cdd. Cr. V. D. Seqq. — *meo hic p.* P. M. L. (13) cum Cdd. P. Cr. V. M. L. 2. — om. *ipsa* cum Cdd. D. = *illa ipsa* Ern. 1. — *ipsius illa* e Cdd. G. (14) cum Cdd. G. = *mihi minor* Ceteri. (15) — *Colonus l. l.* Meursii susp. — *Colonus ille, cuius i.* Bremii susp. — *Coloneus ille lucus* vel, deleto v. *Coloneus* simpliciter *ille locus* Valckenaer ad *Callim.* p. 216.

venientis, et illo mollissimo carmine, quaenam essent ipsa haec loca, requirentis, species quaedam commovit, inanis[1] scilicet, sed commovit tamen. Tum Pomponius, At ego, quem vos, ut deditum Epicuro, insectari soletis, sum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus: sed, veteris proverbii admonitu, *vivorum memini*: nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam; cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in annulis[2] habent.

II. 4. Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari videtur, et fortasse suo iure. Ita enim se Athenis[3] collocavit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen[4] videatur habiturus. Ego autem tibi, Piso, assentior, usu hoc venire[5], ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum, neque[6] ad hospitem ante devertisse[7], quam Pythagorae ipsum illum locum, ubi vitam ediderat[8], sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum: tamen ego illa moveor exedra. Modo enim fuit Charmadas[9]: quem videre videor, (est enim nota imago,) a sedeque ipsa tanti[10] ingenii magnitudine orbata, desiderari illam vocem puto. 5. Tum Piso, Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noster, inquit? an eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt? Suo enim quisque studio maxime ducitur. Et ille, quum erubuisset, Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descenderim: quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem[11], ut fremitum assuesceret voce vincere. Modo etiam paullum[12] ad dexteram[13] de via declinavi, ut ad Pericli[14] sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe: quacunque enim ingredimur, in aliquam historiam[15] vestigium ponimus. 6. Tum Piso, Atqui Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt; sin tantummodo ad indicia veteris memoriae cognoscenda[16], curiosorum. Te autem hortamur omnes, currentem quidem, ut spero, ut eos, quos[17] novisse vis, etiam imitari velis. Hic ego, Etsi facit hic quidem, inquam, Piso, ut vides, ea, quae praecipis: tamen mihi grata est hortatio tua. Tum ille amicissime, ut solebat, Nos vero, inquit, omnes omnia ad huius adolescentiam conferamus, in primisque ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiat, vel ut te imitetur, quem amat; vel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Sed utrum hortandus es nobis, Luci, inquit, an etiam tua

---

(1) — *inaniter* Cd. Mo. (2) — *annellis* (sic) e Nonio L. (3) Sic Cdd. P. Cr. V. D. G. = *Ath. se* M. L. 1. 2. (4) cum Cdd. In. Cr. L. 1. G. 2. — *cognomine* P. V. M. D. (5) — *venire* dedi cum Spir. Erl., ut volebat Bremius. — *evenire* Ceteri, solito errore. Nam *usu evenire* nihil est. (6) cum Cdd. P. G. 2. = *nec* Ceteri. (7) Sic L. — *divertisse* Ceteri. (8) — *reddiderat* Morelii vana susp. (9) de Valesii E. Lall. 1. G. 2. — *Carneades* Ceteri. — *Charmadae* Sch. vana susp. (10) cum Cdd. (etiam Mo.) Cr. D. Seqq. — *tanta* P. V. M. L. (11) = *Dem. decl. sol.* L. (12) = *paullulum* M. L. (13) cum Cdd. P. G. = *dextram* Ceteri. (14) de G. susp. Sch. 2. = *Periclis* Ceteri. (15) ∞ *in aliqua historia* Spir. Erl. (16) = *cognoscendae* M. Grut. (non P. V. L.) (17) — *ut omnes, quos* Gud. sec. — *ut, quos* G. suspicio.

sponte propensus es? Mihi quidem Antiochum, quem audis, satis belle videris attendere. Tum ille timide, vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem: sed audistine modo de Charmada[1]? rapior illuc. Revocat autem Antiochus: nec est praeterea, quem audiamus.

III. 7. Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, quum hic adsit, (me autem dicebat,) tamen audebo te ab hac Academia nova ad veterem illam[2] vocare; in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ii[3] soli numerantur, qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, ceterique[4], sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac, tamquam ex[5] omnium artium officina, profecti sunt. 8. Atque[6] ego, Scis me, inquam, istud idem sentire, Piso: sed a te opportune facta mentio[7] est. Studet[8] enim meus audire Cicero, quaenam sit istius veteris, quam commemoras, Academiae de finibus bonorum, Peripateticorumque sententia. Censemus te autem[9] facillime id explanare posse, quod et Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te, et complures iam menses Athenis haec ipsa te ex Antiocho videamus[10] exquirere. Et ille ridens, Age, age, inquit, (satis enim scite me nostri sermonis principium esse voluisti;) exponamus adolescenti, si quae[11] forte possumus. Dat enim id nobis solitudo. Quod si quis[12] deus diceret, nunquam putarem, me in Academia, tamquam philosophum, disputaturum! Sed ne[13], dum huic obsequor, vobis molestus sim. Mihi, inquam, qui te id ipsum rogavi? Tum, Quintus et Pomponius quum idem se velle dixissent, Piso exorsus est. Cuius oratio, attende quaeso, Brute, satisne videatur Antiochi complexa esse sententiam: quam tibi, qui fratrem eius Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo.

IV. Sic est igitur locutus. 9. Quantus ornatus in Peripateticorum disciplina sit, satis est a me, ut brevissime potuit[14], paullo ante dictum. Sed est forma eius disciplinae, sicut fere ceterarum, triplex. Una pars est naturae[15]: disserendi, altera: vivendi, tertia. Natura sic ab his[16] investigata est, ut nulla pars caelo, mari, terra, (ut poëtice loquar,) praetermissa sit. Quin etiam, quum de rerum initiis omnique mundo locuti essent, ut[17] multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione[18] concluderent: maximam materiam

(1) — *Carneade* Cdd. Edd. ante Lall. (2) = *illam vet.* Spir. Erl. (3) — *hi* P. V. G. (4) = *ceteri* G. susp. (5) ∾ om. *ex* Spir. Erl. (6) e Cdd. G. 2. — *Ad quae* Ceteri. (7) = *mentio facta* P. M. L. (8) — *avet* Ern. susp. (9) e Cdd. G. 2. = *autem te* Ceteri. (10) cum optt. Cdd. Cr. V. L. G. — *videmus* P. Iu. M. D. 1. 2. (11) e Cdd. G. 2. = *si qua* Ceteri. (12) ∾ *si qui* G. susp. (13) — *sed verendum, ne* ex interpol. L. (14) e Cdd. G. 2. — *potui* Ceteri. (15) Sic P. L. D. Seqq. — *natura* Crat. (errat G.) V. M. (16) Sic Cdd. aliq. P. V. G. Retinui *hi*, *his* cet., ubi de Peripateticis sermo est. ∾ *iis* Ceteri. (17) — *ita, ut* Ern. susp. (18) — om. *ratione* Cd. Mo.

ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. 10. Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras. Theophrastus autem stirpium naturas, omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, causas atque rationes. Qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum: disserendique ab eisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, expromeret[1]. 11. Quum autem tertia pars bene vivendi praecepta quaereret, ea quoque est ab eisdem[2] non solum ad privatae vitae rationem[3], sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum non Graeciae solum, sed etiam Barbariae, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognovimus. Quumque uterque eorum docuisset, qualem in re publica principem esse[4] conveniret, pluribus praeterea conscripsisset[5], qui esset optimus rei publicae status: hoc amplius Theophrastus, quae essent in re publica inclinationes rerum et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet. Vitae autem degendae[6] ratio maxime quidem illis placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum: quae quia deorum erat vitae simillima, sapiente visa est dignissima. Atque his de rebus et splendida est eorum, et illustris oratio.

V. 12. De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant; alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt: non semper idem dicere videntur; nec in summa tamen ipsa aut varietas est ulla, apud hos quidem, quos nominavi; aut inter ipsos dissensio. Sed quum beata vita[7] quaeratur, idque sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat: sitne ea tota sita[8] in potestate sapientis, an possit aut labefactari, aut eripi rebus adversis, in eo nonnunquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita[9] liber, in quo multum admodum fortunae datur. Quod si ita se habeat, non possit beatam praestare vitam[10] sapientia. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio[11], quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum; cuius accurate scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse Aristotelis: sed non video, cur non potuerit patri[12] similis esse filius. Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque, dummodo plus in virtute teneamus, quam ille tenuit, firmitatis et roboris. 13. Simus igitur contenti his. Namque horum posteri, meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum philosophi disciplinarum: sed ita degenerant[13], ut ipsi ex se nati esse videan-

(1) — *exprimeret* P. Cr. V. (2) e Cdd. G. = *iisdem* Ceteri. Item supra. (3) — om. *rationem* Gud. prim. (4) Sic Cr. M. Seqq. — om. *esse* Cdd. pleriq. P. Iu. V. (5) Sic Spir. Erl. prob. G. Praetuli maxime propter positum v. *uterque*. — *praeterea quum scripsisset* Ceteri. (6) — *eligendae* Margo Crat. prob. G. (7) = *vita beata* V. (8) — om. *sita* Gud. sec., ut solet is temere vocc. omittere. (9) = *vita beata* G. tacite. (10) = *vitam praest*. L. (11) — *oratio* L. (12) ∾ *patris* L., ut volebat Bremius. Cfr. tamen Ochsner *Eclog. Cic.* p. 197. (13) ∾ *degenerarunt* L., ut volebat Ern.

tur. Primum Theophrasti Strato, physicum se voluit[1]. In quo etsi est magnus, tamen nova pleraque, et perpauca de moribus. Huius Lyco[2], oratione locuples, rebus ipsis ieiunior. Concinnus deinde et elegans huius Aristo: sed ea, quae desideratur a magno philosopho, gravitas in eo non fuit. Scripta sane et multa, et polita: sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet. 14. Praetereo multos, in his doctum hominem et suavem, Hieronymum: quem iam cur Peripateticum appellem, nescio. Summum enim bonum exposuit[3], vacuitatem doloris. Qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit. Critolaus imitari antiquos voluit[4]: et quidem est gravitate proximus, et[5] redundat oratio. Attamen is quidem[6] in patriis institutis manet. Diodorus, eius auditor, adiungit ad honestatem vacuitatem doloris. Hic quoque suus est: de summoque bono dissentiens, dici vere Peripateticus non potest. Antiquorum autem sententiam Antiochus noster mihi videtur persequi diligentissime: quam eandem Aristotelis fuisse et Polemonis docet.

VI. 15. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit. Hoc enim constituto, in philosophia[7] constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum, sive ignoratum est[8] quippiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur, quod[9] sit et bonorum extremum, et malorum, inventa et[10] vitae via est, conformatioque[11] omnium officiorum. 16. Est igitur, quo quodque[12] referatur: ex quo, id quod omnes expetunt, beate vivendi ratio inveniri et comparari potest. Quod quoniam, in quo sit, magna dissensio est; Carneadia[13] nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur, vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae. Negabat igitur ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur. Etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur. Nihil opus est exemplis hoc facere longius. Est enim perspicuum, nullam artem ipsam[14] in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud, quod propositum sit arti. Quoniam igitur[15] ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia: necesse est, eam quoque ab aliqua[16] re esse constitutam et profectam. 17. Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versaretur, et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere, et tale,

(1) — *physicum esse v.* P. — *physicum se esse v.* cum Cdd. L. (2) Sic Cd. Mo. (probb. Morelio et L.) D. G. 2. — *Lysias* Ceteri, etiam L. 1566. et 1. Mox — *et oratione* V. (3) ∞ *esse posuit* Bremii susp. (4) = *voluit ant.* Spir. Erl. Sch. 2. (5) — *sed* L. C. (6) ∞ *att. ne sic quidem* Bremii susp. — *ac tamen* G. susp. (7) V. *in phil.* suspecta Goerenzio bene defendit Sch. (8) — *sit* e Cdd. D. (9) e Cdd. G. 2. ∞ *quid* Ceteri. cfr. *Lib.* 1. §. 11. (10) e Cdd. G. — om. *et* Ceteri. (11) ∞ *confirmatioque* Cdd. pleriq. P. V. (12) e Cdd. G. 2. — *quidque* Ceteri. (13) e Cdd. G. 2. = *Carneadea* Ceteri, ut *L.* 4. §. 49. (14) cum Cdd. P. D. G. 2. — om. *ipsam* Cr. V. M. L. 1. (15) cum Cdd. Cr. L. in m. 1584. D. Seqq. — om. *igitur* P. V. M. L. — *ergo* Gud. sec. (16) cum Spir. Erl. G. 2. — *alia* Ceteri.

ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi; quem[1] ὁρμὴν Graeci vocant. Quid autem sit, quod ita moveat, itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat, deque eo est inter philosophos, quum summum bonum exquiritur, omnis dissensio. Totius enim quaestionis eius, quae habetur de finibus bonorum et malorum, (quum quaeritur in his, quid sit extremum, quid[2] ultimum), fons reperiendus est, in quo sint[3] prima invitamenta naturae. Quo invento, omnis ab eo, quasi capite, de summo bono et malo disputatio ducitur.

VII. Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris: alii censent primum ascitum, non dolere[4], et primum declinatum, dolorem. 18. Ab his alii, quae[5] prima secundum naturam nominant, proficiscuntur; in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem[6], vires, pulchritudinem, cetera[7] generis eiusdem: quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus quum unum aliquod sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum, vel ad repellendum, nec quidquam omnino praeter haec tria possit esse: necesse est omnino officium aut fugiendi, aut sequendi, ad eorum aliquod[8] referri; ut illa prudentia, quam artem vitae esse[9] diximus, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitae ducat exordium. 19. Ex eo autem, quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, exsistet recti etiam[10] ratio atque honesti, quae cum aliquo uno[11] ex tribus illis congruere possit, ut honestum[12] sit, facere omnia aut voluptatis causa, etiam si eam non consequare; aut non dolendi, etiam si id assequi nequeas: aut eorum, quae secundum naturam sunt[13], adipiscendi, etiam si non adipiscare[14]. Ita fit, ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obtinenda. 20. Expositis iam igitur[15] sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis, Aristippus; non dolendi, Hieronymus; fruendi rebus iis[16], quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades, non ille quidem auctor, sed defensor disserendi causa fuit. Superiores tres erant, quae esse possent: quarum est una sola[17] defensa, eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere[18] omnia, quum[19], etiam si nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per

---

(1) — *quam* Ern. susp. (2) e Cdd. G. 2. — *et* Ceteri. (3) ∞ *sunt* e Cdd. G. (4) In plerisque Cdd. exciderunt verba aliquot post *ascitum.* sicque cum defectu P. Iu. Cr. V. Varie suppleverunt: ut nos: Cd. Urs. Marsus. G. 2. = *doloris vacuitatem* M. L. D. 1. (5) — *quae alii* Cr. (— *Alii*, *qui ab his proficiscuntur*, *quae* - - *nominant*, *in q.* L.) ∞ *illa* pro *alii* Nescio cuius €. (6) ∞ Haec *dol. vac.* Ern. [ ]. Del. Sch. 2. (7) cum Cdd. G. — *ceteraque* Ceteri. (8) cum Cdd. D. G. 2. — *aliquid* Ceteri. (9) — om. *esse* Cdd. aliq. (10) cum Spir. Erl. G. 2. = *etiam recti* Ceteri. (11) ex iisd. G. 2. = *uno aliquo* Ceteri. (12) cum C2d. G. 2. — *ut aut id h.* P. V. M. D. 1. ∞ *ut id h.* L. (13) — om. *sunt* V. Grut. D. 2. (non P. Cr. M. L.) (14) Haec *etiam* - *adipiscare* in huiuscemodi argumentatione fere necessaria addidi e Cd. Stephani et P. 1480. (quae: ∞ *adipiscendorum.*) Infra quoque §. 20. ter idem effertur. (15) — *igitur iam* Cdd. aliq. Cr. — om. *igitur* O1x. (16) — *his* P. V. G. (17) — om. *sola* Mars. Cr. (18) — *facienda esse* L. €. (19) — *ut* D. susp. prob. Lall.

se expetendum et honestum et solum bonum sit, nemo dicit[1]. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit † ne si etiam evitare posset[2]. At vero facere omnia, ut adipiscamur quae secundum naturam sunt[3], etiam si[4] ea non assequamur, id esse et honestum, et solum per se expetendum, et solum bonum Stoici dicunt.

VIII. 21. Sex igitur hae sunt simplices de summa[5] bonorum malorumque sententiae: duae sine patrono, quattuor defensae. Iunctae autem et duplices expositiones summi boni tres omnino fuerunt: nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adiungi potest ad honestatem, ut Calliphonti[6] Dinomachoque[7] placuit: aut doloris vacuitas, ut Diodoro: aut prima naturae, ut antiquis, quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia[8] nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse: quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus. De vacuitate doloris eadem fere dici solent, quae de voluptate. [Quoniam[9] igitur et de voluptate cum Torquato, et de honestate, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum: primum, quae contra voluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra vacuitatem doloris.] 22. Nec vero alia sunt quaerenda contra Carneadiam[10] illam sententiam. Quocunque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate: nec officia, nec virtutes in ea ratione, nec amicitiae constare possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis, vel non dolendi, id ipsum honestum, quod amplecti vult, efficit turpe. Ad eas enim res[11] referre quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicas[12] esse, altera versetur in levissima parte naturae, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici, qui, quum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt. Hos contra singulos dici est melius. Sed nunc, quod agimus: de illis, quum volemus. 23. Democriti autem securitas, quae est animi tamquam tranquillitas, (quam appellavit[13] εὐθυμίαν,) eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ipsa est[14] beata vita. Quaerimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam explosae eiectaeque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam quum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bono-

(1) — *dixit* L. (2) — *nec si eum vitare possit* L. C. — *ne si etiam evenire posset* ex El. D. — *nisi etiam evitare possit* Bremii susp. Huic item et Sch. haec omnia suspecta. — *evitari* Ern. susp. Sed altior latet hic corruptela. Negativa enim sententia requiritur, ut supra §. 19. et h. l. bis, scil. „etiam si evitari non posset dolor." (3) e Cdd. G. 2. ∞ *sint* Ceteri. (4) — *etsi* Cdd. aliq. P. V. D. (5) — *summo* P. V. M. L. (6) Sic Sch. 2. ut *Lib.* 2, §. 35. — *Calliphoni* Ceteri. (7) — *Clitomachoque* L. solus. (8) — *in praesenti* L. solus. (9) Haec *Quoniam* - *doloris* suspecta Bremio, G. et Sch. 2. [ ]. *quando* G. tacite — *quadrant* pro *cadunt* L. in m. 1584. — *stabunt* D. susp.) (10) e Cdd. G. 2. ≐ *Carneadeam* Ceteri. (11) ∞ *rationes* L. C. (12) Sic e Gud. sec. (prob. G.) Sch. 2. — *dicat* Ceteri, quod defendi nequit, nisi legas *rationes*. (13) cum Cdd. Mars. G. 2. — *appellant* Ceteri. ∞ *appellat* D. susp. (14) Sic Cd. Bas. G. 2. = *est ipsa* P. Mars. Cr. — *ea ipsa est* V. M. L. D. 1. ∞ *re ipsa* (*reapse* §. 27.) D. susp. Mox: = *vita beata* cum Ven. 1494. G.

rum et malorum ab eo proficiscatur, quod dicimus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur: hoc totum et ii tollunt, qui[1] in rebus iis[2], in quibus nihil, [quod] aut[3] honestum, aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse: et Herillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilii capiendi causam inventionemque officii sustulit. Sic, exclusis sententiis reliquorum, quum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat necesse est. Ergo instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.

IX. 24. Omne animal se ipsum diligit, ac simul ut[4] ortum est, id agit, ut se[5] conservet, (quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet[6],) atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit[7]. Hanc initio constitutionem[8] confusam habet et incertam, ut tantummodo se tueatur, qualecunque sit. Sed nec quid sit, nec quid possit, nec quid ipsius natura sit, intelligit. Quum autem processit paullum, et, quatenus quidquid se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit, tum sensim incipit progredi seseque agnoscere, et intelligere, quam ob causam habeat[9] eum, quem diximus, animi appetitum: coeptatque et ea, quae naturae sentit apta[10], appetere, et propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. Ita finis bonorum exsistit, secundum naturam vivere, sic affectum, ut optime affici possit[11] ad naturamque accommodatissime. 25. Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est, finem quoque[12] omnium hunc esse, ut natura[13] expleatur. Nihil enim prohibet, quaedam esse et inter se animalibus reliquis, et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. Sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sunt, et sua cuique propria et ad id apta, quod cuiusque natura desiderat[14]. 26. Quare, quum dicimus, omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam vivere, non ita accipiendum est, quasi dicamus, unum esse omnium extremum: sed ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur[15], scientiam autem suam cuiusque artis esse: sic commune animalium omnium[16] secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas

---

(1) — *quae* Ern. 1. err. typ. (2) — *hi* - - *his* P. V. G. 2. (3) cum Cdd. D. Seqq. ∞ *nihil aut* L. prob. Lall. In Cd. Regio punctis notata erant v. *quod non.* Ego [ ]. — *nihil, quod non aut* P. V. M. (4) cum C1d. L. in m. 1584. Grut. 1. 2. ∞ *ac simul et* Cdd. multi. Iu. Cr. V. G. — *et simul atque* L. 1566. — *et simul ac* P. M. D. (5) — *se ut* Gud. prim. D. (6) Haec *quod* - - *conservet* D. [ ]. Insititia videntur Sch. v. *se ut conservet.* (7) — Haec *atque* - - *possit* suspecta Bremio. (8) ∞ *institutionem* Cdd. aliq. (Mo.) (9) Sic Ascens. L. D. 1. 2. — *habet* ortum e prava distinctione v. c. V. *intelligere: quam.* Defendunt G. et Bremi in *Philol. Beiträgen* p. 185. (10) Sic P. V. D. G. = *apta sentit* M. L. 1. 2. (11) — *possis* Ern. susp. (12) e Cdd. G. 2. — *quoque omnium finem* Cr. (errat G) — *quoque finem omnium* V. M. L. D. 1. (13) — *natura sua* Bremii susp. (14) — *sint* - - *desideret* e Spir. Erl. G. (15) ∞ *versentur* Erl. M. L. D. (16) — *omnium est* L. = *omn. comm. an.* P. = *an. comm. omn.* Ven. 1494. prob. G.

natura alit, auget, tuetur[1]: in quibus videmus, ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae[2] ad vivendum crescendumque valeant, et suo[3] genere perveniant ad extremum: ut iam liceat una comprehensione omnia complecti, *non dubitanterque[4] dicere, omnem naturam esse conservatricem[5] sui, idque habere propositum quasi finem et extremum, se ut custodiat in quam optimo[6] sui generis statu: ut necesse sit, omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere: quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente. 27. Haec igitur nobis explicanda sunt: sed si enodatius, vos ignoscetis. Huius enim aetati et huic, nunc hoc[7] primum fortasse audienti, servire debemus. Ita prorsus, inquam. Etsi ea quidem, quae adhuc dixisti, quamvis ad aetatem recte isto modo dicerentur.

X. Exposita igitur, inquit, terminatione rerum expetendarum, cur ista se res ita habeat, ut dixi, deinceps demonstrandum est. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum[8] posui. Quod idem reapse primum est, ut intelligamus, omne animal se ipsum diligere. Quod quamquam dubitationem non habet, (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditurque[9] suis cuiusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur;) tamen, ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. 28. Etsi qui potest intelligi, aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent[10] contrariae. Nam quum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus: quum id sua causa faciet, et oderit se, et simul diliget; quod fieri non potest. Necesse est quidem[11], si quis ipse sibi[12] inimicus est, eum[13], quae bona sunt, mala putare: bona contra, quae mala: et quae appetenda, fugere: et quae fugienda, appetere; quae sine dubio vitae sunt eversio. Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quaerant, aut[14], ut ille apud Terentium, qui decrevit *tantisper se minus iniuriae suo gnato*[15] *facere*, (ut ait) *ipse*[16] *dum fiat miser*, inimicus ipse sibi putandus est. 29. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate; iracundia etiam multi efferuntur, et quum in mala scientes irruunt[17], tum[18] se optime sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant[19],

Mihi sic usus est: tibi ut opus est facto, face:

velut, qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies, noctes torqueri

---

(1) cum Spir. Erl. G. 2. — *et tuetur* Ceteri. Paullo ante: — *his* V. (2) — *quo* de Davisii susp. Lall. (3) ∞ *et ut suo* probabilis Bremii susp. cfr. Beier *Offic.* T. 1. p. 24. (4) Sic G. €. — *non dubitantemque* Cdd. pleriq. V. D. — *non dubitemque* P. Cr. M. L. 1. 2. (5) ∞ *servatricem* cum Cdd. aliq. Cr. V. D. (6) Sic Cr. L. G. 2. — *quam in o.* Ceteri. (7) — *haec* Aldus nepos. D. (8) ∞ *modo* Cd. Stephani. (9) Sic Crat. L. G. 2. — *comprehenditur* Ceteri. (10) — *concurrerent* cum C2d. D. — *occurrent* Cd. Mo. (11) — *enim* L. (12) Sic Beier *Offic.* T. 1. p. 217. ut in fine huius §. Cfr. Ochsner *Eclog. Cic.* p. 34. — *ipsi sibi* e Cdd. G. 2. — *sibi ipsi* Ceteri, praeter Ern. 1., qui €.: — *sibi ipse.* (13) — *ea* P. Mars. (14) — *aut* D. [ ]. (15) = *nato* V. L. (16) Sic distinxi cum Bremio. — (*ut ait ipse*) *dum* Ceteri. (17) cum Cdd. Cr. V. Grut. Seqq. — *ruunt* P. M. L. (18) e C3d. G. 2. — *tamen* Ceteri. (19) Fortasse: ∞ *nec dubitanter.*

vellent, nec vero sese[1] ipsi accusarent ob eam causam, quod sese[2] male suis rebus[3] consuluisse dicerent. Eorum enim est haec[4] querela, qui sibi cari sunt, seseque diligunt. Quare, quotiescunque dicetur male de se quis[5] mereri, sibique esse inimicus atque hostis, vitam denique fugere: intelligatur aliquam subesse eiusmodi causam, ut ex eo ipso intelligi possit[6], sibi quemque esse carum. 30. Nec vero satis est id[7], neminem esse, qui ipse se oderit: sed illud quoque intelligendum est[8], neminem esse, qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis[9] rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores sumus[10], item in nobismet ipsis, quemadmodum affecti simus[11], nihil nostra arbitrabimur interesse.

XI. Atque etiam illud, si quis dicere velit, perabsurdum sit: ita diligi a sese quemque[12], ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese[13] diligat. Hoc quum in amicitiis, quum in officiis, quum in virtutibus dicitur, quomodocunque dicitur, intelligi tamen, quid dicatur, potest; in nobismet autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus[14]; propter nos enim illam, non propter eam nosmet ipsos diligimus. 31. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modo[15] carum sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? quis est enim, aut quotus quisque, cui, mors quum appropinquet, non[16]

— *refugiat timido sanguen atque exalbescat metu?*

Etsi hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere: (quod item est reprehendendum in dolore:). sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam[17] abhorrere: idque quo magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum est, haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica naturâ. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitae bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant, ne cum dolore[18] moriantur, idcireo mortem fugiant: in parvis[19] enim saepe, qui nihil

---

(1) ∽ *se* L. (2) ∽ *se* P. Cr. V. D. (3) Sic Cr. V. G. 2. cum Cdd. = *rebus suis* P. M. L. D. 1. (4) Sic Cr. V. M. L. G. = *haec est* P. D. 1. 2. (5) = *quis de se* Spir. Erl. (6) = *possit int.* M. L. 1. (7) Sic Cdd. aliq. P. Cr. V. D. = *id satis est* M. L. 1. 2. — del. *id* cum Cd. Bas. G. (8) — om. *est* Spir. prob. G. (9) — *his* P. V. (10) Sic L. D. — *simus* Ceteri. (11) — *sumus* e Cdd. G. cfr. Beier *Off.* T. 1. p. 52. (12) — *quemquam* M. L. (13) = *se* Cdd. aliq. Mars. (14) Sic M. E., ut videtur. Grut. D. 1. 2. idque in re incerta servavi, nisi quod pro horum *nobis*, cum optt. auctoritt. dedi *nobismet.* — *in nobismet* (*nobis* P.) *autem ipsis intelligi quidem propter aliam quampiam rem v. gr.; pr. v. nos amemus* omissis *ne* et *ut*, corrupte Cdd. P. Iu. Cr. (errat, ut solet, G.) V. (Cr. et V. (non Iu.) habent: *in nobismet ipsis autem.*) — *in nobismet autem ipsis intelligi qui potest*, *quod propter* cet. Marsus. Contra Latinitatem et barbarum h. l. est istud: — *quod - - amemus.* Recepit tamen G., et interpretando soloecismum commendavit. Non expressit hanc Marsi lectionem L., ut ait G., sed ita eandem correxit: — *in nobis ipsis autem intelligi qui potest*, *ut - - amemus.* (15) — *quam non m.* M. L. (16) — *non* cum seq. versiculo iungunt Edd. ante G. 2. (17) — om. *naturam* Cdd. aliq. (18) — *ne*, *quum d.* Mire G. (19) — *parvi* L. 1566., ut volebat D.

eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimescunt. Quin etiam ferae, inquit Pacuvius, quibus[1]

— *abest ad praecavendum intelligendi astutia*,

sibi[2] iniecto terrore mortis horrescunt. 32. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? qui, etiam[3] quum decreverit esse moriendum, tamen discessu a suis atque ipsa relinquenda luce moveatur. Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, quum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant: et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute: et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui, quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam *aucupio sagittarum*, *configebat*[4] *tardus celeres, stans volantes*[5], ut apud Attium est, pinnarumque[6] contextu corpori tegumenta faciebat. 33. De hominum genere, aut omnino de animalium loquor? quum arborum et stirpium eadem paene natura sit: sive enim, ut[7] doctissimis viris visum est, maior aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit; sive hoc ita fit fortuitu[8]: videmus[9] ea, quae terra gignit, corticibus et radicibus valida servari; quod contingit animalibus sensuum distributione et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re, quamquam assentior iis, qui haec omnia regi natura putant; quae si natura negligat, ipsa esse non possint: tamen[10] concedo, ut, qui de hoc dissentiunt, existiment[11] quod velint, ac[12] vel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me: nihil enim differt[13]. Nam prius a se poterit[14] quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Iure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt, et illum appetitum rerum ad naturam[15] accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, qui[16] continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

XII. 34. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est, sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura. Id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque constare, quum primae sint animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, et[17] ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis

---

(1) Sic (prob. G. in *Add.*) distinxi cum Bremio. — *quibus* cum versu iungunt Ceteri. Hinc v. *inquit Pacuvius* Nissenio suspecta G. [,]. del. Sch. 2. non consultis G. *Add.* (2) ∾ om. *sibi* Spir. Erl. (— *Terrore mortis iniecto horrescunt sibi* in marg. libri cuiusdam scriptum reperit Verburg.) (3) Sic Mars. Iu. Cr. G. 2. — *quin etiam* Ceteri. (4) — *aucupio. Sagittâ conf.* D. susp. (5) ∾ *volatiles* L. de Scalig. sententia. (6) — *pennarumque* V. L. Ceterum Attii versus ita constituit Hermannus *de Philoct.* p. 10.: *Vitam sagittarum aucupio propaginat. Configit tardus celeres, stans volatiles. Pro veste pinnis membra textis contegit.* Tertium servavit *Fragm.* Censorino subiectum C. 14., ubi est *contegit*, non *obtegit*, ut ait G. (7) Sic Cdd. optt. (etiam Mo.) D. G. — *sive, ut* Ceteri. (8) e Cdd. G. 2. = *fortuito* Ceteri. (9) cum Cdd. Mars. L. G. 2. — *videamus* Ceteri. (10) — *ita tamen* L. (11) — *vel exist.* L. Lall. (12) — om. *ac* L. Lall. (13) cum Cdd. P. Cr. G. 2. — *hoc differt* Ceteri. (14) cum Cdd. Cr. V. G. 2. — *poterit a se* P. M. L. D. 1. (15) Sic Cdd. (etiam Mo.) M. Seqq. — *a natura* Cd. Steph. P. Cr. — om. *ad naturam* Gud. sec. V. (16) — *quia* D. susp. (17) — om. *et* L. (— *videmus, esse ita* D. susp.)

quaedam vis rationis et cognitionis et scientiae virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, et cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. 35. Corporis igitur nostri partes, totaque figura et forma et statura, quam apta ad naturam sit, apparet: neque est[1] dubium, quin frons, oculi, aures et reliquae partes, quales propriae sunt[2] hominis, intelligatur. Sed certe opus est ea valere et vigere et[3] naturales motus ususque habere, ut nec absit quid eorum, nec aegrum, debilitatumve sit. Id enim natura desiderat. Est etiam actio[4] quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam, ac[5] motu, statuve deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro; fugere plane se ipse et exuens hominem ex homine[6] naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quaedam et flexi fractique motus, quales protervorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt: ut, etiam si animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. 36. Itaque e contrario moderati aequabilesque habitus, affectiones[7] ususque corporis apta[8] esse ad naturam videntur. Iam vero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi esse debet, ut et omnes partes suas[9] habeat incolumes, et de virtutibus nulla desit. Atqui[10] in sensibus est sua cuiusque virtus, ut ne quid impediat, quominus suo sensus quisque munere fungatur in iis[11] rebus celeriter expediteque percipiendis, quae subiectae sunt sensibus.

XIII. Animi autem et eius animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: unum earum, quae ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariae: alterum earum[12], quae, in voluntate positae, magis proprio nomine appellari[13] solent: quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur uno ingenii nomine: easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, et reliquas eiusdem generis. Et summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda; quibus quasi informatum est, quod[14] hominis natura postulet. 37. Ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo, et in corpore perfecta velimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se, et in his[15] esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores

(1) — *enim* Cdd. aliq. (prob. G.) (2) ∾ *sint* Edd. vett. nescio quae. (prob. Matthiae.) — *quam propriae sint h.* Nissenii susp. (prob. Sch.) (3) — om. *et* Grut. (4) cum Cdd. Man. in Ed. poster. Grut. Seqq. — *est enim a.* P. Cr. V. M. L. — *est autem actio etiam* Cd. Mo. Spir. Erl. (5) e Cdd. G. 2. — *aut* Ceteri. (6) cum Cdd. G. = *hominem ex h. exuens* Ceteri. (7) — *effectiones* M. (8) — *apti* cum Cdd. aliq. (etiam Mo.) D. (9) — om. *suas* Cdd. aliq. V. Grut. 1. (10) — *Atque* Spir. Erl. (11) — *his* V. (12) — *alterum autem earum* e Cdd. D. (13) — *proprie eo nomine a.* D. susp. — *m. p. n. virtutes a.* Sch. 2. C. Nihil opus, quum facillime e superioribus cogitatione suppleatur v. *virtutes*. (14) ∾ *quid* Eremii susp. (15) ∾ *iis* M. L. D. 1.

sint, et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus: in eoque summum bonum poni necesse est, quandoquidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, quum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte cari, partes quoque et corporis, et animi, et earum rerum, quae sunt in utriusque motu et statu, sua caritate[1] colantur et per se ipsae appetantur. 38. Quibus expositis, facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent[2] dignitatis: ut optimae cuiusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet[3], ut animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae: quae quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura, et tuetur, quae aut sine animo sint[4], aut non[5] multo secus, earum summum bonum in corpore est: ut non inscite illud dictum videatur in sue, animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret[6].

XIV. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, in canibus, in equis[7]: in quibus non corporum solum, ut in suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis: ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur: quam etiam atque etiam explicandam[8] putant. 39. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam et perfectio est non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem, et mori dicimus; arboremque et novellam, et vetulam, et vigere[9], et senescere. Ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et apta quaedam ad naturam putare[10], et aliena; earumque augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, quo natura ferat, eo possint[11] ire: ut ipsae vites, si loqui possint[12], ita se tractandas tuendasque[13] esse fateantur: et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus. In ipsa enim parum magna vis est, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. 40. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat, et per se ipsam[14] moveatur, quid facturam putas? an ea, quae per vinitorem antea consequebatur, per[15] se ipsam[16] curabit? Sed videsne accessuram ei curam,

---

(1) — *sua et car.* Spir. Erl. (2) — *habeant* Ern. susp. (3) — *fit* C1d. Davisii. P. prob. D. (4) — *sunt* Ern. E. (5) — om. *non* Cd. Steph. P. V. (6) e Nonio de L. sententia Grut. 1. G. 2. — *animum - - datum - - putresceret* Cdd. Edd. ante Grut. Item D. Lall. (7) cum Cdd. Cr. G. 2. — *ut in c., in e.* Cdd. aliq. V. — *ut in c., ut in e.* P. M. L. D. 1. (8) ∾ *quae - - explicanda* cum Cdd. aliq. D. (9) — *vivere* Ern. 1. err. typogr. (*vigere* habet etiam Davis. 1741.) (10) Sic Margo Crat. prob. Morello. L. G. 2. — *aptare* Cdd. aliq. Cr. V. M. D. 1. — *amputareque* Cdd. aliq. P. (non Victorius, ut ait G.) — *aptare et aliena amputare* M. In eandem susp. incidit Lall. (11) de D. susp. Ern. 1. 2. — *possit* Ceteri. (— *feratur*, *possit* altera Ern. susp.) (12) — *possent* Cdd. aliq. P. V. D. (13) — *tutandasque* Cd. Vindob. (14) cum Cdd. P. G. 2. — *ipsa* Cr. V. M. L. D. 1. (15) cum Cdd. P. Ven. 1494. Ascens. Cr. D. G. 2. — *et per* V. 1. — *etiam per* M. L. (16) cum Cdd. P. V. M. L. D. G. 2. — *ipsa* Cr. Ern. 1.

ut sensus quoque suos, eorumque omnium[1] appetitum, et, si qua sint[2] ei membra adiuncta[3], tueatur? Sic ad illa, quae semper habuit, iunget ea, quae postea accesserint: nec eundem finem habebit, quem cultor eius habebat: sed volet secundum eam naturam, quae postea ei adiuncta sit, vivere. Ita similis erit *ei finis boni[4], atque antea fuerat, neque[5] idem tamen. Non enim iam stirpis bonum quaeret, sed animalis. Quod si[6] non sensus modo ei sit datus, verum etiam animus, et animus hominis[7]; non necesse est, et illa pristina manere, *ut tuenda sint, et haec multo[8] esse cariora, quae accesserint, animique optimam quamque partem carissimam; in eaque expletione naturae summi[9] boni finem consistere, quum longe multumque praestet mens atque ratio? Sic [et[10]] extremum omnium appetendorum atque[11] ductum a prima *commendatione[12] naturae, multis gradibus adscendit, ut ad summum perveniret; quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.

XV. 41. Quum igitur ea sit, quam exposui, forma naturae; si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, se[13] quisque cognosceret iudicareque posset, quae vis et totius esset naturae, et partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, summum et ultimum, nec ulla in re peccare posset. Nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est[14], nec perspici, nec cognosci potest. Progredientibus autem aetatibus, sensim, tardeve potius, quasi nosmet ipsos cognoscimus. Itaque illa prima commendatio, quae a natura nostri facta est nobis, incerta et obscura est[15]: primusque appetitus ille animi tantum agit[16], ut salvi atque integri esse possimus. Quum autem dispicere coepimus[17] et sentire, quid simus et quid

---

(1) ∞ *omnem* Cd. Mo. Spir. Erl. Placet. (2) ∞ *sunt* Gud. sec. P. M. L. (3) Variat sedes v. *membra* in Cdd. Edd. vett. (= *ei adi. membra* Cr.) Hinc ∞ del. *membra* G. E. (4) Sic G. E. — *Ita similis erit et finis b.* P. Cr. V. Grut. Sch. 2., ut solet *ei* in *et* corrumpi. — *ita similis erit f. b.* M. L. — *ita et similis erit f. b.* cum Cdd. D. — *ita et similis erit et finis b.* Ern. 1. err. typogr. (5) Sic P. V. D. G. 2. = *nec* M. L. 1. (6) — *Quid? si* e Spir. Erl. G. contra loci sensum. (7) Sic Cd. Stephani, et Victorius. Est eadem gradatio, qua §. 38. leonibus cet. tribuuntur animorum aliqua ex parte motus. — *verum etiam animus hominis* Ceteri. Facile excidere poterat *et animus*. Nemo, ut opinor, inculcasset ex interpol. (8) Sic scripsi, una literula immutata in lect. Spir. Erl. *ut tuendas inter haec.* — *ut tuenda; et inter haec multo* Cr. V. M. Grut. Seqq. Sed *et* ignorant Cdd. omnes Goerenzii. item Steph. P. Iu. Nec *manere*, *ut tuenda* placere potest, unde factum, ut P. exhibeat: — *et tuenda.* Acute denique intellexit Bremius, vocabulum *inter* totius loci sensui repugnare. Quamquam obloquitur G., sed, ut solet, subtilius, quam verius. (— *ut tuenda*, *sit*, *et inter haec multo* (sic) L. nescio quo errore; sed probabiliter voluit is quoque: *ut tuenda sint; inter* tamen non delens.) (9) — *summum* Cdd. aliq. (10) ∞ *Sicque* Spir. (— *sitque extimum* Erl.) ∞ *et* del. censet G. Ego [ ]. (11) — om. *atque* L. prob. Ern. (12) Sic L. E. 1. G. 2. — *communitate* Cdd. aliq. P. V. M. D. — *commutatione* Cdd. aliq. (13) — *si* miro errore G. solus. Sed magis etiam mira ratione ridiculum errorem commendat. (14) — *nunc vero quod mirabiliter occulta n. est* Cd. Mo. (15) Sic Cdd. Mars. Cr. G. 2. itemque V. et D., nisi quod male distinguunt: — *facta est*, *nobis inc. et obsc. est.* — *facta est*, *nobis obscura et incerta est* P. M. L. 1. (16) — *tantum id agit* Ern. susp. prob. Bremio. Sed *agit h. l.* non est *operatur*, *efficit*, sed *incitat*, *eo ducit*. (17) e Cdd. Regg. Lall. 1. 2. — *coeperimus* Ceteri, etiam V. L. D. G.

animantibus[1] ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus. 42. Quam similitudinem videmus in bestiis; quae primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commovent: deinde suo quaeque appetitu movetur[2]: serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas[3] aculeis, suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem. Quae similitudo in genere etiam humano apparet. Parvi enim primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint: quum autem paullum firmitatis accesserit, et animo utuntur, et sensibus; connituntorque, ut sese erigant, et manibus utuntur[4]; et eos agnoscunt, a quibus educantur: deinde aequalibus delectantur, libenterque se cum his congregant, dantque se ad ludendum; fabellarumque auditione ducuntur; deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt; animadvertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere; et eorum, quos vident, volunt non ignorare[5] nomina; quibusque rebus[6] cum aequalibus decertant, si vicerint[7], efferunt se laetitia; victi debilitantur, animosque demittunt: quorum sine causa fieri nihil putandum est. 43. Est enim naturâ sic generata vis[8] hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque causam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur. Sunt enim prima elementa naturae; quibus auctis[9], virtutis quasi carmen[10] efficitur. Nam quum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid, et diligendi aliquos, et liberalitatis, et referendae gratiae principia in nobis contineremus, atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinem[11] aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos: non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam[12], quasi deum, ducem subsequens, ad naturae perveniat extremum. Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi[13] per caliginem cernitur. Quum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem[14] naturae vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tamen inchoata.

XVI. 44. Intrandum est igitur in rerum naturam et penitus, quid ea postulet, pervidendum. Aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur[15], idcirco assignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos. Cognitio autem haec est una, ut vim nostri corporis animique norimus, sequamurque eam vitam, quae

---

(1) — *ab anim.* M. L. (2) — *moventur* cum C3d. D. (3) cum Cdd. et Nonio V. L. in m. 1584. D. Seqq. — *vespas* P. M. L. 1566. (4) Sic Cd. Bas. Iu. Cr. L., ut volebat Bremius. — *utantur* P. V. D. 1. G. 2. Sed ridiculum hoc „conniti, ut manibus utamur"; quoniam ea in re, ut omnes scimus, nisus nullus est, sed motus dumtaxat. (5) — *nolunt ignorare* Mars. (6) ∾ *de rebus* Mars. L. (probb. D. et Ern.) (7) Sic Spir. Erl. confirmantes Ern. susp. G. 2. — *vincunt* Ceteri. (8) — *vis* del. censebat D. prob. Ern., vel. leg. *omnis*, ut *natura* sit nominat. (9) — *actis* Cd. Mo. (10) — *germen* I. F. Gronovii susp. — *cacumen* D. susp. — *lumen* Nissenii susp. (11) cum Cdd. G. 2. — *fortitudinemque* Ceteri. (12) — *naturam* Beieri susp. *Offic.* T. 1. p. 301. (13) e Cdd. G. 2. — om. *quasi* Ceteri. (14) — *quidem ille* V. (15) — *ederetur* Th. Bentleii susp. — *traderetur* D. susp. — *natum* vel *ortum videretur* Ern. susp. Vide Moserum p. 14. cogitatione supplentem *praeceptum*, particip.

rebus[1] ipsis perfruatur[2]. Quoniam autem is animi appetitus a principio fuit, ut ea, quae dixi, quam perfectissima naturâ[3] haberemus: confitendum est, quum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi ultimo consistere naturam, atque id esse summum bonum: quod certe universum sua sponte ipsum expeti et propter se necesse est, quoniam ante demonstratum est, etiam singulas eius partes esse per se expetendas. 45. In enumerandis autem corporis commodis si quis praetermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus quaestio[4] differatur. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit, ad id, quod agimus, nihil interest. Si enim (ut mihi quidem videtur,) non explet[5] bona naturae voluptas, iure praetermissa est: † sin est in ea[6], quod quidam volunt, nihil impedit nostram hanc comprehensionem summi boni[7]. Quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis, neque eam constitutionem summi boni, quae est proposita[8], mutaverit.

XVII. 46. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est, ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturae. Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, ut non solum quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore, et in animo sua quaeque[9] vis sit, idcirco in his rebus summa[10] nostra sponte moveamur. Atque ut a corpore ordiar, videsne, ut, si qua[11] in membris prava, aut debilitata, aut imminuta sint, occultent homines? ut etiam contendant et elaborent[12], si efficere possint, ut aut non appareat corporis vitium, aut quam minimum appareat? multosque etiam dolores curationis causa[13] perferant? ut, si ipse usus membrorum non modo non maior, verum etiam minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam revertatur? Etenim, quum omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ipsos, necesse est eius etiam partes propter se expeti, quod universum propter se expetatur. 47. Quid? in[14] motu et in[15] statu corporis nihil inest[16], quod animadvertendum esse ipsa natura iudicet; quemadmodum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit? nihilne est in his rebus, quod dignum libero, aut indignum esse ducamus? Nonne odio dignos multos[17] putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturae legem et modum contempsisse? Et, quoniam haec deducuntur[18] de corpore, quid est, cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur?

---

(1) — del. *rebus* censebat Bremius. (2) — *perficiatur* Cdd. multi. (3) cum Cdd. G. 2. — *a natura* Ceteri. (4) ∞ *ea quaestio* Spir. Erl. Crat. Mox *his* P. V. G. (5) ∞ *Si enim est* – – *nec explet* de G. susp. Sch. 2. (6) Haec corrupta: ∞ *inter ea* Bremii susp. — *in eis* D. susp. — *si non est*, *quod* de G. susp. Sch. 2. (7) Turbant h. l. Cdd., e quorum erroribus dubitanter proponit G. vel: — *nihil impedit veram hanc esse nostram c.* vel: — *n. i. veram hanc esse c.* (8) — *praeposita* V. (9) — *quaedam* Ern. susp. — *cuiusque* Br. susp. (10) — del. *summa* L. probb. Ern. et Br. — *summe* Brutus. (11) = *si quae* e Cdd. G. (12) ∞ *laborent* Cd. Stephani. (13) = *cur. causa dol.* G. tacite. (14) — *quod in* Cdd. multi. Cr. V. (non P.) (15) — om. *in* L. (16) cum Cdd. optt. (etiam Mo.) M. G. ∞ *nihilne est* P. L. D. 1. 2. — *nihil interest* Cr. — *nihil non est* Cdd. aliq. V. Ceterum haec: *Quid?* – – *iudicet* D. [ ]. sine causa. (17) = *multos dignos* Cdd. aliq. Hinc G. vel leg.: — *multo*, vel *multos* del. censuit. Delevit Sch. 2. (18) Sic Cdd. Gruteri. P. Iu. Cr. Grut. Seqq. — *ducuntur* V. M. — *dicuntur* L.

Nam si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus: cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem sequamur? Et, si turpitudinem fugimus[1] in statu et motu corporis, quid est, cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valetudinem, vires, vacuitatem doloris non propter utilitatem solum, sed etiam ipsas propter se expetemus[2]. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura: quae tota perturbatur, si aut aegrum corpus est, aut dolet, aut caret viribus.

XVIII. 48. Videamus animi partes; quarum est adspectus[3] illustrior: quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturae. Tantus est igitur[4] innatus in nobis[5] cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi recurrant[6]? ut[7] aliquid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? qui ingeniis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem; omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos; et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? 49. Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse[8] videtur in iis[9], quae de Sirenum cantibus finxerit[10]. Neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur; ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem: (nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum)

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixe[11],
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
Nam nemo haec unquam est transvectus[12] *caerula cursu,*
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus[13],
Graecia quam Troiae divino numine vexit;
Omniaque e latis rerum[14] *vestigia terris.*

---

(1) Sic L. 1. 2. — *fugiamus* Ceteri, etiam G., qui defendit. (2) — *expetamus* M. L. (3) ∾ *conspectus* Spir. Erl. Margo Cr. (4) — *igitur est* M. L. (5) cum Cdd. Cr. V. Grut. Seqq. — *innatus nobis* P. — *innatus in omnibus* M. L. (6) Sic dedi ex optimo Cd. Mo. — *aut p. requirant* Cdd. aliq. P. Cr. V. — *ut p. requirant* M. L. D. 1. 2. Sed hoc ridiculum, pueros, etiam verberibus a discendo depulsos, Stoice prorsus *requirere*, quid? cur? quomodo? Languebit autem, si *desiderandi* significatum h. l. verbo *requirere* tribuas. Egregie contra: „pulsi quoque ad rerum contemplationem recurrunt." (7) Sic Cd. Mo. De G. susp. Sch. 2. — *et aliquid* Ceteri, etiam G. (8) — *indicasse* vel *prodidisse* D. suspp. (9) — *his* P. sicque editurus erat G., si operae paruissent. (10) — *finxit* Cdd. aliq. (11) e Cdd. G. 2. — *Ulyssem* - - *Ulysses* Ceteri praeter D., qui: *Ulixem* - - *Ulixes.* (12) = *travectus* Spir. Erl. (13) cum Cdd. V. Seqq. — *canemus* P. Crat. (14) — *regum* Cdd. pleriq. P. Crat.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur: scientiam pollicentur; quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse[1] cariorem. Atque omnia quidem scire, cuiuscunque modi sint[2], cupere curiosorum: duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum virorum est putandum.

XIX. 50. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quaedam describit attentius[3], ne patriam quidem captam esse senserit? quantum Aristoxeni ingenium[4] consumptum videmus in musicis? quo studio Aristophanem putamus aetatem in literis duxisse[5]? Quid de Pythagora? quid de Platone, aut de[6] Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas. Quae qui non vident, nihil unquam magna cognitione[7] dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia, quae dixi, non intelligunt idcirco esse[8] propter se expetenda, quod, nulla utilitate obiecta[9], delectentur animi atque ipsa scientia, etiam si incommodatura[10] sit, gaudeant. 51. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quaeramus a nobis, stellarum motus contemplationesque rerum caelestium, eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones, quemadmodum nos moveant: et quid historia delectet, quam solemus prosequi[11] usque ad extremum; praetermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia, non modo voluptatem. Quid? quum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla elici[12] potest, cum voluptate legimus? 52. Quid? quum volumus nomina[13] eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? Quid? quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique, delectantur[14] historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. Quocirca intelligi necesse est, in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur. 53. Ac veteres quidem philosophi, in beatorum insulis, fingunt, qualis *futura[15] sit vita sapientium, quos cura omni[16] liberatos, nullum necessarium vitae cultum, aut paratum[17] requirentes, nihil aliud acturos[18] putant, nisi ut omne tempus inquirendo[19] ac discendo in naturae cognitione consumant.

---

(1) cum Cdd. L. 1. G. 2. — om. *esse* P. Cr. V. M. D. (2) — *sunt* M. L. Grut. (3) — *attentus* Cdd. aliq. P. Cr. (4) — *ingenii* Cd. Mo. (5) — *traduxisse* L. susp. non recepta. (6) e Cdd. G. 2. — om. *de* Ceteri. (7) ∾ *magnum aut cogn.* D. susp. ∾ *magnum ac cogn.* Bremii susp. Idem post *vident* excidisse quaedam putat. (— *quae qui non vident magna*, *nihil unquam cogn.* Ern. susp. ∾ *quae qui rident* Nescio cuius €.) (8) cum Cdd. G. 2. — *ea esse* P. Cr. — *esse ea* V. M. L. D. 1. (9) — om. *obiecta* Cdd. aliq. (10) cum Cdd. L. in m. 1581. D. G. 2. — *incommoda datura* P. Cr. V. M. 1. — *incommoda allatura* L. 1566. (11) e Cod. Goerenzii, hoc prob., Sch. 2. — *persequi* Ceteri. G. praeterea volebat: — *quam quum sol.* (12) cum Cdd. G. 2. — *duci* Ceteri. — *dici* Cdd. aliq. (13) — *nomina* post *nobis esse* transponendum censet Sch. (14) Sic P. Cr. L. 1. G. 2. — *delectentur* V. M. Grut. D. (15) Sic de certissima €. Viri docti Sec. XVI. in marg. Lamb. meae, et Clerici, (probb. D. et Ern.) Lall. — *natura* sine sensu Cdd. Edd. ceterae. (16) — om. *omni* V. (17) — *apparatum* L. (18) cum optt. Cdd. G. — *esse acturos* Ceteri. (19) cum optt. Cdd. G. 2. — *in quaerendo* Ceteri.

Nos autem non solum beatae vitae istam esse[1] oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum. Itaque multi, quum in potestate essent hostium, aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exsilio, dolorem suum doctrinae studiis levaverunt. 54. Princeps huius civitatis Phalereus Demetrius, quum patria[2] pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandriam[3] contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor; multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus: sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Equidem e Cn. Aufidio, praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, quum se lucis magis, quam utilitatis[4] desiderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi requietem corporibus[5] et medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. Aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque, si aut requietem natura non quaereret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur[6]; qui etiam nunc agendi aliquid discendique causa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

XX. 55. Sunt autem etiam[7] clariora, vel plane perspicua, nec dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est hoc[8] cernere in primis puerorum aetatulis. Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar, tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, qui[9] in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluntatem[10] posse cognoscere. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint. Quum vero paullum processerint[11], lusionibus vel laboriosis delectantur[12], ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eaque cupiditas agendi aliquid adolescit una cum aetatibus[13]. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus[14] dari: idque si accidat, mortis instar putemus. 56. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia[15] praeditos, videmus tamen et corpore, et animo[16] moveri semper, et, quum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere, aut quaerere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: quumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et sessiunculas[17] consectari. Ne bestiae quidem, quas delectationis causa concludimus, quum

(1) cum Cdd. L. G. 2. — om. *esse* P. V. M. D. 1. (2) — *e patria* L. (3) = *Alexandream* Spir. Erl. (4) Quid, quaeso, hoc? quaenam oppositio inter lucem, et utilitatem? cuius denique *utilitatis* desiderium intelligit? Equidem suspicor: *quam consulatus desiderio.* Aufidius praetorius, nisi caecus fuisset, consulatum adepturus erat; sed non tam maerebat, hanc spem sibi ereptam esse, quam quod oculis captus studiis vacare libere non posset. (5) — *corporis* P. Cr. (6) — *facile nos eo carere pateremur* ex interpol. L. (7) e Cdd. G. 2. — *et* P. Crat. — om. *etiam* V. M. L. D. 1. (8) — *haec* M. L. 1. (9) cum Cdd. G. — *quod - - arbitrentur* P. Cr. M. L. D. 1. 2. — *quod - - arbitrantur* Cdd. aliq. V. (10) cum Cdd. L. D. 1. G. 2. — *voluptatem* P. V. M. (11) — *processerint aetate.* Quidam apud L. Non recepit. (12) — *delectentur* Ern. E. 1., ut Oix. (13) ∞ *aetatula* Cd. Ursini. (14) Sic non primus Lambinus, sed Iu. Cr. V. Seqq. — *nolimus* P. (15) — *segnitia* vel *segnitie* Cdd. aliq. (Mo.) P. Cr. (16) cum Cdd. (Mo.) Cr. V. G. 2. = *et animo, et corp.* P. M. L. D. 1. (17) Sic Cdd. optimi (Spir. Erl. Mo. alii.) D. Lall. 1. 2. ∞ *semicirculos* Ceteri. Speciose h. l.

copiosius alantur, quam si essent liberae, facile patiuntur sese contineri; motusque solutos et vagos a natura sibi tributos requirunt. 57. Itaque, ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt: aut, qui altiore animo sunt, capessunt rem publicam honoribus imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinae conferunt. Qua in vita tantum abest, ut voluptates consectentur, etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt: optimaque parte hominis, quae in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quae sunt ab antiquis repertae, aut investigationem novarum: quo studio quum satiari non possunt[1], omnium ceterarum rerum obliti, nihil abiectum, nihil humile cogitant: tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt, tamen in rebus[2] quaerendis explicandisque naturis aetates conterere videamus.

XXI. 58. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos. Actionum autem genera plura, ut obscurentur etiam minora maioribus. Maximae autem sunt, primum, ut mihi quidem videtur et his[3], quorum nunc in ratione versamur, consideratio cognitioque[4] rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et latentes indagare ratio potest: deinde rerum publicarum administratio, aut administrandi scientia: tum prudens[5], temperata, fortis et iusta ratio, reliquaeque virtutes et actiones virtutibus congruentes; quae uno verbo complexi omnia, honesta dicimus: ad quorum et[6] cognitionem et usum, iam[7] corroborati, natura ipsa praeeunte, deducimur. Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa[8] augentur: nec sine causa; in primo enim ortu inest teneritas[9] et mollities quaedam, ut nec res videre optimas[10], nec agere possint. Virtutis enim beataeque vitae, quae duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet: multo etiam serius, ut plane, qualia sint, intelligantur. Praeclare enim Plato: *Beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit!* Quare, quoniam de primis naturae commodis[11] satis dictum est, nunc de maioribus consequentibusque videamus. 59. Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit, et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret[12]; neque sane multum adiumentis externis et adventiciis uteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus. Sensibus enim ornavit ad res percipiendas

---

defendit G., sed equidem ego suspicioni resistere non potui, ortum esse hoc vocab., aeque ἅπαξ λεγόμενον hoc sensu, atque alterum *sessiuncula*, e stupiditate librariorum, qui *circulos* pro figuris mathematicis haberent.

(1) — *possint* Mars. Ern. 1. (2) ∾ *rerum* D. susp. prob. Ern. (— *in qu. rerum expl. n.* G. susp.) (3) ∾ *iis* M. L. D. 1. (4) Sic M. L. D. 1. ∾ *cognitiove* Iu. Cr. V. G. 2. cfr. Beier *Offic.* T. 1. p. 304. — *cogitatiove* Cd. Mo. — *cognitione* P. — *cogitatione* Cd. Scaligeri, ipso prob., nisi apud Grut. error est typogr. pro lect. Cd. Mo. (5) Sic Cdd. aliq., etiam Mo. (prob. Mar.) D. Lall. G. 2. — *aut administrandi sciendique prudens* Ceteri, etiam L. 1. (6) cum Cdd. G. 2. — *etiam* Ceteri. (7) — om. *iam* V. (8) — *usu* L. (9) Sic Cr. V. L. D. 1. 2. — *temeritas* Cdd. aliq. P. G. sed vide Sch. (10) — *homines* Ern. mira susp. (11) — suspectum Ern. v. *commodis*. (12) — *effingeret* G. susp.

idoneis, ut nihil, aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem[1] indigeret. Quod autem in homine praestantissimum atque optimum est, id deseruit. Etsi dedit talem mentem, quae omnem virtutem[2] accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum, et quasi instituit docere, et induxit in ea, quae inerant, tamquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit: nihil amplius. 60. Itaque nostrum est[3], (quod nostrum dico, artis est,) ad ea principia, quae accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum: quod quidem pluris sit haud paullo, magisque ipsum propter se expetendum, quam aut sensus, aut corporis ea, quae diximus: quibus tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit, quid[4] intersit. Itaque omnis honos, omnis admiratio, omne studium ad virtutem et ad eas actiones, quae virtuti sunt consentaneae, refertur: eaque omnia, quae aut ita in animis sunt, aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur. Quorum omnium †quaeque[5] sint notitiae, quaeque[6] significentur rerum[7] vocabulis, quaeque cuiusque vis et natura sit, mox videbimus.

XXII. 61. Hoc autem loco tantum explicemus, haec, honesta quae dico, praeterquam quod nosmet ipsos diligamus, praeterea[8] suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri: in quibus, ut in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt[9]! quanta ipsa certamina! ut illi efferuntur laetitia, quum vicerint! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt[10], ut aequalium principes sint! quae memoria est in his bene merentium! quae referendae gratiae cupiditas! Atque ea[11] in optima quaque indole maxime apparent; in qua haec honesta, quae intelligimus, a natura tamquam[12] adumbrantur. 62. Sed haec in pueris[13]. In iis vero aetatibus, quae iam confirmatae sunt, quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis, et comprobatione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam, protervam[14] adolescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil intersit, non tamen diligat? quis Pullum Numitorium[15], Fregellanum, proditorem, quamquam rei publicae nostrae profuit, non odit? quis urbis conservatorem Codrum,

(1) Sic Cd. Stephani. Iu. Cr. V. — *conformationem* P. M. L. Seqq. Sed animus etiam ante *conformatus*, *confirmatione* tantum indiget ea, quam e sensibus idoneis acquirit ad actiones suas perficiendas. Idem prorsus sensus est §. 62. „aetatum, *quae iam confirmatae sunt*", et quando in Epp. dicit Tullius, se libros de Officiis conscripsisse ad M. filii *confirmationem*. Nimis saepe hoc v. alteri *conformatio* apud recentiores locum ut cederet, coactum est. Quid? quod e vulgata corrupta unice nata est Bremii suspicio pro *indigeret*, *indigerent* legentis, acute, immo necessario, si *conformationem* retineas. Obloquitur, ut solet, G. subtilius quam verius. (2) cum Cdd. 1. G. 2. — *virtutem iam* Ceteri. (3) Sic M. Є. L. Seqq. — *inchoavit. Nihil itaque* (*ita* P.) *amplius nostrum est* Priores. (4) — *quod* Cdd. aliq. (5) ∾ *quae* Matthiae susp. Recte, puto. (6) — *queisque* D. susp. probb. Ern. et Matth. Locum hoc non habet. Est h. l. pro *qualesque*, vel: et quibus rerum vocabulis significetur eorum οὐσία. (7) — *rerum* Ern. [ ]. (8) — om. *praeterea* Gud. sec. Spurium videbatur Ern. (9) — *sint* Spir. Erl. ∾ del. *sunt* G. Є. (10) — *ferunt* V. (11) — om. *ea* Ern. 1. err. typogr. (12) — om. *tamquam* V. (13) Sic Maisus, si fides Goerenzio. G. 2. — *in pueris expressa* Ceteri, nisi quod Ern. stolidum gloss. [ ]. (14) — *protervamque* Cd. Monac. (15) cum Cdd. 1. G. 2. — *Numitorem* Ceteri. (— *Fregellarum pr.* D. susp.)

quis Erechthei[1] filias non maxime laudat? cui Tubuli nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum[2] diligit? An obliviscimur, quanto opere in audiendo in[3] legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus? 63. Quid loquar[4] de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, quum illa dicuntur:

Ego sum Orestes.

contraque ab altero,

Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes!

Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique[5] regi: †*ambos ergo una vivere precamur*[6]: — quoties hoc agitur, * ecquandone[7], nisi admirationibus maximis? Nemo est igitur, quin[8] hanc affectionem animi probet atque laudet; qua non modo utilitas nulla quaeritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. 64. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae. Nos enim ad sacra Idaea accipienda[9] optimum virum delegimus; nos tutores misimus regibus; nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt; nostri consules regem inimicissimum, moenibus iam appropinquantem, monuerunt, a veneno ut[10] caveret; nostra in re publica et quae[11] per vim oblatum stuprum[12] voluntaria morte lueret, inventa est, et qui interficeret filiam, ne stupraretur: quae quidem omnia et innumerabilia praeterea, quis est, qui non intelligat, et eos, qui fecerint[13], dignitatis splendore ductos, immemores fuisse utilitatum suarum, nosque, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci?

XXIII. Quibus rebus expositis breviter[14], (nec enim sum copiam, quam potui, quia dubitatio in re nulla[15] erat, persecutus,) sed his rebus concluditur profecto, et virtutes omnes, et honestum illud, quod ex his virtutibus exoritur[16] et in his haeret, per se esse[17] expetendum. 65. In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre,

(1) — *Erichthei* V. M. L. (2) — *mortuum non* Cdd. aliq. Iu. Cr. M. L. (3) cum Cdd. V. Grut. Seqq. — om. hoc *in* P. Iu. Cr. M. L. (4) ∞ *loquor* (ut volebant Morgenstern, Matthiae, G. in Add.) Sch. 2. (5) — *haerentique* D. susp. (6) Sic corrupte Edd., nisi quod inde a Grut. *ambo.* — *ambo ergo sibi unam necem imprecantur* mala €. C1d. Reg. et marg. Pal. quarti. — *ambo ergo una necemur*, *precantur* D. susp. Ex immanibus Cdd. corruptelis haec elicuit G.: ∞ *ambo sic una enicarier precamur.* prob. Stieglitz *de Pacuvii Duloreste* p. 108. Ad sensum, recte; de verbis ambigimus. Praesertim *sic παρέλκει.* — *ambo sic una precamur; enicarier* Sch. 2., quasi haec esset G. €. (∞ *Quum autem etiam exitus ab utroque flagitatur, conturbato haerenteque rege: „Ambo ergo unam necem precamur:" quoties hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis?* Bremii susp., ingeniosa sane. Sed latet verum. Nec sine Cdd. auxilio quidquam profici potest.) (7) de D. susp. G. — *et quandone* (quod idem plane est ex perversa medii aevi scripturâ.) Cd. Gronovii. — *et quandove* Cdd. pleriq. P. Iu. Cr. (errat, ut solet, G.) V. — *quandove* (sine sensu.) M. L. D. 1. 2. (8) Cum Spir. Erl. G. — *qui non* Ceteri, etiam Sch. 2., qui leviores fortasse, sed tamen optimas, et e Cdd. desumptas Goerenzii emendationes nimis saepe neglexit. (9) — *concipienda* M. L. (10) — *sibi ut* ex interpol. L. (11) — *Lucretia et quae* Spir. Erl. P. — *Lucretia, quae* Cr. e gloss. (12) — *stuprum per vim obl.* L. solus. (13) — *fecerunt* M. L. D. 1. (non P. V.) (14) cum Cdd. P. Mars. G. 2. = *brev. expos.* Cr. V. M. L. D. 1. (15) — *nulla in re* Cdd. aliq. V. (16) — *quod his exoritur* C2d. prob. D. (17) cum Cdd. P. Cr. V. D. G. 2. = *esse per se* M. L. 1.

nec quod latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio[1] utilitatum et ipsa caritas generis humani: quae nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, et tota domus coniugio et stirpe coniungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus; tum[2] civibus, et iis, qui publice socii atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humanae, quae animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens, iustitia dicitur; cui sunt adiunctae[3] pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis eiusdem. Atque haec ita iustitiae propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia. 66. Nam, quum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam innatum[4] quasi civile atque populare, quod Graeci *πολιτικὸν* vocant: quidquid aget quaeque virtus, id a communitate et ea, quam exposui, caritate atque societate humana non abhorrebit: vicissimque iustitia, ut ipsa se fundet usu[5] in ceteras virtutes, sic illas expetet. Servari enim iustitia nisi a forti viro, nisi a sapiente, non potest. Qualis est igitur omnis haec[6], quam dico, conspiratio consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum: quandoquidem honestum, aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Quibus in rebus[7] vita consentiens virtutibusque respondens, recta et honesta et constans et naturae congruens existimari potest. 67. Atque haec coniunctio confusioque virtutum, tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam quum ita copulatae connexaeque sint[8], ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari: tamen proprium suum cuiusque munus est; ut fortitudo in laboribus periculisque cernatur[9]; temperantia in praetermittendis voluptatibus; prudentia in delectu bonorum et malorum; iustitia in suo cuique tribuendo. Quando[10] igitur inest in omni virtute cura quaedam quasi foras spectans, aliosque appetens atque complectens, exsistit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut cives, ut omnes denique (quando[11] unam societatem hominum esse volumus[12]) propter se expetendi sint. Atque eorum nihil est eius generis, ut sit in fine atque extremo bonorum. 68. Ita fit, ut duo genera propter se expetendorum reperiantur: unum, quod est in iis, quibus[13] completur illud extremum; quae sunt aut animi, aut corporis. Haec autem, quae sunt extrinsecus, id est, quae neque in animo insunt[14], neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui[15], ut

---

(1) — *communitas* Cdd aliq. (2) — cum Cdd. (Man. C.) L. Seqq. — *cum* Priores. (3) cum Cdd. P. Cr. V. D. G. 2. = *adiunctae sunt* M. L. Grut. 1. (4) ∞ *quoddam ingenitum* Spir. Erl. (Margo Cr.) (*quoddam innatum* Iu.) (5) ∞ om. *usu* Spir. Erl. (— *fundet se in* Erl.) (6) — om. *haec* V. (7) — *quibus rebus* Bremii et G. susp. In Add. G. opinionem mutavit. (8) cum Cdd. Cr. V. D. G. 2. — *sunt* P. Iu. M. L. 1. (Cd. Paris. om. *ut o. o. part. sint* prob. D., qui pro *quum ita* volebat: — *quum illae.*) (9) ∞ *cernitur* D. susp. (10) ∞ *quoniam* Cdd. aliq. (11) ∞ *quoniam* Erl. Utrumque hoc *quoniam* verum puto. (12) *volumus esse hominum* Iu. Crat. — *esse volumus hominum* Marso, nescio quam vere, et Cratandro, huic certe falso, tribuit G., cui in talibus nunquam est fidendum. Hunc tamen ordinem recepit Sch. 2., prob. Beier *Off.* T. I. p. 103. (13) Sic P. (ut volebant L. G.) Sch. 2. — *in quibus* Ceteri. (14) cum Cdd. Cr. V. D. G. 2. — *in animis sunt* P. — *in animo sunt* M. L. 1. (15) — Haec *ut liberi, ut prop.* om. Mars. Iu. prob. G.

ipsa patria, sunt illa[1] quidem sua sponte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt. Nec vero quisquam summum bonum assequi unquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

XXIV. 69. Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit, omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Hac videlicet ratione: quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis[2], quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis. Nam et amici cultus[3], et parentis †et[4] qui officio fungitur, in eo ipso prodest, quod, ita fungi officio, in recte factis est: quae sunt orta virtutibus. Quae quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura. Non perfecti autem homines, et tamen ingeniis excellentibus praediti, excitantur saepe gloria[5]: quae habet formam[6] honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque[7] absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent; quonam gaudio complerentur, quum tanto opere eius adumbrata opinione laetentur? 70. Quem enim deditum voluptatibus, quem[8] cupiditatum incendiis inflammatum, in iis[9] potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo, aut posteriorem Karthagine eversa? quem Tiberina decursio[10], festo illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, quum regem Persen captum adduceret, eodem flumine invectio[11]? 71. Age nunc, Luci noster, exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum: iam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sint beati: qui omnes motus fortunae mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos[12] fore intelligant, si in virtutis[13] certamen venerint. Illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine[14] illis possit beata vita exsistere[15]. Ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellae in radiis[16] solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem. 72. Atque hoc[17] ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum[18], sic nimis violentum est, nulla esse dicere. Qui enim sic disputant, obliti mihi videntur, quae ipsi †egerint[19] principia naturae.

---

(1) — *ista* G. susp. (2) — *quod iis*, *quae externa sunt*, *haec tuemur officia* Morelii susp. (— *his* V.) (3) — *cultor* Clerici susp. (4) — Hoc *et* [ ] G. del. Sch. 2. Sed, ut sexcenties, *et* est corruptum ex ∞ *ei*. — *et eius*, *qui off*. L. Є. Haec omnia *nam et amici* — *duce natura* Bremius delenda existimabat. Ceterum — *utentes sequuntur* Cdd. multi. P. V. — om. *tamquam* Cdd. aliq. (— *orta a virt*. L.) (5) cum Cdd. (Mo.) L. Seqq. — *spe gloriae* P. Cr. V. M. (6) — *speciem* Cd. Mo. e gloss. (7) cum Cdd. V. G. 2. — *et* Ceteri. (8) cum Cdd. Cr. G. 2. — om. *quem* Ceteri. (9) — *his* P. V. iidemque mox: — *corripuisset*. (10) cum Cdd. P. Cr. L. 1. G. 2. — *descensio* e Cdd. D. — *dissensio* V. (errat G.) M. Grut. (11) cum Spir. Erl. (uti susp. erat D.) G. 2. — *invectum* Cr. V. M. L. D. 1. — *invecto* Cdd. aliq. — *invento* P. (12) cum Cdd. L. G. 2. — *imbecilles* P. V. M. D. 1. (13) — *si cum virtutibus in* D. susp. (14) — *ut vel sine* G. susp. (15) ∞ *consistere* Cd. Mo. (16) cum Cdd. G. 2. — *radio* Ceteri. (17) cum Cdd. Grut. Seqq. — *haec* Priores, etiam V. L. (18) — *commoda* Cd. Steph. (19) ∞ *fecerint* L. Є. — *elegerint* Gruteri susp. — *dederint* D. susp. ∞ *iecerint* Gifanii susp. vera.

Tribuendum est igitur[1] his aliquid, dummodo, quantum tribuendum sit, intelligas. Est tamen[2] philosophi non tam gloriosa, quam vera quaerentis nec pro nihilo putare ea, quae secundum naturam illi ipsi gloriosi esse fatebantur, et videre tantam vim virtutis, tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita parva sint, ut nulla esse videantur. Haec[3] est nec[4] omnia spernentis praeter virtutem, et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio. Denique haec est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati suam quisque videri voluit afferre sententiam.

XXV. 73. Saepe ab Aristotele, a Theophrasto[5] mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia. Hoc uno captus Herillus scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis. Hoc unum Aristo tenuit. Praeter vitia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam, aut expetendam. Positum est a nostris in iis[6] rebus, quae secundum naturam essent, non dolere. Hoc Hieronymus summum bonum esse dixit. At vero Calliphon[7], et post eum Diodorus, quum alter voluptatem adamavisset, alter vacuitatem doloris, neuter honestate carere potuit, quae est a nostris laudata maxime. 74. Quin etiam ipsi voluptarii deverticula quaerunt, et virtutes habent in ore totos dies, voluptatemque primo dumtaxat expeti dicunt[8], deinde consuetudine[9] quasi alteram quandam[10] naturam effici; qua impulsi multa faciunt, nullam quaerentes voluptatem. Stoici restant. Hi quidem non unam aliquam, aut alteram [rem[11]] a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt. Atque, ut reliqui fures earum rerum, quas cleperunt[12], signa commutant, sic illi, ut sententiis nostris[13] pro suis uterentur, nomina, tamquam rerum notas, mutaverunt. Ita relinquitur sola haec disciplina, digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus[14], digna regibus. 75. Quae quum dixisset paullumque institisset, Quid est, inquit[15]; satisne vobis videor pro meo iure in vestris auribus

---

(1) cum Cdd. M. G. 2. = *ig. est* P. V. L. D. 1. (2) — *enim* D. susp. ∞ *autem* G. susp. (3) Sic M. L. Seqq. — *Hoc* Priores. (4) Sic L. in m. 1584. Grut. Seqq. — *non* Priores. (5) Sic P. V. Grut. Seqq. — *et Th.* Cr. M. L. (6) — *his* P. V. G. 2. (7) Sic Sch. 2. — *Callipho* Ceteri. (8) Sic verissime emendarunt L. et Ern., uterque eandem in Є. incidens. *quaerunt* saltem habet Cd. Ball. Saepenumero autem post *quin etiam*, hoc sensu usurpatum, et *ut* comparativum librarii indic. in coniunctivos mutarunt. — *quaerant* - - *habeant* - - *dicant* Ceteri. (*quaerunt*, *ut virt.* D. susp. — *quaerant*, *ut et virt.* G. susp. in Add.) (9) cum Cdd. P. Cr. V. D. Seqq. — *consuetudinem* M. 1555. L. (10) cum Spir. Erl. aliis Cdd. Cr. G. — om. *quandam* Ceteri. (11) ∞ *rem* de D. Є. inseruit G. Ego retinui cum [ ]. — om. Cdd. Edd. ceterae. — *sententiam* Lambinus, ∞ *partem* Bremius excidisse censuerunt. (12) — *ceperunt* Cdd. noti. Edd. omnes. praeter Lall. ∞ *clepserunt* in Cdd. aliq. exstare testatur Muretus *V. L.* 9, 19. Recepit Lall. Alteram tamen formam *cleperunt* merito commendavit Davisius et Hermann *de Aeschyli Philoct.* p. 8. Accedit, quod P. 1480. omittit verbum; id quod signo est, in Cd., quem expresserit, monstrum aliquod corruptionis extitisse. Vix dubitandum h. l. Cic. scripsisse *cleperunt*: non enim poterat dicere nec *furati sunt*, nec *rapuerunt*, nec *abstulerunt*, ideoque ut *de Rep.* p. 423. Mos. antiquiore v. usus est. (13) = *nostris sent.* V. (14) — om. *digna princ.* Cd. Mo. (15) — *Quid? inquit* Cd. Mo.

commentatus[1]? Et ego, Tu vero, inquam, Piso, ut saepe alias, sic hodie ita nosse ista[2] visus es, ut, si tui copia nobis semper[3] fieret, non multum Graecis supplicandum putarem. Quod quidem eo probavi magis, quia memini, Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane Peripateticum, aliquando ista secus dicere solitum, assentientem iis[4], qui multum in fortuna secunda, aut adversa, multum in bonis, aut malis corporis ponerent. Est ut dicis, inquit: sed haec ab Antiocho, nostro familiari[5], dicuntur multo melius et fortius, quam a Stasea dicebantur[6]. Quamquam ego non quaero, quid tibi a me probatum sit, sed huic Ciceroni nostro, quem discipulum cupio a te[7] abducere.

XXVI. 76. Tum Lucius, Mihi vero ista valde probata sunt: quod item fratri puto. Tum mihi Piso, Quid ergo? inquit, dasne adolescenti veniam? an eum discere ea mavis, quae quum praeclare didicerit[8], nihil sciat? Ego vero isti[9], inquam, permitto; sed nonne meministi, mihi licere probare ista, quae sunt a te[10] dicta? Quis enim potest ea, quae probabilia videantur ei[11], non probare? An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet[12]? Non est ista, inquam, Piso, magna dissensio. Nihil est enim[13], aliud, quamobrem mihi nihil percipi posse[14] videatur, nisi quod percipiendi vis ita definitur a Stoicis, ut negent quidquam posse percipi, nisi tale verum, quale falsum esse non possit. Itaque haec cum illis est dissensio, cum Peripateticis nulla sane. Sed haec omittamus; habent enim et bene longam, et satis litigiosam disputationem. 77. Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur, sapientes omnes esse semper[15] beatos. Nescio quo modo[16] praetervolavit oratio. Quod nisi ita[17] efficitur, quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam vitam nullo modo posse putavit, vereor ne vera sint.

---

(1) „Quidam legi volunt *commoratus.* Ego nihil muto, neque ullám causam video, cur quid mutetur." Lamb. Vere! Nam urbanissime hoc dicit Piso, quod ego rusticius sic explico: „Videorne vobis satis arroganter vestra abusus esse patientia, qui, quasi in cubiculo, omni arbitro remoto, commentatus, eadem negligentia coram vobis sententiam meam exposuerim, quum aequum fuisset apud vos elegantiore oratione uti? — Iam vide mihi miram G. interpretationem in Adnot., miram suspicionem in Add. *in* ante v. *vestris* del. esse, miras Sch. suspicc.: — *pro meo iure digna vestris auribus commentatus*, vel *satisne videor pro meo iure vestris auribus commendatus!* (2) cum Cdd. G. 2. = *ita ista nosse* Cr. V. M. L. D. 1. = *ista ita nosse* P. (3) ∾ *si tui nobis potestas saepius* Spir. Erl. Memorabilis lectio, probata G. et Sch. E suo Mo. affert: *si tui potestas. Saepius* tamen propter praecedens *ut saepe alias*, minus probo. (4) — *his* P. V. G. 2. (5) = *fam. nostro* Spir. Erl. Vien. Sch. 2. (6) Suspecta haec *quam - - dic.* Grutero. (7) — *ab te* Spir. Erl. Fuitne *abs te?* (8) — *plane perdidicit* Spir. — *plane perdiderit* Erl., unde G. dubia susp: *plane perdidicerit.* (9) — om. *isti* M. L. (— *inquam, isti* V.) (10) — *apte* Cdd. aliq. P. Ven. 1494. G. 2. Sed cum hac l. non coit *ista:* deberet esse: „omnia, quae sunt apte dicta"; vel: „ista quae sunt a te tam apte dicta." Sonum vero Goerenzianum tu noli curare. (11) Mirum hoc *ei* fortasse del. Gud. sec. et Bas. *ea* repetunt. ∾ *quis enim potest, quae probabilia videantur, ea non pr.* G. susp. in Add. (12) — *habeat* Ern. susp. Refutat Bremius in *Phil. Beyträg.* p. 185. (13) — *enim est* V. (14) cum Cdd. V. G. 2. = *nihil perc. mihi p.* Ceteri. (15) = *semper esse* V. (16) Sic Cd. Mo. P. Cr. M. L. Seqq. — *quo* Cdd. pleriq. V. (17) — *ita esse* de G. susp. Sch. 2.

Nam illud vehementer repugnat, eundem et[1] beatum esse, et multis malis oppressum. Haec quo modo conveniant, non sane intelligo. Utrum igitur tibi, inquit, non placet[2], virtutisne esse tantam vim[3], ut ad beate vivendum se ipsa contenta sit? an, si id probas, fieri ita[4] posse negas, ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam malis quibusdam affecti, beati sint? Ego vero volo in virtute vim esse quam maximam: sed, quanta sit, alias; nunc tantum, possitne esse tanta, si quidquam extra virtutem habeatur in bonis. 78. Atqui, inquit, si Stoicis concedis, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam, concedis etiam[5] Peripateticis. Quae enim mala illi non audent appellare, aspera autem, et incommoda et reiicienda et aliena naturae esse concedunt, ea nos mala dicimus, sed exigua et porro[6] minima. Quare si potest esse beatus is, qui est in asperis reiiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in parvis malis. Et ego, Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in causis videre soleat, quae res[7] agatur, is es profecto tu. Quare attende, quaeso. Nam adhuc, meo fortasse vitio, quid ego quaeram, non perspicis. Istic sum, inquit, exspectoque quid ad id, quod quaeram, respondeas.

XXVII. 79. Respondebo, me non quaerere, inquam, hoc tempore, quid virtus possit efficere[8], sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo igitur[9], inquit, modo? Quia, quum[10] a Zenone, inquam, hoc magnifice, tamquam ex oraculo, editur: „Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est": — Quare? inquit: — respondet: „Quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum." Non quaero iam, verumne sit: illud dico, ea, quae dicat, praeclare inter se cohaerere. 80. Dixerit hoc idem[11] Epicurus, semper beatum esse sapientem: — quod[12] quidem[13] solet ebullire nonnunquam; — quem quidem, quum summis doloribus conficiatur, ait dicturum, Quam suave est! quam nihil curo!: — non pugnem cum homine, cur[14] tantum habeat in natura boni[15]: illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit, quum dolorem summum malum esse dixerit. Eadem nunc mea adversum te oratio est. Dicis eadem omnia et bona, et mala, quae quidem dicunt, qui nunquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium: † deformitatem, morbum, debilitatem mala[16].

---

(1) — om. *et* V. (2) cum Spir. Erl. G. 2. — *non placet*, *inquit*. Ceteri. (3) cum Spir. Erl. G. = *virtutisne t. v. e.* Cr. — *virtutis e. t. v.* P. V. M. L. D. 1. 2. (4) cum iisd. G. 2. = *ita fieri* Ceteri. Mox: — *ut hi* P. V. (5) — *et conc. etiam* Cdd. aliq. P. V. (6) ∾ *et paene* Spir. Erl. Margo Cr. Placet. (7) ∾ *qua de re* L. Є. (8) = *eff. possit* Cdd. multi. P. (9) — om. *igitur* Cdd. aliq. (10) — *tum* G. Є. Mirum lenissimum hoc *ἀνακόλουθον* concoqui non potuisse a criticis. Unde factum, ut praeter hanc G. infelicem mutationem, Sch. de Bremii susp. pro *Quare? inquit* — rescripserit: *Quare? si quaeris, r.*, Ern. suspicatus sit: *quaerenti cur? r.*, G. vero in Add.: *quare? inquis, r.* (— *Responde* Ern. 1. err. typ.) (11) cum Cdd. Grut. 1. G. 2. — *quidem* Edd. ante Grut. — del. *idem* cum Cd. D. (12) — *qui* Cdd. pauci. P. Est ab iis, qui *ebullire* cum accusat. construi nescirent: unde etiam G. susp.: — *in quo quidem*. (13) — om. *hoc quidem* L. solus. (14) Latet hic corruptela. — *quum* Cd. Monac., ut volebat Nodell. — *cui* Cd. Bas. — *quo* G. mira susp. (15) ∾ *habeat natura boni* Bazalerius. Iu. (16) Sic Cdd. noti. Sed vel inserendum v. *bona* post v. *omnium* cum L. Є. 1. 2., vel del. *mala* cum G., qui [ ].

81. Iam illa externa, parce tu quidem: sed †haec quum corporis bona sint, eorum conficientia certe in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, divitias, honores, opes. Contra haec attende me [nihil] dicere[1]: si ista mala sunt, in quae potest incidere sapiens, sapientem esse, non esse ad beate vivendum satis. Immo vero, inquit, ad beatissime vivendum parum est: ad beate [vero[2]] satis. Animadverti, inquam, te isto modo paullo ante ponere: et scio, ab Antiocho nostro dici sic solere. Sed quid minus probandum, quam esse aliquem beatum, nec satis beatum? Quod autem satis est, eo quidquid accesserit, nimium est: et[3] nemo nimium beatus est, et nemo beato beatior. 82. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem, eosque salvos reliquit, et tres filias nuptas, quum ipse consul, censor, augur fuisset et triumphasset[4]; ut[5] sapiens fuerit, nonne beatior, quam, ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium vigiliis et inedia necatus est, Regulus?

XXVIII. 83. Quid me istud rogas, inquam? Stoicos roga. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas? Nihilo beatiorem esse Metellum, quam Regulum. Inde igitur, inquit, audiendum est. Tamen a proposito, inquam, aberramus[6]. Non enim, inquam, quaero, quid verum, sed quid cuique dicendum sit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem! iam ruinas videres. In virtute enim sola et in ipso honesto quum sit bonum positum, quumque nec virtus, ut placet illis, nec honestum crescat, idque bonum solum sit, quo qui potiatur, necesse est beatus sit, quum augeri id[7] non possit, in quo uno positum est beatum esse: quî potest esse quisquam alius alio beatior? Videsne, ut haec concinant? Et hercule (fatendum est enim, quod sentio,) mirabilis est apud illos contextus

---

(1) Locus difficilis; ex parte tamen sanatus a Lambino et Schuetzio. Scil. quum ille recte quidem ad sensum, sed nimis violenter edidisset: — *sed quum haec corporis*, *bona sint*, melius idem uno dumtaxat v. transposito proposuit: ∞ *sed haec corporis*, *quum bona sint;* deinde dele cum Sch. 2. *nihil* ante v. dicere. Iam sensus egregie sic procedit: Iam illorum externorum quasi pudore aliquo commotus, satis exiguum numerum recensuisti: est tamen is, verum si fateare, longe maior ac paene infinitus; nam praeterea si haec corporis (commoda) valetudo cet. revera bona sunt, adiungas oportet iisdem, et in bonis numeres ea, quae sunt eorum conficientia, amicos, - - opes. Sed hoc iam nihil moror. Missa facio innumerabilia ista bona externa. Potius contra haec (sequentia) attende me dicere. Iam vide corruptelas, collato etiam Beier *Offic.* T. 1. p. 103. G. sic dedit: — *sed haec*, *quum corporis bona sint eorum conficientia*, *certe in bonis numerabis*, sine sensu; tum post *nihil dicere*, in quo non haesitabat, inculcavit *sed*, et revera Gud. sec. Bas. habent ex simili errore: — *nihil dicere: sed ista.* — *corporis* del. censuit Br. — *sed haec*, *quum bonorum sint conficientia*, *certe - - numerabis* Sch. 2. E. Pro *nihil* Ern. non male volebat *non nihil;* sed praestat, puto, *nihil* cum Sch. 2. pro pravo gloss. habere. Nam quae ista omnino Latinitas: *attende me nihil dicere?* et, si vel maxime significat: „vide, quaeso, me nihil dicere"; repugnat sententiarum contextui! Vidit iam Lambinus, suspicatus: — *attende*, *an nihil videar dicere*. (2) ∞ om. *vero* Spir. Erl. Ego [ ]. (3) — *at* Bremii susp. (4) cum Cdd. G. 2. — *censor etiam augurque fuisset*, *et tr.* M. L. D. 1. — *censor etiam augur fuisset*, *tr.* Pr. — *censor esset*, *augur fuisset*, *tr.* Cr. V. (5) — *modo ut* L. E. (6) cum Cdd. D. Lall. G. 2. — *aberravimus* Ceteri. — *erramus* Pal. quart. prob. Grut. (7) cum Cdd. G. 2. = *id aug.* Ceteri.

rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus; quid sequatur, quid repugnet, vident. In geometria[1] prima si dederis, danda sunt omnia. Concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit: concedendum est, in virtute sola positam esse[2] beatam vitam. Vide rursus retro. Dato[3] hoc, dandum erit illud: quod vestri non item: 84. „tria genera bonorum." Proclivi[4] currit oratio: venit ad extremum; haeret in salebra: cupit enim dicere, Nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti. Honesta oratio, Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit[5]. Non potest, nisi retexueris illa: paupertas si malum est, mendicus esse beatus[6] nemo potest, quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est! Dolere, malum: in crucem qui agitur[7], beatus esse non potest. Bonum, liberi; miserum, orbitas: bonum, patria; miserum, exsilium: bonum, valetudo; miserum, morbus: bonum, integritas corporis; miserum, debilitas: bonum, incolumis acies; miserum[8], caecitas. Quae si potest singula consolando levare, universa quo modo sustinebit? Sit enim idem caecus, debilis, morbo gravissimo affectus, exsul, orbus, egens, torqueatur eculeo: quem hunc appellas, Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe; inquiet, quum tam docuerim, gradus istam rem non habere, quam virtutem, in qua sit ipsum etiam[9] beatum. 85. Tibi hoc incredibile, quia[10] beatissimum. Quid? tuum credibile[11]? si enim ad populum me vocas: eum, qui[12] ita sit affectus, beatum[13] nunquam probabis. Si ad prudentes: alterum fortasse dubitabunt, sitne tantum in virtute, ut ea praediti, vel in Phalaridis tauro beati sint: alterum non dubitabunt, quin et Stoici convenientia sibi dicant, et vos repugnantia. Theophrasti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Tamen aberramus a proposito: et, ne longius: prorsus, inquam, Piso, si ista mala sunt, placet. 86. Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala? Id quaeris[14], inquam, in quo, utrum respondero[15], verses te huc atque illuc necesse est. Quo tandem modo, inquit? Quia, si mala sunt, is, qui erit in his[16], beatus non erit. Si mala non sunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, Video, inquit, quid agas. Ne discipulum abducam, times. Tu vero, inquam, ducas[17] licet, si sequatur[18]. Erit enim mecum, si tecum erit.

---

(1) — *vident, et ut in geom.* L. €. (2) — om. *esse* V. (3) — *date* V. (4) cum Cdd. D. G. 2. (ut *Tusc.* 4, §. 42.) — *in proclivi* L. — *proclivis* P. — *proclivius* Cr. V. M. 1. (5) Turbati hic aliquid videtur latere. Leg. puto, ita ut ipsa oratio exhortetur philosophum, id ut dicat: ∾ *Aude dicere, inquit.* — *Audeo dicere, inquis.* Sch. €. 2. — *Honesta oratio, Socratica; Platonis etiam audeo dicere* Bremii susp. — *Honesta oratio, et Socratica; Platonis etiam audeo* (eam) *dicere, inquit* G. susp. Mox: ∾ *retexuerit* L. susp. (6) cum Cdd. G. = *beatus esse* Ceteri. (— *non potest* V.) (7) Sic Cd. Mo. Margo Cr. V. M. D. Seqq. — *in cruce qui angitur* Cdd. pleriq. P. Cr. L. (8) cum Cdd. Ern. 1. Seqq. — *misera* ter. ante v. fem. Ceteri. (9) cum Cdd. G. 2. = *etiam ipsum* Ceteri. (10) — *quia* del. putabat D. (11) Sic distinguunt M. L. G. 2. — *Quid tuum? credibile?* D. 1. (12) — *quia* Grut. 1. Soli ex meis; nescio quo errore. (13) — *beatum esse* Spir. Erl. (14) Sic M. L., ut volebat Ern. — *quaeres* Ceteri. (15) Sic L. € (ut volebant D. Ern.) Sch. 2. — *respondebo* Reliqui. Ceterum Cr. V. M. I. recte viderunt hanc non esse interrogationem. Recentiores D. 1. G. 2.: — *necesse est?* (16) — *iis* V. G. (17) — *abducas* Bas. Gud. sec. (18) ∾ *sequetur* Erl. Spir.

XXIX. Audi igitur, inquit, Luci: tecum enim, ut ait Theophrastus, mihi instituenda oratio est[1]. Omnis auctoritas philosophiae consistit in beata vita comparanda. Beate enim vivendi cupiditate incensi omnes sumus[2]. 87. Hoc mihi cum tuo fratre convenit. Quare hoc[3] videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum dare. Pollicetur certe. Nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos[4] Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros, ut, quum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret? cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (vere, falsone, † quaereremus[5]) dicitur oculis se privasse. Certe, ut quam minime[6] animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos: quid quaerens aliud, nisi beatam vitam? Quam si etiam[7] in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae consequi volebat, bono ut esset animo[8]. Ideo enim[9] ille summum bonum εὐθυμίαν et saepe ἀθαμβίαν[10] appellat, id est, animum terrore liberum[11]. 88. Sed haec etsi praeclare[12], nondum tamen † et perpolita[13]. Pauca enim, neque ea ipsa enucleate ab hoc, de virtute quidem, dicta. Post enim haec in hac urbe primum a Socrate quaeri coepta, deinde in hunc locum delata sunt. Nec dubitatum[14], quin in virtute omnis, ut bene, sic etiam beate vivendi spes poneretur. Quae quum Zeno didicisset a nostris: ut in actionibus praescribi[15] solet, † DE RE EADEM FECIT ALIO MODO[16]. Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis[17], inconstantiae crimen ille effugit, nos effugere non possumus! Ille Metelli vitam negat beatiorem, quam Reguli: praepo-

---

(1) Speciose e Gud. utroq. Bas. G. ∞ *est ratio* (— *ratio est* Sch. 2.) Sed debet esse haec imitatio primi statim versiculi libri Theophrastei, in quo, primo statim in initio, *λόγον* orationem potius, quam rationem, computum, significasse consentaneum est; nisi forte de Lamb. susp. recepta a Lall. ∞ v. *ut ait Theophrastus* collocanda sunt post seqq.: *Omnis auct. philosophiae.* Praeterea *instituere rationem* legere me non memini, pro *inire*, *subducere*, *conficere rationes.* (2) = *sumus omnes* Cr. V. L. (3) ∞ *hoc* G. [ ]. del. Sch. 2. (4) cum Cdd. P. Cr. V. D. G. 2. — *ceteros* M. L. 1. (5) Hoc corruptum. — *quaeremus* M. — *quaereremus* del. censent Victor. L. Bremius. ∞ *non quaeremus* D. susp. ∞ *vere, falso*, *ne quaeramus* G. susp. (6) — *minimum* L. susp. (7) — *etiam si* L. (8) cum Spir. Erl. G. 2. — *ut esset bono a*, Ceteri. (9) cum Spir. Erl. G. 2. — *Id enim* Ceteri. (10) cum Cdd. Iac. Gronov. 1692. D. Seqq. — *ἀκακίαν* Cr. V. — *ἀταραξίαν* L. Ed. Oxon. (11) — Haec *id* - - *lib.* suspecta Man. (12) ∞ *praeclara* L. in m. 1584. De Bremii C. Sch. 2. (13) ∞ *n. tamen perpolita* L. 1566. Sch. 2. Recte, nisi excidit voc. ante *et*. (14) cum Cdd. Grut. Seqq. — *dubium* Cd. Mo. — *dubitant* P. Cr. V. M. (15) Sic iam P. Cr. V. L. Grut. Seqq. — *perscribi* Cdd. aliq. M. (16) Mancus locus potius, quam corruptus. Scil. ubi legitimae formulae memineris, ab inscriptt. servatae (v. c. Grut. 443, 6.) statim videbis ante *fecit* excidisse *verba*. Scribebant per notas: *V. F. fecit* expletum est; alteram literam ab *M.* praecedente absorptam neglexerunt. ∞ del. *fecit* de Man. sententia Ern. 1. G. 2. Sed in l. simili *ad Div.* 13, 27. verbis *verba fecit* omnino locus non erat. ∞ *egit* pro *fecit* V. D. in marg. L. meae, et D. susp. recepta a Lall. — *dixit* L. 1566. (17) ∞ *immutatis* Sch. 2. tacite, ut ex Gud. utriusq. corruptela *imitatis* volebat G.

nendam tamen: nec magis expetendam, sed magis sumendam: et, si optio esset, eligendam Metelli, Reguli reiiciendam[1]. Ego, quam ille praeponendam et magis eligendam, beatiorem hanc appello: nec ullo minimo[2] momento plus ei vitae tribuo, quam Stoici. 89. Quid interest, nisi quod ego res notas notis verbis appello: illi nomina nova quaerunt, quibus idem dicant? Ita quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet: sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quidquid secundum naturam est; quod contra, malum: nec ego solus; sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi: in schola desinis[3]. Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putas[4] oportere, [quanti quidque[5] sit?] aliter doctos, et indoctos? Sed quum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit, — si homines essent, usitate loquerentur[6]: — dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.

XXX. 90. Sed venio ad inconstantiae crimen, ne saepius dicas, me aberrare: quam tu ponis in verbis; ego positam in re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos[7] habemus, tantam vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem: quum omnia, quae illi commoda certe dicunt esse, et sumenda et eligenda et praeposita: (quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint:) haec igitur quum ego tot nominibus a Stoicis appellata, partim novis et commenticiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus: (quid enim interest, expetas, an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur, et ad quod delectus adhibetur:) sed, quum ego ista omnia, bona[8] dixero, tantum refert quam magna dicam: quum[9] expetenda, quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda, nec illa pluris aestimanda ego[10], qui bona, quam tu, qui producta appellas: omnia ista necesse est obscurari, nec apparere, et in virtutis[11], tamquam in solis, radios incurrere. 91. At enim, qua in vita est aliquid mali, ea beata esse[12] non potest. Ne seges quidem igitur[13] spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam[14] videris: nec mercatura quaestuosa, si in maximis lucris † parum[15] aliquid damni contraxerit. An hoc usquequaque aliter in vita, et non ex maxima[16] parte de tota iudicabis? an dubium est, quin virtus ita ma-

---

(1) cum Cdd. P. Cr. V. G. 2. = *reiic. Reg.* M. L. D. 1. (2) ∞ *nec ullo omnino* Spir. Erl. prob. G. (3) cum Cdd. L. D. Lall. G. 2. — *definis* P. Cr. V. M. 1. (4) cum Spir. Erl. L. Sch. 2. — *putes* Ceteri. Mire interpungit G. — *quid ergo aliter h., aliter ph. loqui putes op.* (5) — *quicquid* Cdd. multi, P. V. Ceterum haec recte, puto, e *διττογραφίᾳ* seqq. orta, D. Ern. 1. [ ]. Del. Sch. 2. Defendit G. (— *oportere? quanti quidque sit, aliter docti et indocti.* e Cdd. L.) (6) — Haec quoque *si - - loquerentur* D. Ern. 1. [ ]. (7) — om. *optimos* Gud. uterque Bas. G. 2. [ ]. — *Stoicos adi. opt.* D. tacite. (8) cum Cdd. P. V. L. G. 2. — *ista bona omnia* M. D. 1. (9) cum Cdd. L. in m. 1584. Grut. Seqq. — *quam* Priores praeter Bazal., nisi quod L. 1566.: — *dicam, quam valde expet.* (10) = *ego pl. aestim.* V. (11) Sic Mars. Man. De D. C. Ern. 1. G. 2. — *virtutes* Ceteri. (12) cum Cdd. P. V. L. G. 2. = *esse beata* M. L. D. 1. (13) — *igitur est* G. C. sed sic nondum sanatus est locus. Excidit fortasse, *laetatur*, *laeta est.* (14) cum Cdd. P. Cr. V. M. L. C. — *ipsam* Grut. (15) ∞ *paullum* de Bremii C. Sch. 2. (— *parum aliquis* L. 1566.) ∞ *parvuli quid damni* G. susp. (16) — *An hoc aliter in vita? et non usquequaque et ex max.* L. 1566. Ipse postea improbavit.

ximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas[1] obruat? Audebo igitur[2], quae secundum naturam sint[3], bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, quam aliquid potius novum[4] exquirere, virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere. 92. Terram, mihi crede, ea lanx, et maria deprimet. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere. Ergo[5], si semel tristior[6] effectus est, hilara vita amissa est? At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellabant[7]. Nihil acciderat ei, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur, in mari[8] abiecerat. Ergo infelix unâ molestiâ: felix rursus, quum is ipse annulus in praecordiis piscis inventus est. Ille vero, si insipiens; (quod certe, quoniam tyrannus:) nunquam beatus: si sapiens; ne tum quidem miser, quum ab Oroete[9], praetore Darei[10], in crucem actus est. — At multis malis affectus. — Quis negat? sed ea mala virtutis magnitudine obruebantur.

XXXI. 93. An ne hoc quidem Peripateticis concedis, ut dicant, omnium virorum bonorum, id est, sapientium, omnibus[11] virtutibus ornatorum, vitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali? Quis hoc dicit? — Stoici scilicet. — Minime[12]: sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant, sapienti plus semper adesse, quod velit, quam quod nolit? Quum tantum igitur[13] in virtute ponant hi[14], qui se fatentur virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse: quid facere nos oportet, qui quamvis minimam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus[15], ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? quis est enim[16], qui hoc[17] cadere in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem in perpetuum abiiciat, ut dolore omni liberetur? quis nostrûm[18] dixerit, (quos non pudet ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere,) melius esse, turpiter aliquid facere cum voluptate, quam honeste cum dolore? 94. Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse videtur a Stoicis propter oculorum[19] dolorem. Quasi vero[20] hoc didicisset a Zenone, non dolere, quum doleret! Illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, et esset[21] ferendum viro. Hic si Peripateticus fuisset, permansisset, credo, in sententiâ, quoniam[22] dolorem dicunt malum esse. De asperitate autem

(1) — *reliqua* G. susp. (2) cum Cdd. P. M. L. D. Lall. G. 2. — *igitur cetera* Cr. V. Grut. 1. (3) cum Cdd. P. V. D. G. 2. — *sunt* M. L. 1. (4) — *potius quam aliquid* (*aliquod* L.) *novum* L. D. prob. Ern. (5) Spir. Erl. Cd. Mo. — *igitur* Ceteri. (6) — *tristis* Cr. V. (non P.) (7) cum Spir. Erl. G. 2. — *appellant* Ceteri. (8) cum Cdd. P. Iu. Cr. G. 2. — *in mare* V. M. L. D. 1. (— *abiecit*, V.) (9) de Victorii emend. L. Seqq. — *Oronte* Cdd. P. Cr. V. M. (10) cum Cdd. Iu. V. M. D. Seqq. = *Darii* P. L. (11) cum Spir. Erl. G. 2. — *omnibusque* Ceteri. (12) Sic L. E. Lall. G. 2. — *Stoicis licet? Minime* Ceteri. (M. iungit: *Stoicis licet minime.*, ut volebat Nissen.) (13) — om. *igitur* Cdd. aliq. V. (14) ∞ *ii* M. L. D. 1. (15) — *dicimus* L. (16) cum Cdd. G. 2. = *enim est* Ceteri. (17) cum Cdd. D. Seqq. — *haec* Priores. (18) — *vestrûm* L. solus. (19) — *genu* Cd. Mo. Volebat ∞ *renum*, ut est *Tusc.* 2, C. 24. (20) cum Cdd. L. Lall. 1. G. 2. — *quis vero* P. V. M. D. (— *qui vero* D. susp.) (21) — *et esse* de Man. susp. Lall. Ern. 1. (22) — *qui* Spir. Erl.

eius fortiter ferenda praecipiunt eadem, quae Stoici. Et quidem Arcesilas tuus, etsi fuit in disserendo pertinacior, tamen noster fuit; erat enim Polemonis. Is quum arderet podagrae doloribus, visitassetque[1] hominem *Corniades, Epicuri perfamiliaris, et tristis exiret: mane, quaeso, inquit, Corniade[2] noster: nihil illinc huc pervenit. Ostendit pedes et pectus. Ac tamen[3] hic mallet non dolere.

XXXII. 95. Haec igitur est nostra ratio, quae tibi videtur inconstans: quum propter virtutis caelestem quandam et divinam tantamque praestantiam, ut, ubi virtus sit resque magnae et summe laudabiles virtute gestae[4], ibi esse miseria et aerumna non possit, tamen labor possit, possit molestia[5]: non dubitem dicere, omnes sapientes semper beatos esse; sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior. Atqui iste locus est, Piso, tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam: quem si tenueris, non modo meum Ciceronem, sed etiam me ipsum abducas licebit. 96. Tum Quintus, Mihi quidem[6], inquit, satis hoc confirmatum videtur. Laetor[7] quidem, philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam, quam possessiones reliquorum, — ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem: — hanc igitur laetor etiam acutiorem repertam quam ceteras: quod quidam ei deesse dicebant. Non quam[8] nostram quidem! inquit[9] Pomponius iocans, sed mehercule pergrata mihi[10] oratio tua. Quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, verbis aptis[11]. Sed tempus est, si videtur: et rectâ quidem ad me. Quod quum ille dixisset, et satis disputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

---

(1) — *visissetque* L. solus. (2) Sic de optima D. susp. Sch. 2. — *Carneades* — *Carneade* Cdd. Edd. ante 2. (3) cum Spir. Erl. G. 2. = *Attamen* Ceteri. (4) cum Spir. Erl. (qui om. *et*) Mars. Crat. (quae *summe* habet, non *summae*, ut ait G.) G. 2. — *resque magnae sumendae laudabilesque v. g.* Ceteri, praeter L., qui: — *resque magnae*, *sumendae*, *laudabiles et v. g.* (5) cum Spir. Erl. G. 2. — *labor possit et mol.* Ceteri. (6) — *vero* Sch. E. 2. (7) — *laetorque* D. susp. ∞ *et laetor* de G. susp. Sch. 2. (8) cum Cdd. M. L. Seqq. — *Nunquam* Cdd. pleriq. P. Cr. V. (9) = *Pomponius inquit* cum Gud. prim. Mars. G. Vide Heindorf *ad N. Deor. p.* 16. (10) — *pergrata fuit mihi* L. solus. (11) Sensus est apertissimus; eundem Sch. E. 2. sua transpositione hominibus Germanis clariorem effecit: — *dicta sunt a te verbis aptis*, *nec* (scil. quod ad res ipsas pertinet) *minus plane*, *quam dicuntur a Graecis;* sed in ordine, quem Tullius ipse praetulit, magis elucet oppositio rerum ac verborum. Demiror non tam G. v. *verbis aptis* pro gloss. habuisse, quam summum Lambinum ipsum ita in his offendisse, ut E. ederet: — *nec minus plane*, *quam dicuntur a Graecis*, *nec verbis minus aptis.* Poterat sane sic scribere Cicero: sed, quum Pisonem laudans, ipse se laudaret, et modestiâ quadam, et intima quoque, ni magno opere fallor, veri conscientiâ ductus ab hac ὑπερβολῇ sese abstinuit. Quod autem Spir. Erl., (optimi Codices cum Palatino primo, Moreliano et Margine Cratandrina) hic turbant: — *plane verbis*, *quam dicuntur a Graecis aptis* vel casui tribui debet, vel perverso librariorum studio, verba confusa, ut primo adspectu videntur, (verbi causa ex interpunctione Iuntina: *nec minus plane*, *quam dicuntur a Graecis verbis aptis*) rectius ordinandi.

OBSERVATIONES IN ALIQUOT LIBRORUM DE FINIBUS LOCOS.

Lib. 1. §. 12. *explicatam esse his literis*] Doleo nunc, me non recepisse *libris*. Cfr. *Tuscul.* 3, §. 6.

Ibid. §. 25. *putant*] pro *putat* recepi maxime propter *Tuscul.* 4, §. 6. *multitudo contulit se — — sive quod invitabantur.*

Ibid. §. 68. *quosque labores*] *quos labores* tacite edidit Goerenz. Male profecto. Non sunt enim tria membra παραλλήλως posita: *quocirca* = *quosque* = *quaeque*; propter quam opinionem videtur ille delevisse prius *que*. Sed hoc membrum *Quaeque de virtutibus* novam sententiam vincit cum praecedente *Quocirca* — *voluptatem.* Quocirca punctum posui post v. *voluptatem.* Quamquam proprie aliquanto minor est distinctio; ea scilicet, quam Wolfius in *Tuscul.* et Goerenz haud incommode, dummodo constanter, sic notare solent: *voluptatem. quaeque.*

Lib. 2. §. 6. Verba *id est*, *quae res huic voci subiiciatur* ideo sine causa dixi et uncis inclusa et deleta esse ab editoribus quibusdam, quia iis omissis nimis exilis ac tenuis evadit clausula. Praeterea merito insistit ipsis illis Epicuri verbis *oportere exprimi*, *quae vis subiecta sit sensibus.* Si omnia, quae supervacanea videri possunt, illico delenda sunt, quid facias illis §. 11. *et maxima quidem*, „*qua fieri nulla maior potest.*" —?

Ibid. §. 12. *quod vestri quidem vel optime disputant.*] Εἰρωνεία parum perspecta partim ab Ern., qui volebat: *quod vestri quidam vel optimi d.*, partim a Matthiae (—, *quod vestri quidem vel optimi d.*), sed significata iam a Bremio et Goerenzio clarius exponi sic potest: nihil vestris quidem melius procedit, quam disputare, nihil opus esse philosopho scire literas; ipsius enim suae disputationis rusticanae et exilis conformatione id vel maxime probant, se, philosophos si Diis placet, literas plane nescire.

Ibid. §. 30. *appellat*, [*atque*] *quae duo sunt*, *unum facit*] Nimis humaniter toleravi malum illud supplementum Goerenzianum *atque*, etiam cum uncis. Prorsus est reiiciendum.

Ibid. §. 35. *Calliphontis*] Constantiae causa ubique scripsi *Calliphon*, *Calliphontis* (ut *Leon*, non *Leo*, *Xenophon* non *Xenopho*), ubi ceteri habent *Callipho*, *onis.* Cfr. *Tusc.* 5, §. 8. Priscian. 6, 6. p. 238. *Krehl.*

Ibid. §. 36. *dulce amarum; lene asperum; prope longe*, cet.] Mira accidet fortasse uni et alteri haec distinguendi ratio; eam tamen consulto secutus sum et hic, et alibi in similibus. Oppositio quidem est naturalis inter *dulce*, *amarum*, sed talis, ut ipsa positione elucescat: maior vero inter diversa illa membra παραλλήλως posita.

Ibid. §. 37. *Quam igitur pronuntiabit*] In falsa lectione *aequam* vera, ut opinor, latet: ∞ *ecquam.*

Ibid. §. 51. *philosophia omnino non egeremus*] Sic Lamb. Goerenz. Sch. Contra Dav. Ern. Bremius cum interrogandi signo. Hinc factum, ut Bremius *non* delendum censeret.

Ibid. §. 56. In Creuzeri lectione displicet inane et otiosum voc. *immani.* Itaque, si veri aliquid inest in ista *campa*, melius legas, vel simpliciter *cum campa*, vel, nimis exile quum hoc videatur: *etiam cum campa.* Verum ἐπέχω.

Ibid. §. 57. *si te amicus tuus moriens*] Omittit *tuus* Goerenz tacite.

Ibid. §. 67. *quoniam haec nos etiam tractare*] Goerenz, quum deleret *etiam* cum Gud. primo et Basileensi, peioris notae Cdd., parum huius loci sensum perspexit. Est scilicet: „nunc vero quoniam hunc philosophiae locum post Graecos nos etiam, qui sumus Romani, coepimus tractare, quot exempla e Romana historia petita suppeditare nobis poterit Atticus! Longe plura sane, quam Graeci possunt adducere."

Lib. 2. §. 116. Post v. *portam* videtur excidisse *Capenam*, ut est in loco simili *Tuscul.* 1, 17. Ad seqq. cfr. Fabretti *Inscriptt.* p. 461. a. 1.

Lib. 3. §. 18. *contra naturam, arbitramur.*] Speciosa sane est correctio Cd. Ursini, probata Davisio, ab Ernestio recepta: ∞ *arbitramur*, quum praecedat *adsciscendas arbitramur*, — ubi tamen Goerenz solus tacite, nescio consultone, an ex errore typographico, dedit item *arbitrantur*; nec male: — et *putamus*; magis etiam decipere potest Ursini lectio criticum eum, qui aures praebeat perversissimae Goerenzii interpretationi: „*nos* (Stoicos omnes) *arbitrantur* (ii, quorum auctoritatem sequimur.) Cur, quaeso, non vidit, v. *nos* significare non Stoicos, sed *homines omnes?* Verumtamen propter hanc ipsam significationem vocabuli *nos*, scribere non potuit *arbitramur;* quoniam *nos* tum significaret *Stoicos* solos, non *homines* universe. Itaque, etsi subita transitione facta, tertiam personam praetulit Tullius, uti saepissime hunc totum per librum v. c. §. 64. *censent.* §. 62. *arbitrantur.* Rursus §. 68. et 72., ubi recurrit eadem varietas *arbitramur.*

Ibid. §. 54. *qui aliter, contra:*] Scilicet v. *aliter* respondet alteri *ita*, verbum *contra* verbis *praepositum quiddam habebit ad finem.* Idcirco dixi satis perverse Marsum, Goerenz, Sch. edidisse: *aliter, qui contra.* Longus esse nusquam possum.

Lib. 4. §. 22. QVOD EIVS VIRTVTE] — *quidquam de eius virtute* edidit Lambinus 1566.

Ibid. §. 39. *esse volunt*] Ordinem hunc retinuit Schuetzius.

Ibid. §. 40. *quae extra virtutem sint*] *sunt* Lambinus. Exciderunt duae eius lectiones in varietate mea his in locis, casu nescio quo iniquo. Alias diligentissimum, spero, me reperies.

Ibid. §. 42. *omnia, propter quae virtutem ipsam viderant*] Non dubito fore Grammaticos, qui defendant Victorianam lectionem, *quae propter*, dicantque, me caecutiisse: elegantiam enim istam esse, a me non perceptam, ac dixisse *quem propter* Ciceronem ipsum in *Caeliana* §. 52. pro vulgari *propter quem.* Ita quidem, cum aliis fortasse, Stadelmann in *Programm. Dessaviensi* 1822. p. 13. At ubi locum ipsum inspexeris: *quem propter haec ipsa studia diligebat*, statim videbis *propter* ad v. *haec* pertinere, non ad v. *quem.* Nostro autem loco consulto ambiguitatem omnem vitasse existimandus est Tullius.

Ibid. §. 56. *e Phoenica*] sic dedi cum Goerenz. Aliis magis placebit *e Phoenice*, ut est *Philipp.* 11. §. 35. — *e Phoenicia* Grut. Ern. 1. Sch. 2. — *a Phoenicia* Dav. — *e Poenicia* Lamb., ut volebat etiam Ursinus.

Lib. 5. §. 4. *usu hoc venire*] Vides etiam hic, ut fere ubique, optimos libros Spir. Erl. verum praebere. *usu evenire* non magis Latinum esse, quam *usu contingere, accidere*, alibi iam observavi. Attamen de discrimine utriusque formulae, quarum altera debetur tantummodo librariis imperitis, integros nunc scribunt libros.

AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA ACADEMICOS LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

Romanianus ad philosophiam incitatur prooemio libri huius, in quo eius filius Licentius cum Trygetio per tres disputationes congreditur. Ille pro Academicis beatam vitam ipsa inquisitione veri, hic contra nonnisi veri comprehensione constare propugnat. Venit in contentionem definitio erroris, nec non definitio sapientiae, quae luculenter explicatur.

I. 1. O utinam, Romaniane, hominem sibi aptum ita vicissim virtus fortunae repugnanti posset auferre, ut ab ea sibi auferri neminem patitur! iam tibi profecto iniecisset manum, suique iuris te esse proclamans, et in bonorum certissimorum possessionem traducens, ne prosperis quidem casibus servire permitteret. Sed quoniam ita comparatum est, sive pro meritis nostris, sive pro necessitate naturae, ut divinum animum mortalibus inhaerentem, nequaquam sapientiae portus accipiat, ubi neque adversante fortunae flatu, neque secundante moveatur, nisi eo illum fortuna ipsa, vel secunda, vel quasi adversa perducat: nihil pro te nobis aliud quam vota restant, quibus ab illo, cui haec curae sunt, Deo, si possumus, impetremus, ut te tibi reddat; ita enim facile reddet et nobis, sinatque mentem illam tuam, quae respirationem iam diu parturit, aliquando in auras verae libertatis emergere. Etenim fortasse quae vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio et causa secreta est: nihilque seu commodi seu incommodi contingit in parte, quod non conveniat et non congruat universo. Quam sententiam uberrimarum doctrinarum oraculis editam remotamque longissime ab intellectu profanorum, se demonstraturam veris amatoribus suis, ad quam te invito, philosophia pollicetur. Quamobrem quum tibi tuo animo indigna multa accidunt, ne te ipse contemnas. Nam si divina providentia pertenditur usque ad nos, quod minime dubitandum est, mihi crede, sic tecum agi oportet ut agitur. Nam quum tanta, quantam semper admiror, indole tua, ab ineunte adolescentia, adhuc infirmo rationis

atque lapsante vestigio, humanam vitam errorum omnium plenissimam ingredereris, excepit te circumfluentia divitiarum, quae illam aetatem atque animum quae pulchra et honesta videbantur avide sequentem, illecebrosis coeperat absorbere gurgitibus, nisi inde te fortunae illi flatus, qui putantur adversi, eripuissent paene mergentem.

2. An vero, si edentem te munera[1] ursorum et nunquam ibi antea visa spectacula civibus nostris, theatricus plausus semper prosperrimus accepisset; si stultorum hominum, quorum immensa turba est, conflatis et consentientibus vocibus ferreris ad caelum; si nemo tibi auderet esse inimicus, si municipales tabulae te non solum civium, sed etiam vicinorum patronum aere signarent, collocarentur statuae, influerent honores, adderentur etiam potestates, quae municipalem habitum supercrescerent; conviviis quotidianis mensae opimae struerentur; quod cuique esset necesse, quod cuiusque etiam deliciae sitirent, indubitanter peteret; indubitanter hauriret, multa etiam non petentibus funderentur; resque ipsa familiaris diligenter a tuis fideliterque administrata, idoneam se tantis sumptibus paratamque praeberet; tu interea viveres in aedificiorum exquisitissimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris, quas honestas non respuit, in venatibus, in conviviis, in ore clientium, in ore civium, in ore denique populorum humanissimus, liberalissimus, mundissimus, fortunatissimus[2], ut fuisti, iactareris, quisquam tibi, Romaniane, beatae alterius vitae, quae sola beata est, quisquam, quaeso, mentionem facere auderet? quisquam tibi persuadere posset, non solum te felicem non esse, sed eo maxime miserum, quo tibi minime videreris? Nunc vero quam te breviter admonendum tot et tanta, quae pertulisti, adversa fecerunt! Non enim tibi alienis exemplis persuadendum est, quam fluxa et fragilia et plena calamitatum sint omnia, quae bona mortales putant, quum ita ex aliqua parte bene expertus sis, ut ex te ceteris persuadere possimus.

3. Illud ergo, illud tuum, quo semper decora et honesta desiderasti; quo te liberalem magis quam divitem esse maluisti; quo nunquam concupisti esse potentior quam iustior, nunquam adversitatibus improbitatibusque cessisti, illud ipsum, inquam, quod in te divinum nescio quo vitae huius somno veternoque sopitum est, variis illis durisque iactationibus secreta providentia excitare decrevit. Evigila, evigila, oro te; multum, mihi crede, gratulaberis, quod paene nullis prosperitatibus, quibus tenentur incauti, mundi huius tibi dona blandita sunt: quae me ipsum capere moliebantur quotidie ista cantantem, nisi me pectoris dolor ventosam professionem abiicere, et in philosophiae gremium confugere coëgisset. Ipsa me nunc in otio, quod vehementer optavimus, nutrit ac fovet: ipsa me penitus ab illa[3] superstitione, in quam te mecum praecipitem dederam, liberavit. Ipsa enim docet, et vere docet, nihil omnino colendum esse, totumque contemni oportere, quidquid mortalibus oculis cernitur, quidquid ullus sensus attingit. Ipsa verissimum et secretissimum Deum perspicue se demonstraturam promittit, et iam iamque quasi per lucidas nubes ostentare dignatur.

4. In hac mecum studiosissime vivit noster Licentius: ad eam totus a iuvenilibus illecebris voluptatibusque conversus est, ita ut eum non

temere patri audeam imitandum proponere. Philosophia est enim, a cuius uberibus se nulla aetas queretur excludi: ad quam avidius retinendam et hauriendam quo te incitarem, quamvis tuam sitim bene noverim, gustum tamen mittere volui, quem tibi suavissimum, et, ut ita dicam, inductorium fore, peto, ne frustra speraverim. Nam disputationem, quam inter se Trygetius et Licentius habuerunt, relatam in literas tibi misi. Illum enim quoque adolescentem, quasi ad detergendum fastidium disciplinarum, aliquantum sibi usurpasset militia, ita nobis magnarum honestarumque artium ardentissimum edacissimumque restituit. Pauculis igitur diebus transactis, posteaquam in agro vivere coepimus, quum eos ad studia hortans atque animans, ultra quam optaveram, paratos et prorsus inhiantes viderem, volui tentare pro aetate quid possent: praesertim quum Hortensius liber Ciceronis iam eos ex magna parte conciliasse philosophiae videretur. Adhibito itaque notario, ne aurae laborem nostrum discerperent, nihil perire permisi. Sane in hoc libro res et sententias illorum, mea vero et Alypii etiam verba lecturus es.

II. 5. Quum igitur omnes hortatu meo unum in locum ad hoc congregati essemus, ubi opportunum visum est: Numquidnam dubitatis, inquam, verum nos scire oportere? Minime, ait Trygetius, ceterique se vultu ipso approbasse significaverunt. Quid si, inquam, etiam non comprehenso vero beati esse possumus, necessariam veri comprehensionem arbitramini? Hic Alypius: Huius quaestionis, inquit, iudicem me tutius puto. Quum enim iter mihi in urbem sit constitutum, oportet me onere alicuius suscipiendae partis relevari; simul quod facilius iudicis partes, quam cuiusquam defensoris, cuipiam delegare possim. Quare dehinc pro alterutra parte ne a me quidquam exspectetis. Quod ei quum concessum esset ab omnibus, et ego rogationem repetissem: Beati certe, inquit Trygetius, esse volumus; et si ad hanc rem possumus absque veritate pervenire, quaerenda nobis veritas non est. Quid hoc ipsum, inquam? Existimatisne beatos nos esse posse, etiam non inventa veritate? Tunc Licentius: Possumus, inquit, si verum quaeramus. Hic quum ego ceterorum sententiam nutu flagitassem, Movet me, inquit Navigius, quod a Licentio dictum est. Potest enim fortasse hoc ipsum esse beate vivere, in veritatis inquisitione vivere. Defini ergo, ait Trygetius, quid sit beata vita, ut ex eo colligam quid respondere conveniat. Quid censes, inquam, esse aliud beate vivere, nisi secundum id, quod in homine optimum est, vivere? Temere, inquit, verba non fundam: nam id ipsum optimum quid sit, definiendum mihi abs te puto. Quis, inquam, dubitaverit, nihil aliud esse hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominanti obtemperare convenit cetera quaeque in homine sunt? Haec autem, ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest. Quod si tibi non videtur, quaere quomodo ipse definias vel beatam vitam, vel hominis optimum. Assentior, inquit.

6. Quid ergo, ut ad propositum, inquam, redeamus, videturne tibi non invento vero beate posse vivi, si tantum quaeratur? Repeto, inquit, sententiam illam meam: Minime videtur. Vos, inquam, quid

opinamini? Tum Licentius: Mihi prorsus, inquit, videtur: nam maiores nostri, quos sapientes beatosque accepimus, eo solo quod verum quaerebant, bene beateque vixerunt. Ago gratias, inquam, quod cum Alypio me iudicem fecistis, cui, fateor, invidere iam coeperam. Quoniam igitur alteri vestrûm videtur beatam vitam sola investigatione veritatis, alteri non nisi inventione posse contingere, Navigius autem paullo ante ostendit in tuam, Licenti, partem se velle transire, magno opere exspecto, quales sententiarum vestrarum patroni esse possitis. Res enim magna est et diligenti discussione dignissima. Si res magna est, ait Licentius, magnos viros desiderat. Noli quaerere, inquam, praesertim in hac villa, quod ubivis gentium reperire difficile est: sed potius explica, cur id, quod abs te non temere, ut opinor, prolatum est, et qua tibi ratione videatur; nam et maximae res quum a parvis quaeruntur, magnos eos solent efficere.

III. 7. Quoniam te, inquit, video magno opere nos urgere, ut adversum invicem disputemus, quod te utiliter velle confido: quaero, cur beatus esse non possit, qui verum quaerit, etiam si minime inveniat? Quia beatum, inquit Trygetius, volumus esse perfectum, in omnibus sapientem. Qui autem adhuc quaerit, perfectus non est. Hunc igitur quomodo adseras beatum, omnino non video. Et ille, Potest apud te, inquit, † [4] vivere auctoritas maiorum? Non omnium, inquit Trygetius. Quorum tandem? Ille, Eorum scilicet, qui sapientes fuerunt. Tum Licentius: Carneades, inquit, tibi sapiens non videtur? Ego, ait, Graecus non sum, nescio Carneades iste qui fuerit. Quid, inquit Licentius, de illo nostro Cicerone, quid tandem existimas? Hic quum diu tacuisset: Sapiens fuit, inquit. Et ille: Ergo eius de hac re sententia habet apud te aliquid ponderis? Habet, inquit. Accipe igitur quae sit, nam eam tibi excidisse arbitror. Placuit enim Ciceroni nostro, beatum esse qui veritatem investigat, etiam si ad eius inventionem non valeat pervenire. Ubi hoc, inquit, Cicero dixit? Et Licentius, Quis ignorat eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse, nihilque remanere sapienti, nisi diligentissimam inquisitionem veritatis; propterea quia, si incertis rebus esset assensus, etiam si fortasse verae forent, liberari ab errore non posset? quae maxima est culpa sapientis. Quamobrem si et sapientem necessario beatum esse credendum est, et veritatis sola inquisitio perfectum sapientiae munus est, quid dubitamus existimare beatam vitam, etiam per se ipsa investigatione veritatis posse contingere?

8. Tum ille, Licetne tandem ad ea, quae temere concessa sunt, redire rursum? Hic ego: Illi hoc non solent concedere, inquam, quos ad disputandum non inveniendi veri cupiditas, sed ingenii puerilis iactantia impellit. Itaque apud me, praesertim quum adhuc nutriendi educandique sitis, non solum conceditur, sed etiam in praeceptis habeatis volo, ad ea vos discutienda redire oportere, quae concesseritis incautius. Et Licentius: Non parvum in philosophia profectum puto, inquit, quum in comparatione recti verique inveniendi contemnitur a disputante victoria. Itaque libenter obsequor praeceptis et sententiae tuae, et Trygetium ad id, quod se temere concessisse arbitratur, (res enim mei

iuris est,) redire permitto. Tum Alypius: Suscepti a me officii nondum partes esse, vosmet ipsi mecum recognoscitis. Sed quoniam id iamdudum disposita profectio interrumpere me compellit, pro meo quoque munere geminatam sibi potestatem particeps mecum iudicii non renuet usque in reditum meum: video enim hoc vestrum certamen longius progressurum. Et quum discessit: Quid, inquit Licentius, temere concesseras, profer. Et ille, Temere dedi, inquit, Ciceronem fuisse sapientem. Ergone Cicero sapiens non fuit, a quo in Latina lingua philosophia et inchoata est et perfecta? Et si concedam, inquit, esse sapientem, non omnia tamen eius probo. Atqui oportet multa eius alia refellas, ut non impudenter hoc de quo agitur, improbare videaris. Quid? si hoc solum non recte sensisse illum affirmare paratus sum, vestra, ut opinor, nihil interest, nisi [5] cuius ponderis ad id quod volo asserendum, rationes afferam. Perge, inquit ille. Quid enim, inquit, audeam contra eum, qui se Ciceronis adversarium profitetur?

9. Hic Trygetius: Volo attendas, ait, tu iudex noster, quemadmodum superius beatam vitam definieris: dixisti namque eum beatum esse, qui secundum eam partem animi vivit, quam ceteris convenit imperare. Tu autem, Licenti, volo vel nunc mihi concedas, (iam enim libertate, in quam maxime nos vindicaturam se philosophia pollicetur, iugum illud auctoritatis excussi,) perfectum non esse qui adhuc veritatem requirat. Tum ille post diuturnum silentium: Non concedo, inquit. Et Trygetius: Cur, quaeso? explica. Istic sum enim, et aveo audire, quo pacto possit et perfectus homo esse, et adhuc quaerere veritatem. Hic ille: Qui ad finem, inquit, non pervenit, fateor, quod perfectus non sit. Veritatem autem illam solum Deum nosse arbitror, aut forte hominis animam, quum hoc corpus, hoc est, tenebrosum carcerem dereliquerit. Hominis autem finis est, perfecte quaerere veritatem: perfectum enim quaerimus, sed tamen hominem. Et Trygetius: Non igitur potest beatus esse homo. Quomodo enim, quum id, quod magno opere concupiscit, assequi nequeat? Potest autem homo beate vivere, siquidem potest secundum eam partem animi vivere, quam dominari in homine fas est. Potest igitur verum invenire. Aut colligat se, et non concupiscat verum, ne, quum id assequi non potuerit, necessario miser sit. At hoc ipsum est beatum hominis, ait ille, perfecte quaerere veritatem: hoc est enim pervenire ad finem, ultra quem non potest progredi. Quisquis ergo minus instanter quam oportet veritatem quaerit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantum, quantum homo potest ac debet, dat operam inveniendae veritati, is etiam si eam non inveniat, beatus est. Totum enim facit, quod ut faciat, ita natus est. Inventio autem si defuerit, id deerit, quod natura non dedit. Postremo quum hominem necesse sit aut beatum esse aut miserum, nonne dementis est eum, qui dies noctesque quantum potest instat investigandae veritati, miserum dicere? Beatus igitur erit. Deinde illa definitio mihi, ut arbitror, uberius suffragatur; nam si beatus est, sicuti est, qui secundum eam partem animi vivit, quam regnare ceteris convenit, et haec pars ratio dicitur, quaero, utrum non secundum rationem vivat, qui quaerit perfecte veritatem? Quod si absurdum

est, quid dubitamus beatum hominem dicere sola ipsa inquisitione veritatis?

IV. 10. Mihi, ait ille, nec secundum rationem vivere, nec beatus omnino, quisquis errat, videtur. Errat autem omnis, qui semper quaerit, nec invenit. Unde tibi unum iam e duobus monstrandum est, aut errantem beatum esse posse, aut eum, qui quod quaerit nunquam invenit, non errare. Hic ille: Beatus errare non potest. Et quum diu siluisset: Non autem errat, inquit, quum quaerit: quia, ut non erret, perfecte quaerit. Et Trygetius: Ut non erret quidem, inquit, quaerit, sed errat, quum minime invenit. Ita autem tibi profuturum putasti, quod errare ille non vult, quasi nemo erret invitus, aut quisquam omnino erret, nisi invitus. Tum ego, quum ille diu cunctaretur quid responderet: Definiendum vobis est, inquam, quid sit error; facilius enim eius fines potestis videre, in quem iam penitus ingressi estis. Ego, inquit Licentius, definire aliquid idoneus non sum: quamvis errorem definire sit facilius quam finire. Ego, ait ille, definiam quod mihi facillimum est non ingenio, sed caussa optima. Nam errare est utique semper quaerere, nunquam invenire. Ego, inquit Licentius, si vel istam definitionem facile possem refellere, iamdudum caussae meae non defuissem. Sed quoniam aut res ipsa per se ardua est, aut ita mihi apparet, peto a vobis, ut usque in crastinam lucem quaestio differatur, si nihil hodie quod respondeam, reperire potuero, quum id sedulo mecum ipse volvam. Quod quum concedendum putarem, non renuentibus ceteris, deambulatum ire surreximus, nobisque inter nos multa variaque sermocinantibus, ille in cogitatione defixus fuit. Quod quum frustra esse sensisset, relaxare animum maluit, et nostro se sermoni miscere. Postea, quum iam advesperasceret, in eundem conflictum redierant: sed modum imposui, persuasique, ut in alium diem differri paterentur: inde ad balneas.

11. Postridie autem quum consedissemus: Proferte, inquam, quod heri coeperatis. Tum Licentius: Distuleramus, inquit, disputationem, nisi fallor, rogatu meo, quum erroris definitio difficillima mihi esset. Hic plane, inquam, non erras, quod, ut tibi omen sit ad reliqua, libenter optaverim. Audi ergo, inquit, quod heri etiam, nisi intercessisses, protulissem: error mihi videtur esse falsi pro vero approbatio: in quem nullo pacto incidit, qui veritatem quaerendam semper existimat. Falsum enim probare non potest, qui probat nihil: non igitur potest errare: beatus autem facillime esse potest. Nam ne longius abeam, si nobis ipsis, ut heri licuit, quotidie vivere liceret, nihil mihi occurrit, cur nos beatos appellare dubitaremus. Viximus enim magna mentis tranquillitate, ab omni corporis labe animum vindicantes, et a cupiditatum facibus longissime remoti, dantes, quantum homini licet, operam rationi; hoc est, secundum illam divinam partem animi viventes, quam beatam vitam esse hesterna inter nos definitione convenit: atque, ut opinor, nihil invenimus, sed tantummodo quaesivimus veritatem. Potest igitur sola inquisitione veritatis, etiam si eam invenire minime possit, homini beata vita contingere. Nam definitio tua vide quanta facilitate excludatur notione communi. Etenim errare

dixisti esse, semper quaerere, et nunquam invenire. Quid? si quisquam nihil quaerat, et interrogatus, verbi gratia, utrumnam modo dies sit, temere statimque noctem esse opinetur atque respondeat, nonne tibi videtur errare? Hoc igitur erroris genus vel immanissimum non complexa est definitio tua. Quid? si etiam non errantes complexa est, potestne definitio ulla esse vitiosior? Nam si quis Alexandriam quaerat, et ad eam recto pergat itinere, non, opinor, potes eum errantem vocare. Quid? si eandem viam variis impeditus caussis, longo agat tempore, et in ea morte praeveniatur, nonne et semper quaesivit, et nunquam invenit, nec erravit tamen? Non, inquit ille, semper quaesivit.

12. Recte dicis, ait Licentius, et bene admones. Inde enim prorsus nihil ad rem pertinet definitio tua: non enim ego beatum esse dixi, qui semper quaerat veritatem. Quod ne fieri quidem potest: primo, quia non semper homo est: deinde, quia non ex quo tempore incipit esse homo, eo iam potest, aetate impediente, verum quaerere. Aut si semper id putas dicendum, si nihil temporis quo iam quaerere potest, perire patitur, rursus tibi Alexandriam redeundum est. Fac enim quemquam, ex quo tempore iter agere vel aetate vel negotio sinitur, pergere occipere illam viam, atque ut supra dixi, quum deviet nusquam, antequam perveniat, tamen vita excedere, multum profecto errabis, si tibi errasse iste videbitur; quamvis omni quo potuit tempore, nec quaerere desierit, nec invenire potuerit quo pergebat. Quamobrem si et mea descriptio vera est, et secundum eam non errat ille, qui perfecte quaerit, quamvis non inveniat veritatem, beatusque est ob eam rem, quod secundum rationem vivit: tua vero definitio et frustrata est, et si non esset, nihil eam curare deberem, si ex eo solum quod ego definivi, satis caussa firmata est: cur, quaeso, nondum est ista inter nos quaestio dissoluta?

V. 13. Hic Trygetius: Dasne, inquit, sapientiam rectam vitam vitae esse? Do, inquit, sine dubio: sed tamen volo mihi sapientiam definias, ut sciam, utrum quae mihi, eadem tibi esse videatur. Et ille: Parum tibi, ait, videtur definita hoc ipso, quod nunc interrogatus es? Etiam quod volui concessisti. Si enim non fallor, non falso recta via vitae sapientia nominatur. Tum Licentius: nihil mihi tam ridiculum, quam ista definitio videtur, inquit. Fortasse, ait ille: pedetentim tamen quaeso, ut ratio praeveniat risum tuum: nihil enim est foedius risu irrisione dignissimo. Quid enim? ait ille, nonne fateris vitae mortem esse contrariam? Fateor, ait. Mihi igitur, inquit ille, via vitae nulla magis videtur, quam ea, qua quisque pergit, ne in mortem incidat. Assentiebatur Trygetius. Ergo si viator quispiam deverticulum vitans, quod a latronibus obsideri audierit, recta ire pergat, atque ita evadat interitum, nonne et viam vitae, et rectam secutus est; et eam sapientiam nominat nemo? Quomodo igitur omnis recta vitae via sapientia est? Concessi enim esse, sed non solam. Definitio autem nihil complecti debuit, quod esset alienum. Itaque rursus defini, si placet, quid tibi videtur esse sapientia.

14. Diu ille tacuit. Deinde: En, inquit, iterum definio, si hoc tu nunquam finire statuisti. Sapientia est via recta, quae ad veritatem

ducat. Similiter et hoc, inquit ille, refellitur: nam dum apud Virgilium Aeneae dictum est a matre: *perge modo, et qua te ducit via dirige gressum:* sequens hanc viam ad id, quod dictum erat, id est, ad verum pervenit. Contende, si placet, ubi pedem ille incedens posuit, sapientiam posse dici; quamquam stulte prorsus istam descriptionem tuam effringere conor: nam caussam meam nulla plus adiuvat. Etenim sapientiam non ipsam veritatem, sed viam, quae ad eam ducat, esse dixisti. Quisquis ergo hac utitur via, sapientia profecto utitur; et qui sapientia utitur, sapiens sit necesse est. Sapiens igitur erit ille, qui perfecte quaesierit veritatem, etiam si ad eam nondum pervenerit: nam via, quae ducit ad veritatem, nulla, uti opinor, intelligitur melius, quam diligens inquisitio veritatis. Hac igitur sola via utens, iam iste sapiens erit: at nemo sapiens miser: omnis autem homo aut miser, aut beatus: beatum igitur faciet non tantum inventio, sed ipsa per se investigatio veritatis.

15. Tum ille arridens: Merito mihi, inquit, ista contingunt, dum adversario in re non necessaria fidenter assentior: quasi vero ego sim magnus definitor, aut quidquam in disputando magis supervacaneum putem. Quis enim modus erit, si ego rursus velim definiri abs te aliquid, et rursus eiusdem definitionis verba, et consequentium item singillatim omnia, fingens quod nihil intelligam, definiri flagitem? Nam quid planissimum non meo iure definiri cogam, si iure a me sapientiae definitio postulatur? Cuius enim verbi in animis nostris apertiorem notionem natura esse voluit, quam sapientiae? Sed nescio quomodo quum mentis nostrae veluti portum notio ipsa reliquerit, et verborum sibi quasi vela tetenderit, occurrent statim calumniarum mille naufragia. Quamobrem aut definitio sapientiae ne requiratur, aut iudex noster in eius patrocinium dignetur descendere. Tum ego, quum iam stilum nox impediret, et quasi de integro magnum quiddam disserendum viderem oboriri, in alium diem distuli: nam disputare coeperamus sole iam in occasum declinante, diesque paene totus quum in rebus rusticis ordinandis, tum in recensione primi libri Virgilii peractus fuit.

VI. 16. Deinde mox ut illuxit, (ita enim res erant pridie constitutae, ut largum esset otium,) statim peragendum negotium susceptum est. Tum ego: Heri postulasti, inquam, Trygeti, ut a iudicis munere ad sapientiae patrocinium descenderem: quasi vero quemquam in sermone vestro adversarium sapientia pateretur, aut ullo defendente ita laboraret, ut maius implorare deberet auxilium. Nam neque inter vos aliud quaerendum natum est, quam quid sit sapientia, in quo eam vestrûm neuter oppugnat, quia uterque desiderat. Neque si tu in definienda sapientia defecisse te putas, propterea reliqua defensio sententiae tuae tibi deserenda est. Itaque a me nihil aliud habebis, quam definitionem sapientiae, quae nec mea, nec nova est, sed et priscorum hominum, et quam vos mirer non recordari. Non enim nunc primum auditis, sapientiam esse rerum humanarum divinarumque scientiam.

17. Hic Licentius, quem post istam definitionem diu putabam quaesiturum esse quod diceret, subiecit statim, Cur ergo non, quaeso, sapientem vocamus flagitiosissimum illum hominem, quem ipsi bene novimus per innumera scorta solere dissolvi? Albicerium dico illum, qui

apud Carthaginem multos annos consulentibus mira quaedam et certa respondit? Innumerabilia commemorare possem, nisi et apud eos loquerer, qui experti sunt, et paucis nunc satis sit ad id quod volo. Nonne cochlearium (mihi autem dicebat) quum domi non inveniretur, tuo iussu percontatus, non solum quid quaereretur, verum etiam nominatim cuius res esset, et ubi lateret, citissime verissimeque respondit? Item me praesente, omitto illud, quod in eo quod rogabatur nihil omnino falsus est, sed quum puer qui nummos ferebat, certam eorum partem, quum ad eum pergeremus, furatus esset, omnes sibi numerari iussit, coëgitque illum ante oculos nostros quos abstulerat reddere, prius quam omnino ipse aut eosdem nummos vidisset, aut quantum sibi allatum fuerit, audisset e nobis.

18. Quid? quod doctissimum et clarissimum virum Flaccianum mirari solitum esse abs te accepimus, qui, quum de fundo emendo esset locutus, ad illum divinum rem ita detulit, ut quid egisset, si potis esset, ediceret. Atque ille statim non modo negotii genus, sed etiam, in quo ille vehementer clamabat admirans, ipsum fundi nomen pronuntiavit, quum ita esset absurdum, ut vix eius Flaccianus ipse meminisset. Iam illud sine stupore animi non queo dicere, quod amico nostro discipulo tuo sese volenti exagitare, flagitantique insolenter, ut diceret, quid secum ipse tacitus volveret, Virgilii versum eum cogitare respondit. Quum ille obstupefactus negare non posset, perrexit quaerere, quisnam versus esset. Nec Albicerius, qui grammatici scholam vix transiens vidisset aliquando, versum ipsum securus et garrulus canere dubitavit. Num igitur aut res humanae non erant, de quibus ille consulebatur, aut sine rerum divinarum scientia tam certa consulentibus et vera respondit? At utrumque absurdum est. Nam et humanae res nihil sunt aliud quam res hominum, ut argentum, nummi, fundus, postremo ipsa etiam cogitatio: et res divinas quis non recte arbitretur esse, per quas homini divinatio ipsa contingit? Sapiens ergo fuit Albicerius, si sapientiam rerum humanarum divinarumque scientiam illa definitione concedimus.

VII. 19. Hic[6] ille: Primo inquit, ego scientiam non appello, in qua ille, qui eam profitetur, aliquando fallitur. Scientia enim non solum comprehensis, sed ita comprehensis rebus constat, ut neque in ea quis unquam errare, nec quibuslibet adversantibus impulsus nutare debeat. Unde verissime a quibusdam philosophis dicitur, in nullo eam posse nisi in sapiente inveniri, qui non modo perceptum habere debet id quod tuetur ac sequitur, verum etiam inconcussum tenere. Scimus autem illum, quem commemorasti, multa saepe falsa dixisse, quod non solum aliis mihi referentibus comperi, sed praesens aliquando ipse percepi. Eumne igitur scientem vocem, quum saepe falsa dixerit, quem non vocarem, si[7] cunctanter vera dixisset? Hoc me de haruspicibus et de auguribus, et de iis omnibus, qui sidera consulunt, et de coniectoribus somniorum dixisse putatote. Aut aliquem ex hoc genere hominum proferte, si potestis, qui consultus nunquam de responsis suis dubitaverit, nunquam postremo falsa responderit. Nam de vatibus nihil mihi puto esse laborandum, qui mente loquuntur aliena.

20. Deinde res humanas esse ut concedam res hominum, quidquam tu existimas nostrum esse, quod nobis vel dare vel eripere casus potest? Aut quum rerum humanarum scientia dicitur, ea dicitur, qua quisquam novit vel quot, vel quales fundos habeamus: quid auri, quid argenti, quidque denique alienorum carminum cogitemus? Illa est humanarum rerum scientia, quae novit lumen prudentiae, temperantiae decus, fortitudinis robur, iustitiae sanctitatem. Haec enim sunt, quae nullam fortunam metuentes, vere nostra dicere audemus: quae si Albicerius ille didicisset, nunquam, mihi crede, tam luxuriose deformiterque vixisset. Quod autem dixit, quem versum volveret animo ille, a quo consulebatur, neque hoc puto inter res nostras esse numerandum: non quo negem honestissimas disciplinas ad possessionem quandam nostri animi pertinere, sed quia versum alienum etiam imperitissimis canere ac pronuntiare concessum est. Ideoque talia quum in memoriam nostram incurrerint, non mirum est, si sentiri possunt ab huius aëris animalibus quibusdam vilissimis, quos daemonas vocant, a quibus nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo, ratione autem nego; atque id fieri nescio quo modo secretissimo atque a nostris sensibus remotissimo. Non enim si miramur apiculam melle posito, nescio qua sagacitate, qua hominem vincit, undeunde advolare, ideo eam nobis praeponere, aut saltem comparare debemus.

21. Itaque vellem magis iste Albicerius, ab eo, qui discere cuperet, interrogatus ipsa metra docuisset, vel coactus a quopiam consultorum, de re sibi statim proposita versus proprios cecinisset. Quod eundem Flaccianum saepe dixisse soles commemorare, quum illud divinationis genus magna mentis altitudine derideret atque despiceret, idque nescio cui abiectissimae animulae, sic enim dicebat, tribueret, quo ille quasi spiritu admonitus vel inflatus haec respondere solitus esset. Quaerebat enim vir ille doctissimus ab iis, qui talia mirarentur, num grammaticam vel musicam vel geometricam Albicerius posset docere? Quis autem illum nosset, et non istorum omnium imperitissimum fateretur? Quamobrem ad extremum hortabatur, ut animos suos ii, qui talia didicissent, illi divinationi sine dubitatione praeferrent, darentque operam his disciplinis instruere atque adminiculari suam mentem, quibus aëriam istam invisibilium animantium naturam transilire, et eam supervolare contingeret.

VIII. 22. Iam res divinae, quum, omnibus concedentibus, meliores augustioresque multo quam humanae sint, quo pacto ille eas adsequi poterat, qui quid esset ipse nesciebat? Nisi forte existimas sidera, quae quotidie contemplamur, magnum quiddam esse in comparatione verissimi et secretissimi Dei, quem raro fortasse intellectus, sensus autem nullus adtingit: haec autem praesto sunt oculis nostris. Nec ista igitur sunt illa divina, qualia se sola scire sapientia profitetur: cetera autem, quibus isti, nescio qui, divinantes, vel ad vanam iactantiam, vel ad quaestum abutuntur, prae sideribus profecto viliora sunt. Non igitur Albicerius rerum humanarum ac divinarum scientiae particeps fuit, frustraque abs te isto modo definitio nostra tentata est. Postremo quum, quidquid praeter res humanas atque divinas est, nos

vilissimum ducere et omnino contemnere oporteat, quaero, in quibus rebus quaerat ille tuus sapiens veritatem? In divinis, ait ille: nam virtus etiam in homine sine dubitatione divina est. Has igitur Albicerius iam sciebat, quas tuus sapiens semper inquiret? Tum Licentius, Divinas, ait, et ille noverat, sed non eas, quae a sapiente quaerendae sunt. Quis enim non evertat omnem loquendi consuetudinem, si ei divinationem concedat, adimat res divinas, e quibus divinatio nominata est? Quare illa vestra definitio, ni fallor, nescio quid aliud, quod ad sapientiam non pertineret, inclusit.

23. Tum Trygetius: Definitionem istam, inquit, defendet, si libebit, ille qui protulit. Nunc mihi tu volo respondeas, ut tandem ad id quod agitur, veniamus. Istic sum, inquit ille: Dasne, ait, Albicerium scisse verum? Do, inquit. Melior igitur tuo sapiente. Nullo modo, ait ille: nam quod genus veri sapiens inquirit, non solum ille delirus hariolus, sed ne ipse quidem sapiens, dum in hoc corpore vivit, adsequitur: quod tamen tantum est, ut multo sit praestabilius hoc semper quaerere, quam illud aliquando invenire. Necesse est, ait Trygetius, ut mihi in angustiis definitio illa subveniat. Quae si propterea tibi vitiosa visa est, quia complexa est eum, quem non possumus vocare sapientem, quaero, utrum eam probes, si sapientiam rerum humanarum divinarumque scientiam dicamus, sed earum, quae ad beatam vitam pertineant. Est, inquit ille, et ista sapientia, sed non sola: unde superior definitio invasit alienum, haec autem proprium deseruit: quare illa avaritiae, ista stultitiae coargui potest. Etenim ut ipse iam explicem definitione quod sentio, sapientia mihi videtur esse rerum humanarum divinarumque, quae ad beatam vitam pertineant, non scientia solum, sed etiam diligens inquisitio. Quam descriptionem si partiri velis, prima pars, quae scientiam tenet, Dei est: haec autem, quae inquisitione contenta est, hominis. Illa igitur Deus, hac autem homo beatus est. Tum ille: Miror, inquit, sapientem tuum quomodo adseras frustra operam consumere. Quomodo, inquit Licentius, frustra[8] operam consumere, quum tanta mercede conquirat? Nam hoc ipso quo quaerit, sapiens est: et quo sapiens, eo beatus; quum ab omnibus involucris corporis mentem, quantum potest, evolvit, et se ipsum in semet ipsum colligit, quum se non permittit cupiditatibus laniandum, sed in se atque in Deum semper tranquillus intenditur, ut et hic, quod beatum esse supra inter nos convenit, ratione perfruatur, et extremo die vitae ad id quod concupivit adipiscendum reperiatur paratus, fruaturque merito divina beatitudine, qui humana sit ante[9] perfructus.

IX. 24. Tum ego, quum Trygetius quid sibi esset respondendum diu quaereret, Non puto, inquam, Licenti, etiam argumenta huic defutura, si eum otiose quaerere permittamus: quid enim ei quovis loco defuit ad respondendum? Nam primo ipse intulit, quoniam de beata vita quaestio nata est, et beatum solum necesse est esse sapientem, si quidem stultitia etiam stultorum iudicio misera est: perfectum sapientem esse debere, non autem perfectum esse, qui adhuc verum quid sit inquirit; unde ne beatum quidem. Cui loco tu quum molem auctoritatis obiiceres[10], moleste aliquantum Ciceronis nomine perturbatus, tamen se statim

erexit, et generosa quadam contumacia in verticem libertatis exsiliit, rursumque arripuit, quod erat de manibus violenter excussum, quaesivitque abs te, utrum tibi perfectus, qui adhuc quaereret, videretur: ut si fatereris non esse perfectum, ad caput recurreret, demonstraretque, si posset, per illam definitionem, perfectum esse hominem, qui secundum legem mentis vitam gubernaret: ac per hoc, beatum nisi perfectum esse non posse. A quo te laqueo quum expedisses cautius quam putabam, et perfectum hominem diceres, inquisitorem diligentissimum veritatis, ipsaque illa definitione, qua beatam vitam illam demum esse dixeramus, quae secundum rationem ageretur, tu praefidentius apertiusque pugnasses, ille tibi plane reposuit: nam occupavit praesidium tuum, unde pulsus omnino summam rerum amiseras, ni te induciae reparassent. Ubi enim arcem locaverunt Academici, quorum tueris sententiam, nisi in erroris definitione? Quae tibi nisi noctu fortasse per somnium rediret in mentem, iam quid responderes non habebas, quum in exponenda Ciceronis sententia id ipsum tu ipse ante commemoraveris. Deinde ventum est ad definitionem sapientiae, quam quum tanta calliditate labefactare conareris, ut tua furta nec ipse auxiliator tuus Albicerius fortasse comprehenderet, quanta tibi vigilantia, quantis viribus restitit, quam te paene involvit atque depressit: nisi postremo te tua definitione nova tutareris, diceresque humanam esse sapientiam inquisitionem veritatis, ex qua propter animi tranquillitatem beata vita contingeret. Huic iste sententiae non respondebit, praesertim si in prorogaṅda diei vel parte quae restat, reddi sibi gratiam postulabit.

25. Sed ne longum faciamus, iam, si placet, sermo iste claudatur, in quo immorari etiam superfluum puto. Tractata enim res est pro suscepto negotio satis, quae post pauca omnino posset verba finiri, nisi exercere vos vellem, nervosque vestros et studia, quae mihi magna est cura, explorare: nam quum instituissem vos ad quaerendam veritatem magno opere hortari, coeperam ex vobis quaerere, quantum in ea momenti poneretis: omnes autem posuistis tantum, ut plus non desiderem. Nam, quum beati esse cupiamus, sive id fieri non potest nisi inventa, sive non nisi diligenter quaesita veritate: postpositis ceteris omnibus rebus, nobis, si beati esse volumus, perquirenda est. Quamobrem iam istam, ut dixi, disputationem terminemus, et relatam in literas mittamus, Licenti, potissimum patri tuo, cuius erga philosophiam iam prorsus animum teneo. Sed adhuc quae admittat, quaero fortunam. Incendi autem in haec studia vehementius poterit, quum te ipsum iam intentum mecum sic vivere, non audiendo solum, verum etiam legendo ista cognoverit. Tibi autem si, ut sentio, Academici placent, vires ad eos defendendos validiores para; nam illos ego[11] reos citare decrevi. Quae quum essent dicta, prandium paratum esse annuntiatum est, atque surreximus.

LIBER SECUNDUS.

Romanianum Maecenatem suum ad amplectendam philosophiam rursus cum grati animi significatione cohortatur, tresque illi describit collationes, in quarum prima explicantur placita Academicorum. In secunda novae ac veteris Academiae discrimina referuntur, et exploditur sententia horum philosophorum, qui, quum verum haud posse deprehendi putarent, veri tamen simile se sequi profiterentur. In tertia dicitur, quid illi veri simile seu probabile appellarint.

I. 1. Si, quam necesse est, disciplina atque scientia sapientiae vacuum esse non posse sapientem, tam eam necesse esset invenire dum quaeritur, omnis profecto Academicorum vel calumnia, vel pertinacia, vel pervicacia, vel (ut ego interdum arbitror) congrua illi tempori ratio, simul cum ipso tempore, et cum ipsius Carneadis Ciceronisque corporibus sepulta foret. Sed quia sive vitae huius multis variisque iactationibus, Romaniane, ut in eodem te probas, sive ingeniorum quodam stupore, vel socordia, vel tarditate torpentium, sive desperatione inveniendi, quia non quam facile oculis ista lux, tam facile mentibus sapientiae sidus oboritur, sive etiam, qui error omnium populorum est, falsa opinione inventae a se veritatis, nec diligenter homines quaerunt, si qui quaerunt, et a quaerendi voluntate avertuntur, evenit, ut scientia raro paucisque proveniat. Eoque fit, ut Academicorum arma, quando cum eis ad manus venitur, nec mediocribus viris, sed acutis et bene eruditis, invicta et quasi Vulcania videantur. Quamobrem contra illos fluctus procellasque fortunae, quum obnitendum remis qualiumcunque virtutum, tum in primis divinum auxilium omni devotione atque pietate implorandum est, ut intentio constantissima bonorum studiorum teneat cursum suum, a quo eam nullus casus excutiat, quo minus illam philosophiae tutissimus iucundissimusque portus accipiat. Haec prima tua caussa est, hinc tibi metuo, hinc te cupio liberari, hinc (si modo dignus sim qui impetrem) quotidianis votis auras tibi prosperas orare non cesso; oro autem ipsam summi Dei Virtutem atque Sapientiam. Quid est enim aliud, quem mysteria nobis tradunt Dei Filium?

2. Multum autem me adiuvabis pro te deprecantem, si non nos exaudiri posse desperes, nitarisque nobiscum et tu non solum votis, sed etiam voluntate, atque illa tua naturali mentis altitudine, propter quam te quaero, qua singulariter delector, quam semper admiror, quae in te, pro nefas! illis rerum domesticarum nubibus quasi fulmen involvitur, et multos, ac paene omnes latet: me autem, et alium, vel tertium familiarissimos tuos latere non potest, qui saepe non solum attente audivimus murmura tua, sed etiam nonnulla fulgura fulminibus propiora conspeximus. Quis enim, ut cetera pro tempore taceam et unum

commemorem, quis, inquam, tam subito unquam tantum intonuit, tantumque lumine mentis emicuit, ut sub[1] uno fremitu rationis et quodam coruscamine temperantiae, uno die illa, pridie saevissima, penitus libido moreretur? Ergone non erumpet aliquando ista virtus, et multorum desperantium risus in horrorem stuporemque convertet, et locuta in terris quasi quaedam futurorum signa, rursus, proiecto totius corporis onere recurret in caelum? Ergone Augustinus de Romaniano frustra ista dixit? Non sinet ille, cui me totum dedi, quem nunc recognoscere aliquantum coepi.

II. 3. Ergo aggredere mecum philosophiam: hic est quidquid te anxium saepe atque dubitantem mirabiliter solet movere; non enim metuo aut a secordia morum, aut a tarditate ingenii tui. Quis enim te, quando aliquantum respirare concessum est, in sermonibus nostris vigilantior, quis acutior apparuit? Ergone tibi gratiam non repensabo? An fortasse paullulum debeo? Tu me adolescentulum pauperem[2] ad peregrina studia pergentem, et domo, et sumptu, et (quod plus est) animo excepisti. Tu patre orbatum amicitia consolatus es, hortatione animasti, ope adiuvisti. Tu in nostro ipso municipio, favore, familiaritate, communicatione domus tuae paene tecum clarum primatemque me fecisti. Tu Carthaginem illustrioris professionis gratia remeantem, quum tibi et meorum nulli consilium meum, spemque aperuissem, quamvis aliquantum illo tibi insito, quia ibi iam docebam, patriae amore cunctatus es, tamen ubi evincere adolescentis cupiditatem ad ea, quae videbantur meliora, tendentis nequisti, ex dehortatore in adiutorem mira benevolentiae moderatione conversus es. Tu necessariis omnibus iter adminiculasti meum. Tu ibidem rursus, qui cunabula et quasi nidum studiorum meorum foveras, iam volare audentis sustentasti rudimenta. Tu etiam, quum te absente atque ignorante navigassem[3], nihil succensens, quod non tecum communicassem ut solerem, atque aliud quidvis quam contumaciam suspicans, mansisti inconcussus in amicitia; nec plus ante oculos tuos liberi deserti a magistro, quam nostrae mentis penetralia puritasque versata est.

4. Postremo quidquid de otio meo modo gaudeo, quod a superfluarum cupiditatum vinculis evolavi, quod depositis oneribus mortuarum curarum, respiro, resipisco, redeo ad me, quod quaero intentissimus veritatem, quod invenire iam ingredior, quod me ad summum ipsum[4] modum perventurum esse confido, tu animasti, tu impulisti, tu fecisti. Cuius autem minister fueris, plus adhuc fide concepi, quam ratione comprehendi. Nam quum praesens[5] praesenti tibi exposuissem interiores motus animi mei, vehementerque ac saepius adsererem, nullam mihi videri prosperam fortunam, nisi quae otium philosophandi daret; nullam beatam vitam, nisi qua in philosophia viveretur: sed me tanto meorum onere, quorum ex officio meo vita penderet, multisque necessitatibus, vel vani mei pudoris, vel ineptae meorum miseriae refrenari: tam magno es elatus gaudio, tam sancto huius vitae inflammatus ardore, ut te diceres, si tu ab illarum importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia mea vincula etiam patrimonii tui mecum participatione rupturum.

5. Itaque quum admoto nobis fomite discessisses, nunquam cessavimus inhiantes in philosophiam, atque illam vitam, quae inter nos placuit atque convenit, prorsus nihil aliud cogitare: atque id constanter quidem, sed minus acriter agebamus; putabamus tamen satis nos agere. Et quoniam nondum aderat ea flamma, quae summa nos arreptura erat, illam qua lenta aestuabamus, arbitrabamur vel esse maximam. Quum ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celsinus, bonas res Arabicas ubi exhalarunt in nos, ubi illi flammulae instillarunt pretiosissimi unguenti guttas paucissimas, incredibile, Romaniane, incredibile, et ultra quam de me fortasse et tu credis, (quid amplius dicam?) etiam mihi ipsi de me ipso incredibile incendium concitarunt. Quis me tunc honor, quae hominum pompa, quae inanis famae cupiditas, quod denique huius mortalis vitae fomentum atque retinaculum commovebat? Prorsus totus in me cursim redibam. Respexi tantum, confiteor, quasi de itinere in illam regionem, quae pueris nobis insita est et medullitus implicata: verum autem ipsa me ad se nescientem rapiebat. Itaque titubans, properans, haesitans arripio apostolum Paulum: Neque enim vere isti, inquam, tanta potuissent, vixissentque ita ut eos vixisse manifestum est, si eorum literae atque rationes huic tanto bono adversarentur. Perlegi totum intentissime atque[6] cautissime.

6. Tunc vero quantulocunque iam lumine asperso, tanta se mihi philosophiae facies aperuit, ut non dicam tibi, qui eius incognitae fame semper arsisti, sed si ipsi adversario tuo, a quo nescio utrum plus exercearis, quam impediaris, eam demonstrare potuissem, nae ille et baias, et amoena pomaria, et delicata nitidaque convivia, et domesticos histriones, postremo quidquid eum acriter commovet in quascunque delicias, abiiciens et relinquens, ad huius pulchritudinem blandus amor et sanctus, mirans, anhelans, aestuans advolaret. Habet enim et ille, quod confitendum est, quoddam decus animi, vel potius decoris quasi sementem, quod erumpere in veram pulchritudinem nitens, tortuose ac deformiter inter scabra vitiorum, et inter opinionum fallacium dumeta frondescit; tamen non cessat frondescere, et paucis acute ac diligenter in densa intuentibus quantum sinitur eminere. Inde est illa hospitalitas, inde in conviviis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia, nitor, mundissima facies rerum omnium, et undique cuncta perfundens adumbratae venustatis urbanitas.

III. 7. Philocalia ista vulgo dicitur: ne contemnas nomen hoc ex vulgi nomine; nam philocalia et philosophia prope similiter cognominatae sunt, et quasi[7] gentiles inter se videri volunt, et sunt. Quid est enim philosophia? amor sapientiae. Quid philocalia? amor pulchritudinis. Quaere de Graecis. Quid ergo sapientia? nonne ipsa vera est pulchritudo? Germanae igitur istae sunt prorsus, et eodem parente procreatae: sed illa visco libidinis detracta caelo suo, et inclusa cavea populari, viciniam tamen nominis tenuit, ad commonendum aucupem ne se contemnat. Hanc igitur sine pennis sordidatam et egentem volitans libere soror saepe agnoscit, sed raro liberat: non enim philocalia ista unde genus ducat agnoscit, nisi philosophia. Quam totam fabulam (nam subito Aesopus factus sum) Licentius tibi carmine suavius indicabit: poëta est enim paene perfectus. Ergo ille, si veram

pulchritudinem, cuius falsae amator est, sanatis renudatisque paullulum oculis posset intueri, quanta voluptate philosophiae gremio se involveret! Quomodo ibi te cognitum, sicut verum fratrem amplecteretur! Miraris haec, et forsitan rides. Quid? si haec explicarem, ut volebam? Quid? si saltem vox, si adhuc facies videri a te non potest, ipsius philosophiae posset audiri? Mirareris profecto, sed non rideres, non desperares. Crede mihi, de nullo desperandum est, de talibus autem minime. Omnino sunt exempla: facile evadit, facile [8] revolat hoc genus avium, multis inclusis multum mirantibus.

8. Sed ad nos redeamus; nos, inquam, Romaniane, philosophemur: reddam tibi gratiam, filius tuus coepit iam philosophari: ego eum reprimo, ut disciplinis necessariis prius excultus vigentior et firmior insurgat, quarum te ne metuas expertem, si bene te novi; [9] auras tibi liberas tantum opto. Nam de indole quid dicam? utinam non tam rara esset in hominibus, quam certa est in te! Restant duo vitia et impedimenta inveniendae veritatis, a quibus tibi non multum timeo; timeo tamen, ne te contemnas, atque inventurum esse desperes, aut certe ne invenisse te credas. Quorum primum si tamen inest, ista tibi disputatio fortasse detrahet. Saepius enim succensuisti Academicis, eo quidem gravius, quo minus eruditus esses, sed eo libentius, quod veritatis amore illiciebaris. Itaque iam cum Alypio, te fautore, confligam, et tibi facile persuadebo quod volo, probabiliter tamen. Nam ipsum verum non videbis, nisi in philosophiam totus intraveris. Illud autem alterum, quod te fortasse aliquid invenisse praesumis, quamvis a nobis iam quaerens dubitansque discesseris: tamen si quid superstitionis in animum revolutum est, eiicietur profecto, vel quum tibi aliquam inter nos disputationem *de Religione* misero, vel quum praesens tecum multa contulero.

9. Ego enim nunc aliud nihil ago, quam me ipse purgo a vanis perniciosisque opinionibus. Itaque non dubito melius mihi esse, quam tibi. Unum tantum est, unde invideam fortunae tuae, quod solus frueris [10] Luciliano meo: an et tu invides, quia dixi, meo? Sed quid dixi aliud quam tuo, et omnium quicunque unum sumus? De quo tamen ut subvenias desiderio meo, quid te rogem? Tute ipse pro me roga quantum scis, quia debes. Sed nunc ambobus dico, cavete, ne quid vos nosse arbitremini, nisi quod ita didiceritis, saltem ut nostis, unum, duo, tria, quattuor simul collecta in summam fieri decem. Sed item cavete, ne vos in philosophia veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita posse cognosci arbitremini. Nam mihi, vel potius illi credite, qui ait, *quaerite et invenietis*: nec cognitionem desperandam esse, et manifestiorem futuram, quam sunt illi numeri. Nunc ad propositum veniamus. Iam enim sero coepi metuere, ne hoc principium modum excederet, et non est leve. Nam modus procul dubio divinus est: sed fefellerit quum dulciter ducit; ero cautior, quum sapiens fuero.

IV. 10. Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi, quum tres tantum Virgilii libros post primum recenseremus, atque, ut in tempore congruere videbatur, tractaremus. Quo tamen opere Licentius

in poëticae studium sic inflammatus est, ut aliquantum mihi etiam reprimendus videretur. Iam enim ab hac intentione ad nullam se rem devocari libenter ferebat. Tandem tamen ad retractandam quam distuleramus de Academicis quaestionem, quum a me, quantum potui, lumen philosophiae laudaretur, non invitus accessit: et forte dies ita serenus effulserat, ut nulli prorsus rei magis, quam serenandis animis nostris congruere videretur. Maturius itaque solito lectos reliquimus, paullulumque cum rusticis egimus, quod tempus urgebat. Tum Alypius: Antequam vos, inquit, audiam de Academicis disputantes, volo mihi legatur sermo ille vester, quem dicitis me absente perfectum: non enim possum aliter, quum inde huius disceptationis occasio nata sit, in audiendis vobis non aut errare, aut certe laborare. Quod quum factum esset, et in eo paene totum antemeridianum tempus consumptum videremus, redire ab agro, qui deambulantes nos acceperat, domum instituimus. Et Licentius: Quaeso, inquit, ante prandium mihi breviter totam Academicorum sententiam exponendo repetere ne graveris, ne quid in ea me fugiat, quod pro partibus meis sit. Faciam, inquam, et eo libentius, quo de hac re cogitans parum prandeas. Ne, inquit ille, istinc securus sis: nam et multos, et maxime patrem meum saepe animadverti eo edaciorem, quo refertior curis esset. Deinde tu quoque de istis metris cogitantem non sic expertus es, ut cura mea mensa secura sit. Quod quidem apud me ipsum mirari soleo: quid enim sibi vult, quod tunc cibum pertinacius appetimus, quum in aliud intendimus animum? Aut[11] quid est quod manibus et dentibus nostris, occupatis nobis animus imperiosus fit? Audi potius, inquam, de Academicis quid rogaveras, ne te metra ista volventem, non solum in epulis sine metro, sed etiam in quaestionibus patiar. Si quid autem pro mea parte occultabo, prodet Alypius. Bona fide tua opus est, inquit Alypius: nam si metuendum est, ne aliquid occultes, a me deprehendi difficile posse arbitror eum, a quo me ista didicisse nullus qui me novit ignorat, praesertim quum in prodendo vero non magis victoriae, quam animo tuo consulturus sis.

V. 11. Agam, inquam, bona fide, quoniam de iure praescribis. Nam et Academicis placuit, nec homini scientiam posse contingere earum dumtaxat rerum, quae ad philosophiam pertinent, nam cetera curare se Carneades negabat, et tamen hominem posse esse sapientem, sapientisque totum munus, ut abs te quoque, Licenti, illo sermone dissertum est, in conquisitione veri explicari; ex quo confici, ut nulli etiam rei sapiens assentiatur: erret enim necesse est, (quod sapienti nefas est) si assentiatur rebus incertis. Et omnia incerta esse non dicebant solum, verum etiam[12] copiosissimis rationibus affirmabant. Sed verum non posse comprehendi, ex illa Stoici Zenonis definitione arripuisse videbantur, qui ait, id verum percipi posse, quod ita esset animo impressum ex eo unde esset, ut esse non posset ex eo unde non esset. Quod brevius planiusque sic dicitur, his signis verum posse comprehendi, quae signa non potest habere quod falsum est. Hoc prorsus non posse inveniri, vehementissime ut convincerent incubuerunt. Inde dissensiones philosophorum, inde sensuum fallaciae, inde somnia furo-

resque, inde pseudomeni et soritae in illius caussae patrocinio viguerunt. Et quum ab eodem Zenone accepissent, nihil esse turpius quam opinari, confecerunt callidissime, ut si nihil percipi posset, et esset opinatio turpissima, nihil unquam sapiens approbaret.

12. Hinc eis invidia magna conflata est: videbatur enim esse consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret. Unde dormientem semper, et officiorum omnium desertorem, sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebant. Hîc illi inducto quodam probabili, quod etiam veri simile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis adserebant, quum haberet quid sequeretur, veritas autem sive propter naturae tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum, vel obruta, vel confusa latitaret. Quamvis et ipsam refrenationem et quasi suspensionem assensionis magnam prorsus actionem sapientis esse dicebant. Videor mihi breviter totum, ut voluisti, exposuisse, nihilque recessisse a praescriptione, Alypi, tua, id est egisse, ut dicitur, bona fide. Si enim aliquid vel non ita ut est dixi, vel forte non dixi, nihil voluntate a me factum est. Bona ergo fides est, ex animi sententia. Homini enim homo falsus docendus, fallax cavendus debet videri: quorum prius magistrum bonum, posterius discipulum cautum desiderat.

13. Tum Alypius: Gratum, inquit, habeo, quum et Licentio a te satisfactum est, et me onere imposito relevasti. Non enim magis tibi verendum erat, ne quid explorandi mei caussa minus a te diceretur (nam alio modo quî fieri poterat?) quam mihi, si in quoquam te prodere fuisset necesse. Quare faxis, ut illud quod deest, non tam percontationi, quam ipsi percontanti de differentia novae ac veteris Academiae, ne te pigeat exponere. Prorsus, inquam, fateor, piget. Quare beneficium dederis, (nam et hoc quod commemoras, ad rem maxime pertinere negare non possum) si me paullulum conquiescente, apud me distinguere ista nomina, et caussam novae Academiae aperire volueris. Crederem, inquit, me quoque a prandio te avocare voluisse, ni et magis a Licentio territum dudum putarem, et eius postulatio ita nobis praescripsisset, ut ei ante prandium quidquid huius involutionis esset, expediretur. Et quum reliqua dicere tenderet, mater nostra (nam domi iam eramus) ita nos trudere in prandium coepit, ut verba faciendi locus non esset.

VI. 14. Deinde, quum tantum alimentorum accepissemus, quantum compescendae fami satis esset, ad pratum regressis nobis: Alypius, Paream, inquit, sententiae tuae, nec ausim recusare. Si enim nihil me fugerit, gratabor quum doctrinae tuae, tum etiam memoriae meae. At si in quoquam fortasse aberravero, recurabis id, ut deinceps huiusmodi delegationem non pertimescam. Novae Academiae discidium non tam contra veterem conceptum, quam contra Stoicos arbitror esse commotum. Nec vero discidium est putandum, si quidem a Zenone illatam novam quaestionem dissolvi discutique oportebat. Nam de non percipiendo, quamvis nullis conflictationibus agitata, incolens tamen etiam veterum Academicorum mentes sententia non impudenter existimata est. Quod etiam ipsius Socratis Platonisque ac reliquorum veterum

auctoritate probatu facile est, qui se hactenus crediderunt ab errore posse defendi, si se assensioni non temere commisissent: quamvis propriam de hac re disputationem in scholas suas non introduxerint, nec ab illis enucleate aliquando quaesitum sit, percipi, necne veritas possit. Quod quum Zeno rude ac novum intulisset, contenderetque nihil percipi posse, nisi quod verum ita esset, ut dissimilibus notis a falso discerneretur, neque opinationem subeundam esse sapienti, atque id Arcesilas audiret, negavit huiusmodi quidquam posse ab homine reperiri, neque illi opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam. Unde etiam conclusit, nulli rei esse assentiendum.

15. Verum quum ita res se haberet, ut vetus Academia magis aucta, quam oppugnata videretur, exstitit Philonis auditor Antiochus, qui, ut nonnullis visus est, gloriae cupidior, quam veritatis, in simultatem adduxit Academiae utriusque sententias. Dicebat enim rem insolitam et ab opinione veterum remotissimam Academicos novos conatos inducere. In quam rem veterum physicorum aliorumque magnorum philosophorum implorabat fidem; ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se veri simile contenderent sequi, quum ipsum verum se ignorare faterentur; multaque argumenta collegerat, quibus nunc supersedendum arbitror. Nihil tamen magis defendebat, quam verum percipere posse sapientem. Hanc puto inter Academicos novos ac veteres controversiam fuisse. Quae si secus se habet, ut Licentium plenissime informes, pro utroque postulaverim. Si vero ita est, ut dicere potui, susceptam disputationem peragite.

VII. 16. Tum ego, Quamdiu, inquam, Licenti, in isto nostro longiore quam putabam sermone conquiescis? Audisti qui sint Academici tui? At ille verecunde arridens, et aliquantum hac compellatione turbatior: Poenitet me, inquit, tanto opere affirmasse contra Trygetium, beatam vitam in veritatis inquisitione consistere. Nam me ista quaestio ita perturbat, ut vix non miser sim, qui certe vobis, si quid humanitatis geritis, videor miserandus. Sed quid me ipse ineptus crucio? Aut quid exhorreo tanta caussae bonitate subnixus? Prorsus non cedam nisi veritati. Placentne, inquam, tibi novi Academici? Plurimum, inquit. Ergo verum videntur tibi dicere? Tum ille, quum iam esset assensurus, arrisione Alypii cautior factus, haesit aliquantum. Et deinde: Repete, inquit, rogatiunculam. Verumne, inquam, tibi videntur Academici dicere? Et rursum quum diu tacuisset: Utrum, ait, verum sit, nescio: probabile est tamen. Neque enim plus video quod sequar. Probabile, inquam, scisne ab ipsis etiam veri simile nominari? Ita, inquit, videtur. Ergo, inquam, veri similis est Academicorum sententia. Ita, inquit. Iam quaeso attende, inquam, diligentius. Si quisquam fratrem tuum visum patris tui similem esse affirmet, ipsumque tuum patrem non noverit, nonne tibi insanus, aut ineptus videbitur? Et hic diu tacuit. Tum ait, Non mihi hoc videtur absurdum.

17. Cui ego quum respondere coepissem; Exspecta, inquit, quaeso, paullulum. Ac post arridens, Dic mihi, ait, oro te, iamne certus es de victoria tua? Tum ego: Fac me, inquam, certum esse: non ideo tamen tu caussam tuam debes deserere, praesertim quum haec inter nos

disputatio suscepta sit exercendi tui caussa, et ad elimandum animum provocandi. Numquidnam, inquit, aut Academicos legi, aut tot disciplinis eruditus sum, quibus tu ad me instructus adventas? Academicos, inquam, nec illi legerant, a quibus primo sententia ista defensa est. Eruditio autem disciplinarumque copia si te deficit, non usque adeo tamen ingenium tuum esse debet invalidum, ut nullo facto impetu paucissimis verbis meis rogationibusque succumbas. Illud enim iam vereri coepi, ne tibi citius quam volo succedat Alypius, quo adversario non ita securus deambulabo. Ergo utinam, inquit ille, iam vincar, ut aliquando vos audiam disserentes, et quod plus est, videam; quo mihi spectaculo nihil potest felicius exhiberi. Nam quoniam placuit vobis ista fundere, potius quam effundere, si quidem ore prorumpentia stilo excipitis, nec in terram, ut dicitur, cadere sinitis, legere etiam[13] vos licebit: sed nescio quomodo quum admoventur oculis iidem ipsi quos inter sermo[14] caeditur, bona disputatio si non utilius, at certe laetius perfundit animum.

18. Gratum habemus, inquam; sed repentina ista gaudia tua temere illam sententiam evadere coëgerunt, qua dixisti, nullum tibi spectaculum exhiberi posse felicius. Quid si enim illum patrem tuum, quo profecto nemo philosophiam est post tam longam sitim hausturus ardentius, nobiscum ista quaerentem ac disserentem videbis, quum ego me fortunatiorem nunquam putabo, quid te tandem sentire ac dicere convenit? Hic vero ille aliquantum lacrimavit: et ubi loqui potuit, porrecta manu caelum suspiciens: Ecquando ego, inquit, Deus, hoc videbo? sed nihil est de te desperandum. Hic quum paene omnes ab intentione disputationis remitti in lacrimas coepissemus, obluctans mecum et vix me colligens: Age potius, inquam, et in vires tuas redi, quas ut congereres undeunde posses, patronus Academiae futurus, longe ante monueram: non opinor ideo, ut modo ante tubam tremor occupet artus, aut ut visendae alienae pugnae desiderio tam cito te optes esse captivum. Hic Trygetius, ubi satis attendit iam vultus nostros serenatos: Quidni iste optet, inquit, homo tam sanctus, ut hoc ei Deus ante vota concesserit? Crede iam, Licenti; nam qui non invenis quid respondeas, et adhuc ut vincare optas, parvae fidei mihi videris. Arrisimus. Tum Licentius: Loquere beatus, inquit, non inveniendo verum, sed certe non quaerendo.

19. Qua hilaritate adolescentulorum quum essemus laetiores, Attende, inquam, rogationem, et in viam redi firmior et valentior, si potes. En adsum, inquit, quantum possum. Quid enim? si ille fratris mei visor fama compertum habeat eum esse similem patris, potest insanus aut ineptus esse, si credit? stultusne, inquam, saltem dici potest? Non continuo, inquit, nisi se id scire contenderit. Nam si ut probabile sequitur quod crebra fama iactavit, nullius temeritatis argui potest. Tum ego: Rem ipsam paullisper consideremus, et quasi ante oculos constituamus. Ecce fac illum nescio quem hominem quem describimus esse praesentem: advenit alicunde frater tuus; ibi iste, cuius hic puer filius? Respondetur: Cuiusdam Romaniani. At hic: Quam patris similis est, quam ad me hoc non temere fama detulerat! Hic

tu, vel quis alius: Nosti enim Romanianum, bone homo? Non novi, inquit: tamen similis eius mihi videtur. Poteritne quisquam risum tenere? Nullo modo, inquit. Ergo, inquam, quid sequatur vides. Iamdudum, inquit, video; sed tamen istam conclusionem abs te audire volo: oportet enim alere incipias, quem cepisti. Quidni, inquam, concludam? Ipsa res clamat similiter ridendos esse Academicos tuos, qui se in vita veri similitudinem sequi dicunt, quum ipsum verum quid sit, ignorent.

VIII. 20. Tum Trygetius: Longe mihi, inquit, videtur dissimilis Academicorum cautio ab huius, quem descripsisti, ineptia. Illi enim rationibus assequuntur quod dicunt esse veri simile; iste autem ineptus famam secutus est, cuius auctoritate nihil est vilius. Quasi vero, inquam, non ineptior esset, si diceret, patrem quidem eius minime novi, nec fama comperi quam sit similis patris, et mihi tamen similis videtur. Ineptior certe, inquit. Sed quorsum ista? Quia tales, inquam, sunt, qui dicunt, verum quidem non novimus, sed hoc quod videmus eius, quod non novimus, simile est. Probabile, inquit, illi dicunt. Cui ego: Quomodo istuc dicis? An negas eos veri simile dicere? Et ille inquit: Ego ob hoc dicere volui, ut illam similitudinem excluderem. Videbatur enim mihi fama improbe irruisse in quaestionem vestram, quum Academici ne oculis quidem credant humanis, nedum famae mille quidem, ut poëtae fingunt, sed monstrosis tamen luminibus. Nam quis ego tandem sum Academiae defensor? An in quaestione ista invidetis securitati meae? En habes Alypium, cuius adventus nobis quaeso ferias dederit, quem te iamdudum non frustra formidare arbitramur.

21. Tum facto silentio, oculos ambo in Alypium contulerunt. Tum ille: Vellem, inquit, quidem, ut meae vires patiuntur, auxiliari aliquatenus partibus vestris, nisi mihi omen vestrum terrori esset. Sed hanc formidinem, ni me spes fefellerit, facile [15] fugem. Simul enim solatur me, quod praesens Academicorum oppugnator onus Trygetii victi paene subierit, et nunc eum victorem vestra confessione probabile est. Illud magis vereor, ne et deserti officii negligentiam, et invasi impudentiam, devitare non possim. Non enim vos oblitos credo, iudicis mihi munus fuisse delatum. Hîc Trygetius: Illud, inquit, aliud, hoc autem aliud est: quare quaesumus, ut te aliquando patiare privatum. Ne renuerim, ait, ne dum impudentiam vel negligentiam vitare cupio, in superbiae, quo vitio nihil est immanius, laqueos incidam, si honorem mihi a vobis concessum diutius, quam permittitis, teneam.

IX. 22. Proinde velim mihi exponas, bone accusator Academicorum, officium tuum, id est, in quorum defensionem hos oppugnes. Metuo enim ne Academicos refellens, Academicum te probare velis. Accusatorum, inquam, ut opinor, duo genera esse, bene nosti: non enim si a Cicerone modestissime dictum est, ita eum Verris esse accusatorem, ut Siculorum defensor esset, propterea necesse est, eum qui aliquem accusat, habere alterum quem defendat. Et ille, Saltem habesne tu quidquam, in quo sententia tua iam fundata constiterit? Facile est, inquam, huic rogationi respondere, mihi praesertim, cui repentina non est: iam hoc totum meeum egi, et diu multumque versavi animo.

Quamobrem audi, Alypi, quod, ut arbitror, iam optime scis: non ego istam disputationem disputandi gratia susceptam volo; satis sit quod cum istis adolescentibus praelusimus, ubi libenter nobiscum philosophia quasi iocata est. Quare auferantur de manibus nostris fabellae pueriles. De vita nostra, de moribus, de animo res agitur: qui se superaturum inimicitias omnium fallaciarum, et, veritate comprehensa, quasi in regionem suae originis rediens, triumphaturum de libidinibus, atque ita temperantia velut coniuge accepta regnaturum esse praesumit, securior rediturus in caelum. Vides quid dicam? Tollamus de medio iam cuncta ista; *arma acri facienda viro*; nec quidquam minus semper optavi, quam inter eos, qui secum multum vixerunt, multumque sermocinati sunt, oriri aliquid, unde novus quasi conflictus exsurgat. Sed propter memoriam, quae infida custos est excogitatorum, referri in literas volui, quod inter nos saepe pertractavimus, simul ut isti adolescentes et in haec attendere discerent, et aggredi ac subire tentarent.

23. Tune ergo nescis,[16] nihil me certum adhuc habere quod sentiam, sed ab eo quaerendo Academicorum argumentis atque disputationibus impediri? Nescio enim quomodo fecerunt in animo quandam probabilitatem, (ut ab eorum verbo nondum recedam,) quod homo verum invenire non possit: unde piger et prorsus segnis effectus eram, nec quaerere audebam, quod acutissimis ac doctissimis viris invenire non licuit. Nisi ergo prius tam mihi persuasero verum posse inveniri, quam sibi illi non posse persuaserunt, non audebam quaerere, nec habeo aliquid quod defendam. Itaque istam interrogationem remove, si placet, et potius discutiamus inter nos, quam sagaciter possumus, utrumnam possit verum inveniri. Et pro parte mea videor mihi habere iam multa, quibus contra rationem Academicorum niti molior: inter quos et me modo interim nihil distat, nisi quod illis probabile visum est, non posse inveniri veritatem, mihi autem inveniri posse probabile est. Nam ignoratio veri, aut mihi, si illi fingebant, peculiaris est, aut certe utrisque communis.

X. 24. Tum Alypius: Iam, inquit, securus incedam: video enim te non tam accusatorem, quam et aiutorem fore. Itaque ne longius abeamus, videamus quaeso prius, ne per hanc quaestionem, in qua successisse videor iis, qui tibi cesserunt, in verbi controversiam decidamus, quod, te ipso insinuante, ex auctoritate illa Tulliana turpissimum esse, saepe confessi sumus. Quum enim, ni fallor, Licentius placuisse sibi diceret de probabilitate Academicorum sententiam, subiecisti, quod ille haud dubie confirmavit, sciretne hanc ab eisdem etiam veri similitudinem nominari. Et bene novi, si quidem ex te mihi nota sunt, non absque te esse Academicorum placita. Quae quum, ut dixi, animo tuo infixa sint, quid verba secteris, ignoro. Non est ista, inquam, mihi crede, verborum, sed rerum ipsarum magna controversia: non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi haec vocabula videntur elegisse, et ad occultandam tardioribus, et ad significandam vigilantioribus sententiam suam. Quod quare et quomodo mihi videatur, exponam, quum prius illa discussero, quae ab

eis tamquam cognitionis humanae inimicis dicta homines putant. Itaque perlibenter habeo hucusque hodie nostrum processisse sermonem, ut satis, quid inter nos quaereretur, aperteque constaret. Nam illi mihi videntur graves omnino ac prudentes viri fuisse. Si quid est autem, quod nunc disputabimus, adversus eos erit, qui Academicos inventioni veritatis adversos fuisse crediderunt. Et ne me territum putes, etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandae sententiae suae caussa, ne ab eis temere pollutis mentibus et quasi profanis quaedam veritatis sacra proderentur, sed ex animo illa, quae in eorum libris legimus, defenderunt. Quod hodie facerem, nisi nos solis occasus iam domum redire compelleret. Hactenus illo die disputatum est.

XI. 25. Postridie autem quamvis non minus blandus tranquillusque dies illuxisset, vix tandem domesticis negotiis evoluti sumus. Nam magnam eius partem in epistolarum maxime scriptione consumpseramus. Et quum iam duae horae vix reliquae forent, ad pratum processimus. Nam invitabat caeli nimia serenitas, placuitque ut ne ipsum quidem quod restiterat tempus perire pateremur. Itaque quum ad arborem solitam ventum esset et mansissemus loco: Velim vos, inquam, adolescentuli, quoniam non est hodie magna res aggredienda, in memoriam mihi revocetis, quomodo hesterno die rogatiunculae, quae vos turbavit, Alypius responderit. Hic Licentius: Tam breve est, inquit, ut nihil negotii sit hoc recordari; quam leve sit autem tu videris. Nam, ut opinor, vetuit te, res quum constaret, de verbis movere quaestionem. Et ego: Hoc ipsum, inquam, quid sit, quamve habeat vim, satis animadvertistis? Videor, inquit, mihi videre quid sit, sed quaeso tu id paullisper exponas. Nam saepe abs te audivi, turpe esse disputantibus in verborum quaestione immorari, quum certamen nullum de rebus remanserit. Sed hoc subtilius est, quam ut explicandum a me debeat flagitari.

26. Audite ergo, inquam, quid sit, vos: Id probabile vel veri simile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur, agamus tamen. Ut verbi caussa, utrum hesterna nocte, tam liquida ac pura, hodie tam laetus sol exorturus esset, si nos quispiam rogaret, credo, quod nos id scire negaremus, diceremus tamen ita videri. Talia, inquit Academicus, mihi videntur omnia, quae probabilia vel veri similia putavi nominanda; quae tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. Satis enim mihi est, te iam bene accepisse quid dicam, id est, quibus rebus haec nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. Satisne intellexistis, quomodo mihi ludicra illa, quibus vos agitabam, de manibus excussa sint? Hic quum ambo se intellexisse respondissent, vultuque ipso responsionem postularent meam: Quid putatis, inquam, Ciceronem, cuius haec verba sunt, inopem fuisse Latinae linguae, ut minus apta rebus imponeret, quas sentiebat, nomina?

XII. 27. Tum Trygetius: Iam, inquit, placet nobis, quum res nota sit, de verbis nullas calumnias commovere: quare vide potius,

quid huic respondeas, qui nos liberavit, in quos tu impulsus tentas iterum irruere. Et Licentius: Mane, ait, quaeso: nam mihi sublucet nescio quid, quo videam non tibi tam facile tantum argumentum eripi debuisse. Et quum defixus in cogitatione siluisset aliquantum: Rogo, inquit, nihil mihi videtur esse absurdius, quam dicere se veri simile sequi eum, qui verum quid sit ignoret: nec illa me tua similitudo conturbat. Nam recte ego interrogatus, utrum ex ista temperie caeli nulla in crastinum pluvia cogatur, respondeo esse veri simile, qui me non nego nosse aliquid veri. Nam scio arborem istam modo argenteam fieri non posse, multaque talia vera non impudenter me scire dico, quorum video esse similia ea, quae veri similia nomino. Tu vero, Carneades, vel quae alia Graeca pestis, ut nostris parcam, (quid enim dubitem in hanc partem transire ad eum, cui captivus debeor iure victoriae?) tu ergo, quum te nihil veri scire dicas, unde hoc veri simile sequeris? — At enim nomen ei non potui aliud imponere. — Quid ergo nobis disputandum est cum eo, qui nec loqui potest?

28. Non ego, inquit Alypius, perfugas metuam; quanto minus ille Carneades, in quem nescio utrum iuvenili an puerili levitate commotus, maledicta potius quam aliquod telum putasti esse iaciendum. Nam illi quidem ad roborandam sententiam suam, quae semper tenus probabili fundata fuit, hoc interim adversum te facile suffecerit, ita nos a veri inventione procul esse positos, ut tu tibi ipse magno argumento esse possis, qui ita una interrogatiuncula loco motus es, ut, ubi tibi standum esset, penitus ignorares. Sed haec, atque scientiam tuam, quam tibi impressam de hac arbore paullo ante confessus es, in aliud tempus differamus. Quamvis enim iam alias partes delegeris, tamen sedulo docendus es, quid paullo ante dixerim. Nondum enim, ut opinor, in eam quaestionem, qua, utrum inveniri verum possit, quaeritur, progressi fueramus: sed illud tantum in ipso vestibulo defensionis meae praescribendum putavi, in quo te lassum prostratumque prospexeram, hoc est, utrum veri simile, an probabile, an alio si quo nomine appellari potest, quod sibi Academici sat esse dicant, quaerendum non esse. Nam si tu optimus iam inventor veritatis tibi videris; nihil ad me. Postea, si ingratus non fueris huic patrocinio meo, eadem fortasse me docebis.

29. Hic ego, quum verecunde Licentius Alypii impetum formidaret, Omnia potius, inquam, Alypi, loqui maluisti, quam quemadmodum nobis cum iis, qui loqui nesciant, disputandum sit. Et ille: Quoniam olim tum mihi, tum omnibus notum est, et nunc tua professione satis indicas te loquendi peritum esse, velim explices utilitatem primo huius inquisitionis[17] suae, quae aut superflua est, ut opinor, et ei multo magis respondere superfluum est: aut si commoda visa fuerit, et a me explicari nequierit, precario abs te impetrem, ut magistri officium ne gravere. Meministi, inquam, heri me esse pollicitum de istis vocabulis post acturum. Et nunc ille sol admonet, ut, quae ludicra pueris proposui, redigam in cistas, praesertim quum ea ornandi iam potius quam vendendi gratia proponam. Nunc ante quam stilum nostrum tenebrae occupent, quae patronae Academicorum solent esse,

volo inter nos hodie plenissime constet, ad quam quaestionem nobis explicandam mane surgendum sit. Itaque responde, quaeso, utrum tibi videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam, et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse: an vero ita senserint, ut eorum disputationes se habent?

30. Tum ille: Quid illis animi fuerit, inquit, non temere confirmabo. Nam quantum ex libris colligi datur, tu melius nosti, quae in verba sententiam suam promere soleant. Me autem de me ipso si consulis, inventum nondum verum esse puto. Addo etiam quod de Academicis flagitabas, nec posse inveniri me putare, non solum inolita, quam semper fere animadvertisti, opinione mea, sed etiam auctoritate magnorum excellentiorumque philosophorum, quibus nos praebere colla sive imbecillitas nostra, sive sagacitas ipsorum, ultra quam nihil iam inveniri posse credendum est, nescio quomodo compellit. Hoc est, inquam, quod volui. Nam verebar, ne quum tibi quoque id videretur quod mihi, disputatio nostra manca remaneret, nullo exsistente, qui ex altera parte rem venire in manus cogeret, ut diligenter quantum possumus versaretur. Itaque si id evenisset, paratus eram te rogare ut Academicorum partes ita susciperes, quasi tibi non solum disputasse, sed etiam sensisse viderentur, verum non posse comprehendi. Quaeritur ergo inter nos, utrum illorum argumentis probabile sit, nihil percipi posse, ac nulli rei esse assentiendum; quod si obtinueris, cedam libenter. Si autem demonstrare potuero multo esse probabilius, et posse ad veritatem pervenire sapientem, et assensionem non semper esse cohibendam, nihil habebis, ut opinor, cur non te in meam sententiam transire patiaris. Quod quum illi placuisset et ceteris, qui aderant, iam vespere obumbrati domum revertimus.

LIBER TERTIUS.

Exhibet disputationes duas, quarum initio statuitur fortunam nihil sive adiumento sive impedimento esse sapienti. Mox Augustinus, repugnante pro susceptis partibus Alypio, probat, non nihil sciri a sapiente, utpote qui saltem sapientiam noverit. Deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redarguit Academicorum placita: Nihil percipi posse: et, Nulli rei debere assentiri. Dicit demum videri sibi Academicos non ita sensisse, uti vulgo existimantur.

I. 1. Quum post illum sermonem, quem secundus liber continet, alio die consedissemus in balneis, (nam erat tristior quam ut ad pratum liberet

descendere,) sic exorsus sum: Arbitror vos iam satis animadvertisse, qua de re inter nos discutienda quaestio constituta sit. Sed antequam ad partes meas veniam; quae ad eam pertinent explicandam, pauca quaeso de spe, de vita, de instituto nostro non ab re abhorrentia libenter audiatis. Negotium nostrum non leve aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror, magno opere quaerere veritatem: hoc inter me atque Alypium convenit. Nam et ceteri philosophi sapientem suum eam invenisse putaverunt, et Academici sapienti suo summo conatu inveniendam esse professi sunt, idque illum agere sedulo. Sed quoniam vel lateret obruta, vel confusa non emineret, ad agendam vitam id eum sequi, quod probabile ac veri simile occurreret. Id etiam vestra pristina disceptatione confectum est. Nam quum alter inventa veritate beatum fieri asseruerit hominem, alter vero tantum diligenter quaesita, nulli nostrûm dubium est, nihil esse a nobis huic negotio praeponendum. Quamobrem qualem vobis, quaeso, hesternum diem videmur duxisse? Vobis quidem in studiis vestris vivere licuit. Nam et tu, Trygeti, Virgilii te carminibus oblectasti, et Licentius fingendis versibus vacavit, quorum amore ita perculsus est, ut propter eum maxime mihi istum sermonem inferendum putarem, quo in eius animo philosophia (nunc enim tempus est) maiorem partem, non modo quam poëtica, sed quaevis alia disciplina, sibi usurpet ac vindicet.

II. 2. Sed quaeso vos, nonne miserati nostri estis, quum pridie ita cubitum issemus, ut ad dilatam quaestionem, et prorsus ad nihil aliud surgeretur, quod tanta de re familiari necessario peragenda exstiterunt, ut his penitus occupati, vix duas extremas diei horas in nosmet ipsos respirare possemus? Quare semper fuit sententia mea, sapienti iam homini nihil opus esse: ut autem sapiens fiat, plurimum necessariam esse fortunam: nisi quid aliud videtur Alypio. Tum ille: Quantum iuris, inquit, fortunae tribuas, nondum bene novi. Nam si ad contemnendam fortunam, fortuna ipsa opus esse arbitraris, me quoque comitem in hanc sententiam do tibi. Sin fortunae nihil aliud concedis, quam ea, quae corporis necessitati non possunt nisi ipsa volente suppetere, non ita sentio. Aut enim licet eadem repugnante atque invita, nondum sapienti, cupido tamen sapientiae ea sumere, quae vitae necessaria confitemur: aut concedendum est etiam in omni sapientis vita eam dominari, quum et ipse sapiens iis, quae corpori necessaria sunt, non indigere non possit.

3. Dicis ergo, inquam, fortunam esse necessariam studioso sapientiae, sapienti vero negas. Non ab re est eadem repetere, inquit. Itaque nunc etiam abs te quaero, utrum fortunam ad se ipsam contemnendam aliquid iuvare aestimes. Quod si arbitraris, dico sapientiae cupidum magno opere indigere fortuna. Arbitror, inquam, si quidem per illam erit talis, qualis eam possit contemnere: nec absurdum est. Nam sic etiam parvis nobis ubera necessaria sunt, quibus efficitur, ut sine his postea vivere ac valere possimus. Sententias, ait, nostras, si animi conceptio non dissonat, concordare mihi liquet: nisi forte discernendum cuiquam videtur, quod vel fortunae vel uberum, non ipsa ubera seu fortuna, sed alia res quaedam nos faciat contemptores.

Nihil magnum est, inquam, alio simili uti. Nam ut sine navi, vel quolibet vehiculo, aut omnino, ne vel ipsum Daedalum timeam, sine ullis ad hanc rem accommodatis instrumentis, aut aliqua occultiore potentia, Aegaeum mare nemo transmittit, quamvis nihil aliud quam pervenire proponat, quod quum ei evenerit, illa omnia quibus advectus est, paratus sit abiicere atque contemnere: ita quisquis ad sapientiae portum et quasi firmissimum et quietissimum solum pervenire voluerit, quoniam, ut alia omittam, si caecus ac surdus fuerit, non potest, quod positum est in potestate fortunae, necessariam mihi videtur ad id, quod concupivit, habere fortunam. Quod quum obtinuerit, quamvis putetur indigere quibusdam rebus ad corporis valetudinem pertinentibus, illud tamen constat, non his opus esse, ut sapiens sit, sed ut inter homines vivat. Immo, ait ille, si caecus ac surdus sit, et sapientiam adipiscendam, et ipsam vitam, propter quam sapientia quaeritur, mea sententia, iure contemnet.

4. Tamen, inquam, quum ipsa vita nostra, qua hic vivimus, sit in potestate fortunae, nec nisi vivens quisque sapiens fieri possit, nonne fatendum est, opus esse eius favore, quo ad sapientiam pervehamur? Sed quum sapientia, inquit, non nisi viventibus sit necessaria, remotaque vita nulla sit indigentia sapientiae, nihil in propaganda vita pertimesco fortunam. Etenim quia vivo, propterea volo sapientiam, non quod sapientiam desidero, volo vitam. Unde fortuna si mihi abstulerit vitam, auferet caussam quaerendae sapientiae. Nihil igitur habeo, cur ut fiam sapiens, aut favorem optem fortunae, aut impedimenta formidem, nisi alia fortasse protuleris. Tum ego: Non igitur censes sapientiae studiosum posse a fortuna, ne ad sapientiam perveniat, impediri, etiam si ei non auferat vitam? Non arbitror, inquit.

III. 5. Volo, inquam, mihi paullulum aperias, quid tibi inter sapientem et philosophum distare videatur? Sapientem a studioso, ait, nulla re differre arbitror; nisi quod quarum rerum in sapiente quidam habitus inest, earum est in studioso sola flagrantia. Quae sunt tandem istae res, inquam? Nam mihi nihil aliud videtur interesse, nisi quod alter scit sapientiam, alter scire desiderat. Si scientiam, inquit, modesto fine determinas, ipsam rem planius elocutus es. Quoquo modo, inquam, eam determinem, illud omnibus placuit, scientiam falsarum rerum esse non posse. In hoc mihi, inquit ille, visa fuit obiicienda praescriptio, ne inconsiderata consensione mea facile in principalis illius quaestionis campis tua equitaret oratio. Plane, inquam, mihi nihil ubi equitare possem reliquisti. Nam nisi fallor, quod iamdudum molior, ad ipsum finem pervenimus. Si enim, ut subtiliter vereque dixisti, nihil inter sapientiae studiosum et sapientem interest, nisi quod iste amat, ille autem habet sapientiae disciplinam, unde etiam nomen ipsum, id est, habitum quendam exprimere non cunctatus es: nemo autem habere disciplinam potest in animo qui nihil didicit, nihil autem didicit qui nihil novit, et nosse falsum nemo potest: novit igitur sapiens veritatem, quem disciplinam sapientiae habere in animo, id est, habitum iam ipse confessus es. Nescio, inquit, cuius impudentiae sim, si habitum inquisitionis divinarum humanarumque rerum esse in

sapiente confessum me negare voluero. Sed quî tibi videatur inventorum probabilium habitus non esse, non video. Concedis mihi, inquam, falsa neminem scire? Facile id quidem, inquit. Dic iam, si potes, inquam, sapientem nescire sapientiam. Quid enim? ait, hoc limite universa concludis, ut videri sibi non possit, comprehendisse se sapientiam? Da, inquam, dexteram. Nam si meministi, hoc est quod heri me dixi effecturum, quod nunc non a me conclusum, sed a te ultro mihi oblatum esse gaudeo. Nam quum inter me et Academicos hoc interesse dixissem, quod illis probabile visum est, veritatem non posse comprehendi; mihi autem nondum quidem a me inventam, inveniri tamen posse a sapiente videatur, nunc tu, quum mea interrogatione urgereris, utrum sapiens nesciat sapientiam, Videtur sibi scire: dixisti. Quid tum postea, inquit? Quia si videtur sibi, inquam, scire sapientiam, non ei videtur nihil scire posse sapientem. Aut si sapientia nihil est, volo affirmes.

6. Crederem vere, inquit, ad calcem nos finemque venisse, sed repente quum dexteras interposuisti, disiunctissimos nos esse et in longum progressos video: videlicet quod hesterno die a nobis nulla alia quaestio constituta videbatur, nisi quod sapientem ad comprehensionem veri pervenire posse, affirmante te, ego negaveram: nunc vero nihil me opinor concessisse tibi, quam videri posse sapienti, probabilium rerum se consecutum esse sapientiam: quam tamen sapientiam in investigatione divinarum humanarumque rerum me constituisse nulli nostrûm arbitror dubium. Non, inquam, ideo, quia involvis, evolveris: videris enim iam mihi exercendi tui caussa disputare. Et quia bene nosti istos adolescentulos vix adhuc posse discernere quae acute ac subtiliter disseruntur, tamquam iudicum abuteris ignorantia, ut tibi quantum libet loqui nullo liceat reclamante. Nam paullo ante dixisti, quum quaererem, utrum sciret sapiens sapientiam, scire sibi videri. Cui ergo videtur, sapientem scire sapientiam, non utique videtur nihil scire sapientem. Hoc enim contendi non potest, nisi quisquam dicere audeat, nihil esse sapientiam. Ex quo fit, ut iam hoc tibi, quod etiam mihi videatur; nam mihi videtur sapientem non nihil scire, et tibi, opinor, cui placet, videri sapienti sapientem scire sapientiam. Tum ille, Non magis me ingenium exercere velle quam te arbitror, et id miror; non enim tibi ulla in hanc rem exercitatione opus est. Nam mihi adhuc fortasse caeco videtur interesse inter videri sibi scire, et scire, et inter sapientiam, quae in investigatione posita est, et veritatem: quae a nobis quum alterutra dicantur, sibi quemadmodum quadrent non invenio. Tum ego, quum iam ad prandium vocaremur, Non, inquam, mihi quod tantum reniteris displicet: aut enim ambo nescimus quid loquamur, et danda est opera, ne tam turpes simus; aut unus nostrûm, quod item relinquere atque negligere non minus turpe est; sed pomeridianis horis rediemus ad invicem. Mihi enim quum videretur iam nos ad calcem pervenisse, pugnos etiam miscuisti. Hic quum arrisissent, discessimus.

IV. 7. Et quum redissemus, invenimus Licentium, cui nunquam sitienti Helicon subvenisset, excogitandis versibus inhiantem. Nam de medio paene prandio, quamvis nostri prandii idem initium qui finis fuit,

clam surrexerat, nihilque biberat. Cui ego, Opto quidem, inquam, tibi, ut istam poëticam quam concupisti complectaris aliquando: non quod me nimis delectet ista perfectio, sed quod video te tantum exarsisse, ut nisi fastidio evadere ab hoc amore non possis, quod evenire post perfectionem facile solet. Deinde quum sis bene canorus, malim auribus nostris inculces tuos versus, quam ut in illis Graecis tragoediis, more avicularum, quas in caveis inclusas videmus, verba quae non intelligis cantes. Admoneo tamen, ut pergas potum, si voles, et ad scholam redeas nostram, si tamen aliquid iam de te Hortensius et philosophia meretur, cui dulcissimas primitias iam vestro illo sermone libasti, qui te vehementius quam ista poëtica incenderat ad magnarum et vere fructuosarum rerum scientiam. Sed dum ad istarum disciplinarum, quibus excoluntur animi,[1] circum revocare vos cupio, metuo ne vobis labyrinthus fiat, et prope me poenitet ab illo te impetu repressisse. Erubuit ille, discessitque ut biberet. Nam et multum sitiebat, et occasio dabatur evitandi me, plura fortasse atque asperiora dicturum.

8. Et quum redisset, intentis omnibus, sic coepi: Itane est, Alypi, ut inter nos de re iam, ut mihi videtur, manifestissima non conveniat? Non mirum est, inquit, si quod tibi in promptu esse adseris, mihi obscurum sit: siquidem pleraque manifesta possint aliis manifestiora, et item obscura quaedam nonnullis obscuriora esse. Nam si et hoc tibi vere manifestum est, mihi crede, esse alium quemquam, cui et hoc manifestum tuum manifestius sit: et item alium, cui meum obscurum obscurius sit. Sed ne me perpugnacem diutius putes, obsecraverim, ut hoc manifestum manifestius edisseras. Attende, inquam, quaeso diligenter, et quasi seposita paullulum respondendi cura. Si enim bene me atque te novi, facile data opera clarebit quod dico, et alter alteri cito persuadebit. Dixistine tandem, an fortasse obsurdueram, videri sapienti se scire sapientiam? Annuit. Omittamus, inquam, paullulum istum sapientem. Tu ipse sapiens es, an non? Nihil, inquit, minus. Volo tamen, inquam, respondeas mihi, quid ipse sentias de sapiente Academico, utrumnam tibi videatur scire sapientiam? Utrum sibi, inquit, scire videatur, an sciat, unumne an diversum putas? Metuo enim, ne haec confusio cuiquam nostrum suffugium praebeat.

9. Hoc est, inquam, Tuscum illud iurgium quod dici solet, quum quaestioni intentatae non eius solutio, sed alterius obiectio videtur mederi. Quod etiam poëta noster (ut me aliquantum Licentii auribus dedam) decenter in Bucolico carmine hoc rusticanum et plane pastoricium esse iudicavit, quum alter alterum interrogat, ubi caeli spatium non amplius quam tres ulnas pateat: ille autem: *Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum nascantur flores.* Quod quaeso, Alypi, ne in villa nobis licere arbitreris: certe vel istae balneolae aliquam decoris gymnasiorum faciant recordationem: ad id, si placet, quod rogo, responde. Videturne tibi sapiens Academicorum scire sapientiam? Ne verba verbis referendo, inquit, in longum eamus, videtur videri sibi scire. Videtur ergo, inquam, tibi nescire? Non enim ego quaero, quid tibi videatur videri sapienti, sed utrum tibi videatur sapiens scire

sapientiam. Potes, ut opinor, hic aut aiere, aut negare. O utinam, inquit, aut ita mihi facile esset ut tibi, aut ita tibi difficile ut mihi, nec tam molestus esses, nec in his quidquam sperares! Nam quum me interrogares, quid mihi de Academico sapiente videatur, respondi, videri mihi quod videatur sibi scire sapientiam, ne aut temere me scire affirmarem, aut illum non minus temere scire dicerem. Pro magno, inquam, beneficio mihi obsecro concedas primo, ut ad id, quod ego; non ad id, quod tute interrogas, respondere digneris. Deinde ut spem meam, quam tibi non minus curae, quam tuam esse certo scio, nunc paullulum omittas. Certe si me ista interrogatione decepero, cito transibo in tuam partem, controversiamque finiemus. Postremo ut pulsa nescio qua sollicitudine, qua te tangi video, diligentius animadvertas, quo facile intelligas, quid mihi abs te responderi velim. Dixisti enim, ideo te non aut aiere aut negare, quod utique faciendum est ad id quod rogo, ne temere te scire dicas, quod nescis: quasi vero ego quid scias quaesierim, et non quid tibi videatur. Itaque nunc planius (si tamen planius dici potest) interrogo, Videturne tibi scire sapientiam sapiens, an non videtur? Si inveniri, inquit, sapiens qualem ratio prodit, queat: potest mihi videri scire sapientiam. Ratio igitur, inquam, talem tibi prodit esse sapientem, qui sapientiam non ignoret: et recte istuc. Non enim aliter decebat videri tibi.

10. Quaero ergo iam, utrum possit sapiens inveniri. Si enim potest, potest etiam scire sapientiam, omnisque quaestio inter nos dissoluta est. Si autem non posse dicis, iam non quaeretur, utrum sapiens aliquid sciat, sed utrum sapiens quisquam esse possit. Quo constituto, iam recedendum erit ab Academicis, et tecum ista quaestio, quantum valemus, diligenter cauteque versanda. Nam illis placuit, vel potius visum est, et esse posse hominem sapientem, et tamen in hominem scientiam cadere non posse. Quare illi sapientem nihil scire affirmarunt. Tibi autem videtur scire sapientiam, quod non est utique nihil scire. Simul enim placuit inter nos, quod etiam inter omnes veteres, interque ipsos Academicos, scire falsa neminem posse: unde illud iam restat, ut aut contendas nihil esse sapientiam, aut talem sapientem ab Academicis describi, qualem ratio non habet, fatearis.

V. 11. Et his omissis consentias, ut quaeramus, utrum possit homini talis provenire sapientia, qualem prodit ratio. Non enim aliam debemus, aut possumus recte vocare sapientiam. Et si concedam, inquit, quod te magno opere niti video, sciri a sapiente sapientiam, et aliquid inter nos deprehensum quod sapiens possit percipere, tamen nequaquam mihi occurrit Academicorum labefactata omnis intentio. Prospicio enim defensionis eis locum non minimum reservatum, nec illam assensionis suspensionem esse praecisam, quum hoc ipso caussae suae deesse non possint, quo convictos putas. Dicent enim usque adeo nihil comprehendi, nullique rei assensionem praebendam, ut etiam hoc de nihil percipiendo, quod tota sibi paene vita usque ad te probabiliter persuaserant, nunc ista conclusione sibi extortum sit: ut sive tunc, sive nunc huius argumenti vis tarditate ingenii mei, sive re vera suo robore invicta sit, eos loco movere non possit, quum

audacter affirmare adhuc valeant, ne nunc quidem ulli rei assentiendum esse. Forte enim aliquando contra hoc quoque nonnihil vel a se vel a quopiam reperiri posse, quod acute probabiliterque dicatur: suamque imaginem et quasi speculum quoddam in Proteo illo animadverti oportere, qui traditur eo solere capi quo minime caperetur, investigatoresque eius nunquam eundem tenuisse, nisi indice alicuiusmodi numine. Quod si adsit, et illam nobis veritatem, quae tantum curae est, demonstrare dignetur, ego quoque vel ipsis invitis, quod minime reor, illos superatos esse confitebor.

12. Bene habet, inquam; prorsus nihil amplius optavi. Nam videte, quaeso, bona mihi quot et quanta provenerint. Primum est, quod Academici iam sic convicti esse dicuntur, ut nihil eis restet ad defensionem, nisi quod fieri non potest. Quis enim hoc aut intelligere ullo modo, aut credere valeat, eum qui victus sit, eo ipso quo victus est, victorem se esse gloriari? Deinde si quid iam remanet cum his conflictionis, non ex eo est, quod dicunt, nihil sciri posse, sed ex eo, quod nulli rei assentiendum esse contendunt: nunc itaque concordes sumus. Nam ut mihi, ita etiam illis videtur, sapientem scire sapientiam. Sed tamen ab assensione illi temperandum monent. Videri enim sibi tantum dicunt: scire autem nullo modo: quasi ego me scire profitear. Mihi quoque videri istud dico: sum enim stultus, ut etiam ipsi, si nesciunt sapientiam. Approbare autem nos debere aliquid puto, id est, veritatem. De quo eos consulo, utrum negent, id est, utrum eis placeat, veritati assentiendum non esse. Nunquam hoc dicent, sed eam non inveniri asseverabunt. Ergo et hic ex nonnulla parte socium me tenent, quod utrisque non displicet, atque adeo necessario placet, consentiendum esse veritati. Sed quis eam demonstrabit? inquiunt. Ubi ego cum illis non curabo certare: satis mihi est quod iam probabile non est, nihil scire sapientem, ne rem absurdissimam dicere cogantur, aut nihil esse sapientiam, aut sapientiam nescire sapientem.

VI. 13. Quis autem verum possit ostendere, abs te, Alypi, dictum est, a quo ne dissentiam, magno opere mihi laborandum est. Etenim numen aliquod aisti solum posse ostendere homini quid sit verum, quum breviter, tum etiam pie. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentius audivi, nihil gravius, nihil probabilius, et, si id numen, ut confido, adsit, nihil verius. Nam et Proteus ille, quanta abs te mentis altitudine commemoratus, quanta intentione in optimum philosophiae genus! Proteus enim ille, ut vos adolescentes non penitus poëtas a philosophia contemnendos esse videatis, in imaginem veritatis inducitur. Veritatis, inquam, Proteus in carminibus ostentat sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus comprehensionis nodos vel laxaverit vel dimiserit. Sunt enim istae imagines, quae consuetudine rerum corporalium per istos, quibus ad necessaria huius vitae utimur, sensus, nos etiam, quum veritas tenetur et quasi habetur in manibus, decipere atque illudere moliuntur. Hoc ergo tertium bonum mihi accidit, quod non invenio quanti aestimem. Mecum enim familiarissimus amicus meus, non solum de probabilitate humanae vitae,

verum etiam de ipsa religione concordat, quod est veri amici manifestissimum indicium. Siquidem amicitia rectissime atque sanctissime definita est, rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et caritate consensio.

VII. 14. Tamen ne aut Academicorum argumenta quasdam nebulas videantur offundere, aut doctissimorum virorum auctoritati, inter quos maxime Tullius non movere nos non potest, superbe nonnullis resistere videamur, si vobis placet, prius pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illae adversari veritati. Deinde ut mihi videtur, ostendam, quae caussa fuerit Academicis occultandae sententiae suae. Itaque, Alypi, quamvis te totum in meis partibus videam, tamen suscipe pro his paullulum, mihique responde. Quoniam hodie, inquit, auspicato, ut aiunt, processisti, non impediam plenissimam victoriam tuam, et partes illas iam securius, quo abs te imponuntur, tentabo suscipere: si tamen hoc quod interrogationibus te acturum esse significas, in orationem perpetuam (si tibi commodum est) malis convertere, ne vere ut pertinax adversarius, quod a tua humanitate longissimum est, minutis illis telis abs te iam captivus excrucier.

15. Atque ego, quum et illos hoc exspectare animadverterem, quasi aliud ingressus exordium, Morem, inquam, vobis geram. Et quamvis post illum laborem scholae rhetoricae in hac me levi armatura nonnihil requieturum esse praesumpseram, ut interrogando ista potius agerem quam dicendo: tamen quia et paucissimi sumus, ut clamare mihi contra valetudinem meam non sit necesse, et istum stilum caussa eiusdem salutis quasi aurigam moderatoremque sermonis mei esse volui, ne concitatius rapiar animo quam cura corporis poscit, perpetua, ut vultis, oratione audite quid sentiam. Sed primo illud videamus quale sit, unde amatores Academicorum gloriari nimium solent. Nam est in libris Ciceronis, quos in huius caussae patrocinium scripsit, locus quidam, ut mihi videtur, mira urbanitate conditus, ut nonnullis autem, etiam firmitate roboratus. Difficile est prorsus, ut quemquam non moveat quod ibi dictum est, Academico sapienti ab omnibus ceterarum sectarum, qui sibi sapientes videntur, secundas partes dari, quum primas sibi quemque vindicare necesse sit. Ex quo posse probabiliter confici, eum recte primum esse iudicio suo, qui omnium ceterorum iudicio sit secundus.

16. Fac enim, verbi caussa, Stoicum adesse sapientem; nam contra eos potissimum Academicorum exarsit ingenium. Ergo Zeno vel Chrysippus si interrogentur, quis sit sapiens: respondebit eum esse, quem ipse descripserit. Contra Epicurus vel quis alius adversariorum negabit, suumque potius peritissimum voluptatum aucupem sapientem esse contendet. Inde ad iurgium; clamat Zeno, et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud quam honestatem: ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito et quasi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem; in quorum societatem et hominem et sapientem trudere nefas esse. Contra ille convocata de hortulis in auxilium quasi † libera turba temulentorum, quaerentium tamen, quem

incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem, teste populo exaggerans, instat acriter, ut nisi ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes: sed si in illos aut in istos concesserit, ab eis quos deserit, insanus, imperitus temerariusque clamabitur. Itaque quum et hac et illac aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, quis sit melior, Epicurusne, qui delirare illum clamat, an Academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat. Nemo dubitat Academicum praelatum iri. Rursus te ad illum converte, et quaere, quem magis amet, Zenonem, a quo bestia nominatur, an Arcesilam, a quo audit: Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius. Nonne apertum est, totam illam porticum insanam, Academicos autem prae illis modestos cautosque homines videri Epicuro? Ita peraeque prope de omnibus sectis copiosissime Cicero iucundissimum legentibus quasi spectaculum praebet, velut ostendens nullum illorum esse, qui non quum sibi primas partes dederit, quod necesse est, secundas ei dicat dare, quem non repugnare, sed dubitare conspexerit. In quo ego nihil adversabor, nec[2] eis ullam auferam gloriam. Videatur sane quibuslibet Cicero hic non iocatus, sed inania et ventosa quaedam, quod ab ipsorum Graeculorum levitate[3] abhorreret, sequi et colligere voluisse.

VIII. 17. Quid enim me impedit, quin si huic vanitati resistere velim, facile ostendam, quanto minus malum sit indoctum esse quam indocilem. Unde fit, ut quum se ille Academicus iactanticulus quasi discipulum singulis dederit, nemoque illi quod se scire putat persuadere potuerit, magna illorum postea consensione rideatur. Iam enim quisque alium quemlibet adversariorum suorum nihil didicisse, hunc vero nihil posse discere iudicabit. Ex quo deinceps de omnium scholis non ferulis, quod esset deformius quam molestius, sed illorum palliatorum clavis et fustibus proiicietur. Non enim magnum negotium erit, contra communem pestem velut Herculea quaedam postulare auxilia Cynicorum. Si autem ista vilissima gloria cum his certare libeat, quod philosophanti mihi iam quidem, sed nondum sapienti faciliore venia concedendum est, quid habebunt quod possint refellere? Ecce enim faciamus me atque Academicum in illas lites philosophorum irruisse: omnes prorsus adsint. Exponant breviter pro tempore sententias suas. Quaeratur de Carneade quid sentiat. Dubitare se dicet. Itaque illum singuli praeferent ceteris. Ergo omnes omnibus: magna nimirum atque altissima gloria. Quis istum nolit imitari? Et ego itaque interrogatus, idem respondebo; par erit laus. Ea igitur gloria gaudet sapiens, in qua illi stultus aequatur? Quid? si eum etiam facile superat? Nihilne agit pudor? Nam istum Academicum iam de iudicio discedentem tenebo. Quippe avidior huiusmodi victoriae stultitia est. Ergo eo retento prodam iudicibus quod ignorant; et dicam, Ego, viri optimi, hoc cum isto commune habeo, quod dubitat quis vestrûm verum sequatur. Sed habemus etiam proprias sententias, de quibus peto iudicetis. Nam mihi incertum est quidem, quamvis audierim decreta vestra, ubi sit

verum: sed ideo, quod qui sit in vobis sapiens ignoro. Iste autem etiam ipsum sapientem negat aliquid scire, ne ipsam quidem unde sapiens dicitur sapientiam. Quis non videat palma illa cuius sit? Nam si hoc adversarius meus dixerit, vincam gloria. Si autem erubescens confessus fuerit sapientem scire sapientiam, vincam sententia.

IX. 18. Sed ab hoc iam litigioso tribunali secedamus in aliquem locum, ubi nobis nulla turba molesta sit, atque utinam in ipsam scholam Platonis, quae nomen ex eo dicitur accepisse, quod a populo sit secreta. Hic iam non de gloria, quod leve ac puerile est, sed de ipsa vita, et de aliqua spe animi beati, quantum inter nos possumus, disseramus. Negant Academici sciri aliquid posse. Unde hoc vobis placuit, studiosissimi homines atque doctissimi? Movit nos, inquiunt, definitio Zenonis. Cur quaeso? Nam si vera est, non nihil veri novit, qui vel ipsam novit. Sin falsa, non debuit constantissimos commovere. Sed videamus quid ait Zeno. „Tale scilicet visum comprehendi et percipi posse, quale cum falso non haberet signa communia." Hoccine te movit, homo Platonice, ut omnibus viribus ab spe discendi studiosos retraheres, ut totum negotium philosophandi adiuvante quodam etiam mentis ingemiscendo torpore desererent?

19. Sed quomodo illum non permoveret, si et nihil tale inveniri potest, et nisi quid tale est, percipi non potest? Hoc si ita est, dicendum potius erat, non posse in hominem cadere sapientiam, quam sapientem nescire cur vivat, nescire quemadmodum vivat, nescire utrum vivat; postremo, quo perversius magisque delirum et insanum dici nihil potest, simul et sapientem esse, et ignorare sapientiam. Quid enim est durius, hominem non posse esse sapientem, an sapientem nescire sapientiam? Nihil hinc disputandum est, si res ipsa ita posita satis non est ad diiudicandum. Sed illud forte si diceretur, penitus homines a philosophando averterentur: nunc vero inducendi sunt sapientiae dulcissimo ac sanctissimo nomine, ut quum contrita aetate nihil didicerint, postea te summis exsecrationibus prosequantur, quem relictis saltem voluptatibus corporis, ad animi tormenta sunt secuti.

20. Sed videamus per quem potius a philosophia deterreantur. Per eumne qui dixerit, Audi, amice: philosophia non ipsa sapientia, sed studium sapientiae vocatur, ad quam te si contuleris, non quidem dum hic vivis sapiens eris (est enim apud Deum sapientia, nec provenire homini potest) sed, quum te tali studio satis exercueris atque mundaveris, animus tuus ea post hanc vitam, id est, quum homo esse desieris, facile perfruetur? An per eum qui dixerit, Venite mortales ad philosophiam, magnus hic fructus est. Quid enim homini sapientia carius? Venite igitur, ut sapientes sitis, et sapientiam nesciatis? Non, inquit, a me ita dicetur. Hoc est decipere; nam nihil aliud apud te invenietur. Ita fit, ut si hoc dixeris, fugiant tamquam insanum: si alio modo ad hoc adduxeris, facias insanos. Sed credamus propter utramque sententiam, aeque homines nolle philosophari. Si aliquid philosophiae perniciosum Zenonis definitio dicere cogebat, mi homo, idne homini dicendum fuit, unde se doleret, an id, unde te derideret?

21. Tamen quod Zeno definivit, quantum stulti possumus, discu-

tiamus. Id visum ait posse comprehendi, quod sic appareret, ut falsum apparere non posset. Manifestum est, nihil aliud in perceptionem venire. Hoc et ego, inquit Arcesilas, video, et hoc ipso doceo nihil percipi. Non enim tale aliquid inveniri potest. Fortasse abs te atque ab aliis stultis. At a sapiente cur non potest? Quamquam et ipsi stulto nihil responderi posse arbitror, si tibi dicat, ut illo memorabili acumine tuo hanc ipsam Zenonis definitionem refellas, et ostendas eam etiam falsam esse posse: quod si non potueris, hanc ipsam quam percipias habes: si autem refelleris, unde a percipiendo impediaris non habes. Ego eam refelli posse non video, et omnino verissimam iudico. Itaque, quum eam scio, quamvis sim stultus, non nihil scio. Sed fac illam cedere versutiae tuae. Utar complexione securissima. Aut enim vera est, aut falsa: si vera, bene teneo: si falsa, potest aliquid percipi, etiam si habeat communia signa cum falso. Unde, inquit, potest? Verissime igitur Zeno definivit, nec ei quisquis vel in hoc consensit, erravit. An parvae laudis et sinceritatis definitionem putabimus, quae contra eos, qui erant adversum perceptionem multa dicturi, quum designaret quale esset quod percipi posset, se ipsam talem esse monstravit? Itaque comprehensibilibus rebus et definitio est, et exemplum. Utrum, ait, etiam ipsa vera sit, nescio. Sed quia est probabilis, ideo sequens eam ostendo nihil esse tale, quale illa expressit posse comprehendi. Ostendis fortasse praeter ipsam, et vides, ut arbitror, quid sequatur. Quod si etiam eius incerti sumus, nec ita nos deserit scientia. Scimus enim aut veram esse, aut falsam; non igitur nihil scimus. Quamquam nunquam efficiet ut ingratus sim; prorsus ego illam definitionem verissimam iudico. Aut enim possunt percipi et falsa, quod vehementius Academici timent, et re vera absurdum est. Aut nec ea possunt, quae sunt falsis similia: unde illa definitio vera est. Sed iam cetera videamus.

X. 22. Quamvis haec, nisi fallor, possint ad victoriam satis esse, non tamen fortasse ad victoriae satietatem. Duo sunt, quae ab Academicis dicuntur, contra quae, ut valemus, venire instituimus. *Nihil posse percipi*, et, *Nulli rei debere assentiri*. De assentiendo mox alias, nunc pauca de perceptione dicemus. Nihilne prorsus dicitis posse comprehendi? Hic evigilavit Carneades: nam nemo istorum minus alte quam ille dormivit, et circumspexit rerum evidentiam. Itaque credo secum ipse, ut fit, loquens: Ergone, ait, Carneades, dicturus es nescire te utrum homo sis, an formica? Aut de te Chrysippus triumphabit? Dicamus ea nos nescire, quae inter philosophos inquiruntur, cetera ad nos non pertinere, ut si in luce titubavero quotidiana et vulgari, ad illas imperitorum tenebras provocem, ubi soli quidam divini oculi vident: qui me, etiam si palpitantem atque cadentem adspexerint, caecis prodere nequeant, praesertim arrogantibus, et quos doceri aliquid pudeat. Laute quidem, o Graeca industria, succincta et parata procedis, sed non respicis illam definitionem et inventum esse philosophi, et in vestibulo philosophiae fixam atque fundatam. Quam si succidere tentabis, rediet bipennis in crura: illa enim labefactata, non solum potest aliquid percipi, sed etiam id potest quod simillimum

falso est, si eam non audebis evertere. Est enim latibulum tuum, unde in incautos transire cupientes vehemens erumpis atque exsilis: aliquis te Hercules in tua spelunca tamquam semihominem Cacum[4] suffocabit, et eiusdem molibus opprimet, docens aliquid esse in philosophia, quod tamquam simile falso incertum abs te fieri non possit. Certe ad alia properabam; hoc quisquis urget, te ipsum, Carneades, magna afficit contumelia, quem a me veluti mortuum putat ubicunque aut undecunque posse superari; si autem non putat, immisericors est, qui me passim deserere praesidia et tecum in campo certare cogit: in quem descendere quum coepissem, solo tuo nomine territus pedem retuli, et de superiore loco nescio quid iaculatus sum, quod utrum ad te pervenerit, vel quid egerit, viderint sub quorum examine dimicamus. Sed quid metuo ineptus? Si bene memini, mortuus es, nec iam pro sepulcro tuo iure pugnat Alypius; facile me contra umbram tuam Deus adiuvabit.

23. Nihil, ais, in philosophia posse percipi. Et ut orationem tuam large lateque diffundas, arripis rixas dissensionesque philosophorum, et eas tibi contra illos arma ministrare arbitraris. Quo modo enim inter Democritum et superiores physicos de uno mundo et innumerabilibus litem diiudicabimus, quum inter ipsum heredemque eius Epicurum concordia manere nequiverit? Nam iste luxuriosus quum atomos quasi ancillulas suas, id est, corpuscula, quae in tenebris laetus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per iurgia dissipavit. Hoc vero nihil ad me attinet. Si enim ad sapientiam pertinet horum aliquid scire, id non potest latere sapientem. Si autem aliud quiddam est sapientia[5], illam scit sapiens, ista contemnit. Tamen ego qui longe adhuc absum vel a vicinitate sapientis, in istis physicis nonnihil scio. Certum enim habeo, aut unum esse mundum, aut non unum: et si non unum, aut finiti numeri, aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsae esse similem doceat. Item scio mundum istum nostrum, aut natura corporum, aut aliqua providentia sic esse dispositum; eumque aut semper fuisse et fore, aut coepisse esse minime desiturum; aut ortum ex tempore non habere, sed habiturum esse finem; aut et manere coepisse, et non perpetuo esse mansurum: et innumerabilia physica hoc modo novi. Vera enim ista sunt disiuncta, nec similitudine aliqua falsi ea potest quisquam confundere. Sed assume aliquid, ait Academicus. Nolo. Nam hoc est dicere: Relinque quod scis, dic quod nescis. Sed pendet sententia. Melius certe pendet quam cadit: nempe[6] plana est; nempe iam potest aut falsa, aut vera nominari. Hanc ergo me scire dico. Tu, qui nec ad philosophiam pertinere ista negas, et eorum sciri nihil posse asseris, ostende me ista nescire: dic istas disiunctiones aut falsas esse, aut aliquid commune habere cum falso, per quod discerni omnino non possint.

XI. 24. Unde, inquit, scis esse istum mundum, si sensus falluntur? Nunquam rationes vestrae ita vim sensuum refellere potuerunt, ut convinceretis nobis nihil videri: nec omnino ausi estis aliquando ista tentare, sed posse aliud esse ac videtur, vehementer persuadere incubuistis.

Ego itaque hoc totum, qualecunque est quod nos continet atque alit, hoc, inquam, quod oculis meis apparet, a meque sentitur habere terram et caelum, aut quasi terram et quasi caelum, mundum voco. Si dicis nihil mihi videri, nunquam errabo. Is enim errat, qui quod sibi videtur, temere probat. Posse enim falsum videri a sentientibus dicitis, nihil videri non dicitis. Prorsus enim omnis disputationis caussa tolletur, ubi regnare vos libet, si non solum nihil scimus, sed etiam nihil nobis videtur. Si autem hoc quod mihi videtur negas mundum esse, de nomine controversiam facis, quum id a me dixerim mundum vocari.

25. Etiamne, inquies, si dormis, mundus est iste, quem vides? Iam dictum est, quidquid tale mihi videtur, mundum appello. Sed si eum solum placet mundum vocare, qui videtur a vigilantibus vel etiam a sanis, illud contende, si potes, eos qui dormiunt ac furiunt, non in mundo furere atque dormire. Quamobrem hoc dico, istam totam corporum molem atque machinam, in qua sumus, sive dormientes, sive furentes, sive vigilantes, sive sani, aut unam esse, aut non esse unam. Edissere, quomodo possit ista esse falsa sententia. Si enim dormio, fieri potest, ut nihil dixerim: aut si etiam ore dormientis verba, ut solet, evaserunt, potest fieri, ut non hîc, non ita sedens, non istis audientibus dixerim: ut autem hoc falsum sit, non potest. Nec ergo illud me percepisse dico, quod vigilem. Potes enim dicere, hoc mihi etiam dormienti videri potuisse; ideoque hoc potest esse falso simillimum. Si autem unus et sex mundi sunt, septem mundos esse, quoquo modo affectus sim, manifestum est, et id me scire non impudenter affirmo. Quare vel hanc connexionem, vel illas superius disiunctiones, doce somno aut furore aut vanitate sensuum posse esse falsas, et me, si expergefactus ista meminero, victum esse concedam. Credo enim iam satis liquere, quae per somnium et dementiam falsa videantur, ea scilicet, quae ad corporis sensus pertinent: nam ter terna novem esse, et quadratum intelligibilium numerorum necesse est, vel genere humano stertente sit verum. Quamquam etiam pro ipsis sensibus multa posse dici video, quae ab Academicis reprehensa non invenimus. Credo enim sensus non accusari, vel quod imaginationes falsas furentes patiuntur, vel quod falsa in somnis videmus. Si enim vera vigilantibus atque sanis renuntiarunt, nihil ad eos quid sibi animus dormientis insanientisque confingat.

26. Restat ut quaeratur, utrum quum ipsi renuntiant, verum renuntient. Age, si dicat Epicureus quispiam: Nihil habeo quod de sensibus conquerar. Iniustum est enim ab eis exigere plus quam possunt: quidquid autem possunt videre oculi, verum vident. Ergone verum est, quod de remo in aqua vident? Prorsus verum. Nam caussa accedente quare ita videretur, si demersus unda remus rectus appareret, magis oculos meos falsae renuntiationis arguerem. Non enim viderent quod talibus exsistentibus caussis videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis avium, hoc de ceteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor, si assentiar, ait quispiam. Noli plus assentiri, quam ut ita tibi apparere persuadeas;

et nulla deceptio est. Non enim video, quomodo refellat Academicus eum, qui dicit: Hoc mihi candidum videri scio; hoc auditum meum delectari scio; hoc mihi iucunde olere scio; hoc mihi sapere dulciter scio; hoc mihi esse frigidum scio. Dic potius, utrum per se amarae sint oleastri frondes, quas caper tam pertinaciter appetit. O hominem improbum! nonne est caper ipse modestior? Nescio quales pecori sint, mihi tamen amarae sunt. Quid quaeris amplius? Sed est fortasse aliquis etiam hominum, cui non sint amarae. Tendisne in molestiam? Numquidnam ego amaras esse omnibus dixi? mihi dixi, et hoc non semper affirmo. Quid si enim alias alià caussâ, nunc dulce quidpiam, nunc amarum in ore sentiatur? Illud dico, posse hominem, quum aliquid gustat, bona fide iurare, se scire palato suo illud suave esse, vel contra, vel ulla calumnia Graeca ab ista scientia posse deduci. Quis enim tam impudens sit, qui mihi cum delectatione aliquid ligurienti dicat: Fortasse non gustas, sed hoc somnium est? Numquidnam resisto? Sed me tamen illud in somnis etiam delectaret. Quare illud quod me scire dixi, nulla confundit similitudo falsorum. Et Epicureus vel Cyrenaici et alia multa fortasse pro sensibus dicant, contra quae nihil dictum esse ab Academicis accepi. Sed quid ad me? Si volunt ista, et si possunt, etiam me favente rescindant. Quidquid enim contra sensus ab eis disputatur, non contra omnes philosophos valet. Sunt enim, qui ista omnia, quae corporis sensu accipit animus, opinionem posse gignere confitentur, scientiam vero negant: quam tamen volunt intelligentia contineri, remotamque a sensibus in mente vivere. Et forte in eorum numero est sapiens ille, quem quaerimus. Sed de hoc alias. Nunc ad reliqua pergamus, quae propter ista, quae iam dicta sunt, paucis (nisi fallor) explicabimus.

XII. 27. Quid enim de moribus inquirentem vel iuvat vel impedit corporis sensus? Nisi vero illos ipsos, qui summum hominis bonum in voluptate posuere, nihil impedit aut columbae collum, aut vox incerta, aut grave pondus homini, quod camelis leve est, aut alia sexcenta, quominus dicant, eo quo delectantur delectari se scire, vel eo quo offenduntur offendi (quod refelli posse non video): eum commovebunt, qui finem boni mente complectitur. Quid horum tu eligis? Si quid mihi videatur, quaeris: in mente arbitror esse summum hominis bonum. Sed nunc de scientia quaerimus. Ergo interroga sapientem, qui non potest ignorare sapientiam: mihi tamen tardo illi atque stulto licet interim scire, boni humani finem, in quo inhabitet beata vita, aut nullum esse, aut in animo esse, aut in corpore, aut in utroque. Hoc me, si potes, nescire convince, quod notissimae illae vestrae rationes nullo modo faciunt. Quod si non potes, (non enim reperies cui falso simile sit,) egone concludere dubitabo, recte mihi videri scire sapientem quidquid in philosophia verum est, quum ego inde tam multa vera cognoverim?

28. Sed metuit fortasse, ne summum bonum eligat dormiens. Nihil periculi est: quum evigilaverit, repudiabit si displicet, tenebit si placet. Quis enim eum recte vituperabit, quod falsum vidit in somnis? Aut fortasse illud formidabit, ne dormiens amittat sapientiam, si

pro veris falsa probaverit? Hoc iam ne dormiens quidem audet somniare, ut sapientem vigilantem vocet, neget si dormiat. Haec etiam de furore dici possunt: sed in alia festinat oratio. Haec tamen sine conclusione securissima non relinquo. Aut enim amittitur furore sapientia, et iam non erit sapiens, quem verum ignorare clamatis: aut scientia eius manet in intellectu, etiam si pars animi cetera id quod accepit a sensibus, velut in somnis imaginetur.

XIII. 29. Restat dialectica, quam certe sapiens bene novit, nec falsum scire quisquam potest. Si vero eam nescit, non pertinet ad sapientiam eius cognitio, sine qua esse sapiens potuit, et superfluo utrum vera sit, possitve percipi, quaerimus. Hic fortasse aliquis mihi dicat: Soles prodere tu stulte quid noveris. An de dialectica nihil scire potuisti? Ego vero plura quam de quavis parte philosophiae. Nam primo omnes illas propositiones, quibus supra usus sum, veras esse ista me docuit. Deinde per istam novi alia multa vera. Sed quam multa sint, numerate si potestis. Si quattuor in mundo elementa sunt, non sunt quinque. Si sol unus est, non sunt duo. Non potest una anima et mori et esse immortalis. Non potest homo simul et beatus, et miser esse. Non hic et sol lucet, et nox est. Aut vigilamus nunc, aut dormimus. Aut corpus est, quod mihi videre videor, aut non est corpus. Haec et alia multa, quae commemorare longissimum est, per istam didici vera esse, quoquo modo sese habeant sensus nostri, in[7] se ipsa vera. Docuit me, si cuius eorum, quae per connexionem modo proposui, pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessario id quod annexum est. Ea vero, quae per repugnantiam vel disiunctionem a me sunt enuntiata, hanc habere naturam, ut quum auferuntur cetera, sive unum, sive plura sint, restet aliquid quod eorum ablatione firmetur. Docuit etiam me, quum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse: si malitia, deserendum. Si doceri non potest, monendum, ut aliquid aliud potius agat, quam tempus in superfluis operamque consumat: si non obtemperat, negligendum. De captiosis autem atque fallacibus ratiunculis breve praeceptum est: si male concedendo inferuntur, ad ea, quae concessa sunt, esse redeundum. Si verum falsumque in una conclusione confligunt, accipiendum inde quod intelligitur, quod explicari non potest relinquendum. Si autem modus in aliquibus rebus latet penitus hominem, scientiam eius non esse quaerendam. Haec quidem habeo a dialectica, et alia multa, quae commemorare non est necesse. Neque enim debeo ingratus exsistere. Verum ille sapiens aut haec negligit, aut si profecto dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam novit, ut istorum mendacissimam calumniam: Si verum est, falsum est; si falsum est, verum est: contemnendo, et non[8] miserando fame enecet. Haec de perceptione satis esse propterea puto, quia de assentiendo quum dicere coepero, tota ibi rursum caussa versabitur.

XIV. 30. Iam ergo ad eam partem veniamus, in qua dubitare adhuc videtur Alypius. Et primo id ipsum perspiciamus quale sit, quod te acutissime atque cautissime movet. Nam si tot tantisque ra-

tionibus roboratam (hoc enim dixisti) Academicorum sententiam, qua eis placuit nihil scire sapientem, hoc tuum labefactat inventum, quo cogimur confiteri, multo esse probabilius, sapientem scire sapientiam, magis est assensio cohibenda. Hoc enim ipso ostenditur, nihil quamlibet copiosissimis subtilissimisque argumentis posse suaderi, cui non ex parte contraria, si adsit ingenium, non minus acriter, vel fortasse acrius resistatur. Eo fit, ut quum sit victus Academicus, vicerit. O utinam vincatur! nunquam efficiet quavis arte Pelasga, ut simul a me victus victorque discedat. Certe nihil aliud inveniatur, quod adversum ista dici possit, et ultro me victum esse profiteor. Non enim de gloria comparanda, sed de invenienda veritate tractamus. Mihi satis est, quoquo modo molem istam transcendere, quae intrantibus ad philosophiam sese opponit, et nescio quibus receptaculis tenebrascens talem esse philosophiam totam minatur, nihilque in ea lucis inventum iri sperare permittit. Quid autem amplius desiderem, nihil habeo, si iam probabile est, nonnihil scire sapientem. Non enim alia caussa veri simile videbatur, eum assensionem sustinere debere, nisi quia erat veri simile nihil posse comprehendi. Quo sublato, percipit enim sapiens vel ipsam, ut iam conceditur, sapientiam, nulla iam caussa remanebit cur non assentiatur sapiens vel ipsi sapientiae. Est enim sine dubitatione monstrosius sapientem non approbare sapientiam, quam sapientem nescire sapientiam.

31. Nam quaeso, paullulum quasi ante oculos tale spectaculum constituamus, si possumus, rixam quandam sapientis et sapientiae. Quid aliud dicit sapientia, quam se esse sapientiam? At contra iste: Non credo, inquit. Quis ait sapientiae, Non credo esse sapientiam? Quis, nisi is cum quo illa loqui potuit, et in quo habitare dignata est, scilicet sapiens? Ite nunc et me quaerite, qui cum Academicis pugnem: habetis iam novum certamen; sapiens et sapientia secum pugnant. Sapiens non vult consentire sapientiae; ego vobiscum securus exspecto. Quis enim non credat invictam esse sapientiam? Tamen nos aliqua complexione muniamus. Aut enim in hoc certamine Academicus vincet sapientiam, et a me vincetur, quia non erit sapiens: aut ab ea superabitur, et sapientem sapientiae consentire docebimus. Aut igitur sapiens Academicus non est, aut nonnulli rei sapiens assentietur: nisi forte quem dicere puduit sapientem nescire sapientiam, sapientem non consentire sapientiae dicere non pudebit? At si iam veri simile est cadere in sapientem vel ipsius sapientiae perceptionem, et nulla caussa est, cur non ei quod potest percipi assentiatur, video quod volebam esse veri simile, sapientem scilicet assensurum esse sapientiae. Si quaeres, ubi inveniat ipsam sapientiam, respondebo in semet ipso. Si dicis eum nescire quod habeat, redis ad illud absurdum, sapientem nescire sapientiam. Si sapientem ipsum negas posse inveniri, non iam cum Academicis, sed tecum quisquis hoc sentis, sermone alio disseremus. Illi enim quum haec disputant, de sapiente profecto disputant. Clamat Cicero, se ipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quaerere. Quod si adhuc vos adolescentes ignotum habetis, certe in Hortensio legistis: „Si igitur nec certi est quidquam, nec opinari sapientis

est, nihil unquam sapiens approbabit." Unde manifestum est, eos de sapiente illis suis disputationibus contra quas nitimur quaerere.

32. Ergo arbitror ego, sapienti certam esse sapientiam, id est, sapientem percepisse sapientiam; et ob hoc eum non opinari, quum assentitur sapientiae. Assentitur enim ei rei, quam si non percepisset, sapiens non esset. Nec isti quemquam non debere assentiri, nisi rebus quae non possunt percipi, affirmant. Non autem sapientia nihil est. Quum igitur et scit sapientiam et assentitur sapientiae, neque nihil scit, neque nulli rei sapiens assentitur: quid amplius vultis? An de illo errore aliquid quaerimus, quem dicunt penitus evitari, si in nullam rem animum declinet assensio? Errat enim, inquiunt, quisquis non solum rem falsam, sed etiam dubiam, quamvis vera sit, approbat: nihil autem quod dubium non sit invenio. At invenit sapiens ipsam, ut dicebamus, sapientiam.

XV. 33. Sed hinc iam vultis fortasse me discedere. Non sunt facile securissima relinquenda; cum versutissimis hominibus agimus: morem tamen vobis geram. Sed quid hîc dicam? quid, quidnam? illud nimirum vetus dicendum est, ubi et ipsi habent quod dicant. Quid enim faciam, quem de castris meis foras truditis? num implorabo auxilia doctiorum, cum quibus si superare nequeo, minus pudebit fortasse superari? Iaciam igitur quibus viribus possum fumosum quidem iam et scabrum, sed nisi fallor, validissimum telum. Qui nihil approbat, nihil agit. O hominem rusticum! Et ubi est probabile? ubi est veri simile? Hoc volebatis. Auditisne ut sonent scuta Graecanica? Exceptum est quod robustissimum quidem: sed qua manu iaculati sumus. Et nihil mihi potentius isti mei suggerunt; nec aliquid, ut video, vulneris fecimus. Convertam me ad ea, quae villa et ager ministrat: onerant me potius maiora quam praeparant.

34. Nam quum otiosus diu cogitassem in isto rure, quonam modo possit istuc probabile ac veri simile actus nostros ab errore defendere, primo visum est mihi, ut solet videri, quum ista vendebam, belle tectum et munitum. Deinde ubi totum cautius circumspexi, visus sum mihi vidisse unum aditum, qua in securos error irrueret. Non enim solum puto eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur. Faciamus enim duos viatores ad unum locum tendentes, quorum alter instituerit nulli credere, alter nimis credulus sit. Ventum est ad aliquod bivium; hic ille credulus pastori qui aderat, vel cuipiam rusticano: Salve, frugi homo: dic, quaeso, qua bene in illum locum pergatur. Respondetur: Si hac ibis, nihil errabis. Et ille ad comitem: Verum dicit, hac eamus. Ridet vir cautissimus, et tam cito assensum facetissime illudit, atque interea illo discedente in bivio figitur: et iam incipit videri turpe cessare, quum ecce ex alio viae cornu lautus quidam et urbanus equo insidens eminet, et propinquare occipit: gratulatur iste. Tum advenienti et salutato indicat propositum, quaerit viam, dicit etiam remansionis suae caussam, quo benevolentiorem reddat, pastori eum praeferens. Ille autem casu planus erat de iis, quos Samardacos[9] iam vulgus vocat. Tenuit suum morem homo pessimus etiam gratis. Hac perge, ait: nam

ego inde venio. Decepit, atque abiit. Sed quando iste deciperetur? Non enim monstrationem istam tamquam veram, inquit, approbo; sed quia est veri similis. Et hic otiosum esse, nec honestum, nec utile est; hac eam. Interea ille, qui assentiendo erravit, tam cito existimans vera esse verba pastoris, in loco illo, quo tendebant, iam se reficiebat: iste autem non errans, si quidem probabile sequitur, circuit silvas nescio quas, nec iam cui locus ille notus sit, ad quem venire proposuerat, invenit. Vere vobis dicam, quum ista cogitarem, risum tenere non potui, fieri per Academicorum verba nescio quomodo, ut erret ille, qui veram viam vel casu tenet, ille autem, qui per avios montes probabiliter ductus est, nec petitam regionem invenit, non videatur errare. Ut enim temerariam consensionem iure condemnem, facilius ambo errant, quam iste non errat. Hinc iam adversum ista verba vigilantior, ipsa facta hominum et mores considerare coepi. Tum vero tam multa mihi et tam capitalia in istos venerunt in mentem, ut iam non riderem, sed partim stomacharer, partim dolerem homines doctissimos et acutissimos in tanta scelera sententiarum et flagitia devolutos.

XVI. 35. Certe enim non fortasse omnis qui errat, peccat: omnis tamen qui peccat, aut errare conceditur, aut aliquid peius. Quid? si ergo aliquis adolescentium quum hos audierit, dicentes: „Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus: sed tamen quum agit quisque quod ei videtur probabile, nec[10] peccat, nec errat": illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum: id igitur audiens adolescens, insidiabitur pudicitiae uxoris alienae. — Te te consulo, M. Tulli; de adolescentium moribus vitaque tractamus, cui educandae atque instituendae omnes illae literae tuae vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare rem publicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille iuvenis coniugem alienam: qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, a quo defendatur? quamquam etiam si inveniat, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid? si tam clarum est, ut frustra infitiere? Persuadebis nimirum, tamquam in Cumano gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, immo etiam nec errasse quidem. Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit, probabile occurrit, secutus est, fecit: aut fortasse non fecit, sed fecisse sibi visus est. Iste autem maritus, homo fatuus, perturbat omnia litibus pro uxoris castitate proclamans, cum qua forte nunc dormit, et nescit. Hoc illi iudices si intellexerint, aut negligent Academicos, et tamquam crimen verissimum punient, aut eisdem obtemperantes, verisimiliter hominem probabiliterque damnabunt, ut iam quid agat iste patronus prorsus ignoret. Cui enim succenseat non habebit, quum omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes id quod visum est probabile fecerint. Ponet igitur personam patroni, et philosophi consolatoris suscipiet: ita facile adolescenti, qui iam tantum in Academia profecerit, persuadebit, ut se tamquam in somnis putet esse damnatum.

Sed vos me iocari arbitramini: liquet[11] deierare per omne divinum, nescire me prorsus quomodo iste peccaverit, si quisquis id egerit quod probabile videtur, non peccat. Nisi forte in totum aliud esse dicunt errare, aliud peccare, seque illis praeceptis egisse, ne erremus, peccare autem nihil magnum esse duxisse.

36. Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quae fieri aut cogitari possunt, flagitiis, aut facinoribus, quae paucis verbis, et quod est gravius, apud sapientissimos iudices defenduntur: Nihil consensi, et ideo non erravi. Quomodo autem non facerem quod probabile visum est? Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant orationem Catilinae, qua patriae parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Iam illud quis non ridet? Ipsi dicunt, nihil se in agendo sequi nisi probabile, et quaerunt magno opere veritatem, quum eis sit probabile non posse inveniri. O mirum monstrum! Sed hoc omittamus; minus id ad nos, minus ad vitae nostrae discrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si haec ratio probabilis erit, quum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committat. Quid ergo? Haec illi non viderunt? Immo sollertissime prudentissimeque viderunt, nec mihi ullo pacto tantum arrogaverim, ut M. Tullium aliqua ex parte sequar industria, vigilantia, ingenio, doctrina: cui tamen asserenti, nihil scire posse hominem, si hoc solum diceretur: Scio ita videri mihi; unde id refelleret non haberet.

XVII. 37. Quid igitur placuit tantis viris perpetuis et pertinacibus contentionibus agere, ne in quemquam cadere veri scientia videretur. Audite iam paullo attentius, non quid sciam, sed quid existimem: hoc enim ad ultimum reservabam, ut explicarem, si possem, quale mihi videatur esse totum Academicorum consilium. Plato vir sapientissimus et eruditissimus temporum suorum, qui et ita locutus est, ut quaecunque diceret, magna fierent, et ea locutus est, ut quomodocunque diceret, parva non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, a Pythagoreis etiam multa didicisse. Pythagoras autem Graeca philosophia non contentus, quae tunc aut paene nulla erat, aut certe occultissima, postquam commotus Pherecydae cuiusdam Syri disputationibus, immortalem esse animum credidit, multos sapientes etiam longe lateque peregrinatus audierat. Igitur Plato adiiciens lepori subtilitatique Socraticae, quam in moralibus habuit, naturalium divinarumque rerum peritiam, quam ab eis quos memoravi diligenter acceperat, subiungensque quasi formatricem illarum partium, iudicemque dialecticam, quae aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset, perfectam dicitur composuisse philosophiae disciplinam, de qua nunc disserere temporis non est. Sat est enim ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc veri similem

et ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea, quae se cognosceret, anima velut expoliri et quasi serenari veritatem: de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quae nisi paucis sapientibus ignotae essent, non posse nisi veri simile nominari.

38. Haec et alia huiusmodi mihi videntur inter successores eius, quantum poterant, esse servata et pro mysteriis custodita. Non enim aut facile ista percipiuntur, nisi ab eis, qui se ab omnibus vitiis mundantes, in aliam quandam plus quam humanam consuetudinem vindicaverint, aut non graviter peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit. Itaque Zenonem principem Stoicorum, quum iam quibusdam auditis et creditis, in scholam relictam a Platone venisset, quam tunc Polemo retinebat, suspectum habitum suspicor, nec talem visum cui Platonica illa velut sacrosancta decreta facile prodi committique deberent, prius quam[12] dedidicisset ea, quae in illam scholam ab aliis accepta detulerat. Moritur Polemo; succedit ei Arcesilas Zenonis quidem condiscipulus, sed sub Polemonis magisterio. Quamobrem quum Zeno sua quadam de mundo, et maxime de anima, propter quam vera philosophia vigilat, sententia delectaretur, dicens eam esse mortalem, nec quidquam esse praeter hunc sensibilem mundum, nihilque in eo agi, nisi corpore, nam et Deum ipsum ignem putabat: prudentissime atque utilissime mihi videtur Arcesilas, quum illud late serperet malum, occultasse penitus Academiae sententiam; et quasi aurum inveniendum quandoque posteris obruisse. Quare quum in falsas opiniones ruere turba sit pronior, et consuetudine corporum omnia esse corporea facillime, sed noxie credatur, instituit vir acutissimus atque humanissimus dedocere potius, quos patiebatur male doctos, quam docere, quos dociles non arbitrabatur. Inde illa omnia nata sunt, quae novae Academiae tribuuntur, quia eorum necessitatem veteres non habebant.

39. Quod si Zeno expergefactus esset aliquando, et vidisset neque quidquam comprehendi posse, nisi quale ipse definiebat, neque tale aliquid in corporibus posse inveniri, quibus ille tribuebat omnia, olim prorsus hoc genus disputationum, quod magna necessitate flagraverat, fuisset exstinctum. Sed Zeno imagine constantiae deceptus, ut ipsis Academicis videbatur, nec mihi etiam non videtur, pertinax fuit: fidesque illa corporum perniciosa quoquo modo potuit pervixit in Chrysippum, qui ei (nam maxime poterat) magnas vires latius se diffundendi dabat, nisi ex illa parte Carneades acrior et vigilantior superioribus ceteris ita restitisset, ut mirer illam opinionem aliquid etiam postea valuisse. Namque Carneades primo illam velut calumniandi impudentiam, qua videbat Arcesilam non mediocriter infamatum, deposuit, ne contra omnia velle dicere quasi ostentationis caussa videretur: sed ipsos proprie sibi Stoicos atque Chrysippum convellendos evertendosque proposuit.

XVIII. 40. Deinde quum undique premeretur, si nulli rei esset assensus, nihil acturum esse sapientem (o hominem mirum! atque adeo

non mirum, ab ipsis enim Platonis fontibus profluebat) attendit sapienter quales illi actiones probarent, easque nescio quarum verarum similes videns, id quod in hoc mundo ad agendum sequeretur, veri simile nominavit. Cui enim esset simile et perite norat, et prudenter tegebat, idque etiam probabile appellabat. Probat enim bene imaginem, quisquis eius intuetur exemplum. Quomodo enim[13] approbat sapiens, aut quomodo simile sequitur veri, quum ipsum verum quid sit ignoret? Ergo illi norant, et approbabant falsa, in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant. Sed quia hoc tamquam profanis nec fas, nec facile erat ostendere, reliquerunt posteris, et quibus illo tempore potuerunt, signum quoddam sententiae suae. Illos autem bene dialecticos de verbis movere quaestionem insultantes irridentesque prohibebant. Ob hoc dicitur Carneades etiam tertiae Academiae princeps atque auctor fuisse.

41. Deinde in nostrum Tullium conflictio ista duravit, iam plane saucia et ultimo spiritu Latinas literas inflatura. Nam nihil mihi videtur inflatius, quam tam multa copiosissime atque ornatissime dicere, non ita sentientem. Quibus tamen ventis foeneus ille Platonicus Antiochus satis, ut mihi videtur, dissipatus atque dispersus est. Nam Epicureorum greges in animis deliciosorum populorum aprica stabula posuerunt. Quippe Antiochus Philonis auditor, hominis quantum arbitror circumspectissimi, qui iam veluti aperire cedentibus hostibus portas coeperat, et ad Platonis auctoritatem Academiam legesque revocare: quamquam et Metrodorus id antea facere tentaverat, qui primus dicitur esse confessus, non[14] decreto placuisse Academicis nihil posse comprehendi, sed necessario contra Stoicos huiusmodi eos arma sumpsisse. Igitur Antiochus, ut institueram dicere, auditis Philone Academico et Mnesarcho Stoico in Academiam veterem, quasi vacuam defensoribus, et quasi nullo hoste securam, velut adiutor et civis irrepserat, nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret. Sed huic arreptis iterum illis armis et Philo restitit donec moreretur, et omnes eius reliquias Tullius noster oppressit, se vivo impatiens labefactari vel contaminari quidquid amavisset: adeo post illa tempora non longo intervallo omni pervicacia pertinaciaque demortua, os illud Platonis, quod in Philosophia purgatissimum est et lucidissimum, dimotis nubibus erroris emicuit, maxime in Plotino, qui Platonicus philosophus ita eius similis iudicatus est, ut simul eos vixisse, tantum autem interest temporis, ut in hoc ille revixisse putandus sit.

XIX. 42. Itaque nunc philosophos non fere videmus, nisi aut Cynicos aut Peripateticos aut Platonicos. Et Cynicos quidem, quia eos vitae quaedam delectat libertas atque licentia. Quod autem ad eruditionem doctrinamque attinet, et mores quibus consulitur animae, quia non defuerunt acutissimi et sollertissimi viri, qui docerent disputationibus suis Aristotelem ac Platonem ita sibi concinere, ut imperitis minusque attentis dissentire videantur, multis quidem seculis multisque contentionibus, sed tamen eliquata est, ut opinor, una verissimae philosophiae disciplina. Non enim est ista huius mundi philosophia, quam

sacra nostra meritissime detestantur, sed alterius intelligibilis; cui animas multiformibus erroris tenebris caecatas et altissimis a corpore sordibus oblitas nunquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret atque submitteret, cuius non solum praeceptis, sed etiam factis excitatae animae redire in semet ipsas, et respicere patriam etiam sine disputationum concertatione potuissent.

XX. 43. Hoc mihi de Academicis interim probabiliter, ut potui, persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est iam non arbitrari non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuesse. Quae sit autem ista, Deus viderit; eam tamen arbitror Platonis fuisse. Sed ut breviter accipiatis omne propositum meum, quoquo modo se habeat humana sapientia, eam me video nondum percepisse. Sed quum [15] tricesimum et tertium aetatis annum agam, non me arbitror desperare debere eam me quandoque adepturum. Contemptis tamen ceteris omnibus quae bona mortales putant, huic investigandae inservire proposui. A quo me negotio quoniam rationes Academicorum non leviter deterrebant, satis, ut arbitror, contra eas ista disputatione munitus sum. Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. Mihi autem certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere: non enim reperio valentiorem. Quod autem subtilissima ratione persequendum est, ita enim iam sum affectus, ut quid sit verum non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem, apud Platonicos me interim quod sacris nostris non repugnet, reperturum esse confido.

44. Hic postquam sermonis finem me fecisse adspexerunt, quamquam iam erat nox, et aliquid etiam lucerna illata scriptum erat, tamen illi adolescentes intentissime exspectabant, utrum Alypius vel alio die se responsurum esse promitteret. Tum ille: Nihil mihi aliquando, inquit, tam ex sententia provenisse affirmare paratus sum, quam quod hodierna disputatione discedo superatus, nec istam meam tantum puto debere esse laetitiam. Communicabo ergo eam vobiscum, concertatores mei vel iudices nostri. Quando quidem isto se pacto a suis posteris vinci, ipsi etiam fortasse Academici optarunt. Quid enim nobis hoc sermonis lepore iucundius, quid sententiarum gravitate perpensius, quid benevolentia promptius, quid doctrina peritius videri aut exhiberi posset? Prorsus nequaquam digne admirari possum, quo tam facete aspera, tam fortiter desperata, tam moderate convicta, tam dilucide obscura tractata sunt. Quare iam, socii mei, exspectationem vestram, qua me ad respondendum provocabatis, certiore spe mecum ad discendum convertite. Habemus ducem qui nos in ipsa veritatis arcana Deo iam monstrante perducat.

45. Hic ego, quum illi puerili quodam studio, quod Alypius responsurus non videbatur, quasi fraudatos vultu se ostenderent: Invi-

detis, inquam arridens, laudibus meis. Sed quoniam de Alypii constantia iam securus, nihil eum timeo, ut vos quoque mihi gratias agatis, instruo vos adversus illum, qui tantam intentionem vestrae exspectationis offendit. Legite Academicos, et quum ibi victorem (quid enim facilius?) istarum nugarum Ciceronem inveneritis, cogatur iste a vobis hunc nostrum sermonem contra illa invicta defendere. Hanc tibi, Alypi, duram mercedem pro mea falsa laude restituo. Hic quum arrisissent, finem tantae conflictionis utrum firmissimum nescio, modestius tamen et citius quam speraveram fecimus.

OBSERVATIONES ALIQUOT.

Acad. 1, 3, 7. *vivere auctoritas*] Leg. videtur: *vigere a.* cfr. 2., 5, 11. *soritae - - viguerunt.* — 2, 2, 6. *pomaria* dedi pro *pomeria.* — 2, 3, 7. Latent in his semina pulcherrimi illius carminis Petrarchici: *Una donna più bella assai che'l Sole.* — 2, 3, 8. *de Religione* scripsi pro: *de Regione.* — 2, 7, 18. *Ecquando* dedi pro *Et quando*, perpetuo illo librar. errore. — 2, 7, 19. (pag. 241. vers. ult.) *patris similis*] sic scripsi (pro *patri similis*:) ut est v. 9. ab ult. pag., et requirit sequens p. 242, 2. *similis eius.* —

Ibid. *quem cepisti*] Imago desumpta est ab hoste capto; cfr. §. 27. Sine sensu Benedictini: *quem coepisti.* — 2, 8, 21. *fugem*] Alii *fugiam.* Fuitne: *fugabo?* idque pro soloecismo habens ineptus aliquis, scripsit *fugiam?* Quod rursus, sed minus feliciter correxerit alius, *fugem.* — 3, 5, 11. *Proteus traditur eo solere capi, quo minime caperetur*] f. *capi videretur*, vel simplicius *videretur.* — 3, 7, 16. *quasi libera turba*] Lego: *q. Liberi t.*, id est, Bacchi. 3, 10, 22. *eiusdem molibus*] fort. *eiusdemmodi molibus.* — 3, 11, 26. *vel ulla calumnia*] f. *nec u. c.* — 3, 15, 33. *sed qua manu iaculati sumus*] Nisi significat, „eadem manu, qua nos iac. sumus, ab adversariis est exceptum", mira utique sententiâ; malim equidem, *sed quo manu iaculato* (passive, ut apud seriores haud raro:) *nudati sumus.* — 3, 17, 38. *dedidicisset*] Bened. *dedicisset.* Talia, v. c. *lugurienti* Bened. 3, 11, 26. pro *ligurienti*, Augustino vix tribui possunt. — 3, 17, 39. *nisi quale ipse definiebat*] Delendum videtur *nisi.*

ADNOTATIONES BENEDICTINORUM.

LIB. I.

(1) Bad. *munera cursorum.* Sed alii codices summo inter se consensu habent, *ursorum.* Inusitatum quodpiam ludorum genus hîc nominare voluit Augustinus. Ludos nempe, quia liberaliter populo munerum instar exhibebantur, munera vocabant. Hinc de ludis praestitis non male intelligitur Concilii Eliberitani can. 3. *Flamines qui non immolaverint: sed munus tantum dederint* cet.

(2) In MSS. aliquot vetustis et in editis Bad. Am. Er. deest, *ut fuisti.* In aliis septem MSS. substituitur, *ut suesti*; quae lectio forte hoc verior est, quo ab usu vulgato remotior.

(3) Erat haud dubie Romanianus ex eorum numero, quos in Manichaeorum haeresin secum pertraxisse deflet Augustinus lib. 4. Conf. c. 1. Verum is quoque ad sanam fidem aliquando se recepit; quippe qui Augustinum semper coluit impense, et nuncupatum sibi ab ipso librum *de vera Religione*, aliaque ipsius scripta in magno pretio habuit; ac demum per literas a Paullino Nolensi Episcopo, qui panes eulogiarum nomine eidem mittit, tractatur honorificentissime, atque ut vir plane Christianus catholicus.

(4) MSS. sex, *vincere.*

(5) Ita in MSS. At in excusis legitur, *nisi alicuius ponderis.*

(6) Victorini codices cum aliis tribus MSS. habent: *Hic ego: Primo*, *inquam*, *scientiam* etc. mendose, uti satis intelligitur ex postremo capite, ubi haec responsio non obscure Trygetio adtribuitur.

(7) In prius excusis; *constanter.* In MSS. quinque, *incunctanter.* In aliis sex optimae notae legitur, *cunctanter*, et melius. Trygetius quippe hic Albicerium et eius generis homines non vult appellari scientes, quod eorum nullus sit, *qui consultus nunquam de responsis suis dubitaverit*, *nunquam postremo falsa responderit.*

(8) Editi omittunt hic loci, *operam consumere.* Et mox habent, *quum tantam mercedem conquirat.* Excepto Bad., qui cum MSS. praefert, *tanta mercede.*

(9) Ita in MSS. pro quo in editis: *perfruitus.*

(10) Editi, *modeste.* At MSS. decem habent, *moleste*, et melius: alludit nempe Augustinus ad illud, *molem auctoritatis.*

(11) Antiquae editiones, *ego accusare decrevi.* Sic etiam aliquot MSS. vetustiores, qui paullo post non habent haec verba, *prandium paratum esse annuntiatum est*, *atque.*

LIB. II.

(1) Quattuor MSS. *ut sub illo fremitu.*

(2) In MSS. pervetustis deest *peregrina.*

(3) Am. Er. *nonnihil succensens:* quibus suffragantur aliquot MSS. melioris notae.

(4) Er. et Lov. *ad ipsum summum bonum.* Sed melius Bad. Am. et MSS. plerique, *ad summum ipsum modum*, id est, ad sapientiam, iuxta illud, quod circa tempus disserebat Aug. lib. *de beata vita:* n. 33. *Sapientia est nihil aliud quam modus animi*, *hoc est*, *quo sese animus librat*, *ut neque excurrat in nimium*, *neque infra quam plenum est coartetur.*

(5) Romaniano praesente usus fuerat Mediolani ante annos circiter duos, quo tempore de communi vita ineunda cum amicis deliberabat lib. 6. Conf. c. 14. *Romanianus maxime*, *communiceps noster*, *quem tunc graves aestus negotiorum suorum ad comitatum adtraxerant*, *ab ineunte aetate mihi familiarissimus; qui maxime instabat huic rei*, *et magnam in suadendo habebat auctoritatem*, *quod ampla res eius multum ceteris anteibat.*

(6) Bad. Am. Er. et MSS. quam plures, *atque castissime.* Paullo post in hactenus vulgatis et aliquot MSS. legitur, *incognitae fama*, aut, *incognitae famae.* Sed castigatius in aliis codicibus, *fame.*

(7) In quinque MSS. *et quasi germanae.*

(8) Sic Am. Er. et prope omnes MSS. At Bad. et Lov. *evolat.*

(9) Am. Er. et Lov. *aures.* Sed legendum cum Bad. et MSS. *auras*, quas Romaniano liberas optat Augustinus, ut assurgat et revolet.

(10) Sic scribitur in vetustioribus et pluribus MSS. Porro in prius editis, *Luciniano.* Et in MSS. quattuor, *Luciano.*

(11) MSS. plerique, *aut quis est qui manibus* cet. Mox ex eis nonnulli, *et dentibus nostris nobis occupatis nimis imperiosus fit.* Alii porro tres, *et dentibus nostris occupatis minus animus imperiosus fit.*

(12) In MSS. quinque, *perniciosissimis rationibus.*

(13) Aliquot MSS. *vobis licebit.*

(14) Am. Er. et Lov. *editur.* Sed MSS. nullo fere excepto habent, *caeditur.* Ita enim Bad. Phrasis a Terentio usurpata est in Heaut. act. 2. scen. 3. *Verum interea dum sermones caedimus.*

(15) In hactenus vulgatis, *facile fugiam.*

(16) Hic figura quadam utitur Augustinus sollemni dialogorum more. Nam nonnihil certum habebat quod sentiret, qui iam dudum mente *pervenerat ad id quod est*, uti lib. 7. Conf. c. 17. legimus. Et perspicue in eiusdem operis lib. 8. c. 5. de se conversionem differente confitetur: *Et non erat iam illa excusatio, qua videri mihi solebam propterea nondum me contempto seculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis: iam enim et ipsa certa erat.*

(17) Bad. Er. et Lov. *inquisitionis tuae.* Sed melius Am. et MSS. *suae*; refertur enim ad Licentium.

LIB. III.

(1) Editi habent, *circulum.* Sed melius MSS. decem, *circum.*

(2) Am. et Er. habent, *nec ei Syllae auferam gloriam.*

(3) In prius excusis, *non abhorret.*

(4) Veteres codices undecim omittunt, *Cacum.*

(5) Ita MSS. At editi habent, *sapientiam illam.*

(6) MSS. septem, *nempe plena est.*

(7) Lov. *in se. Ipsa vero docuit me.*

(8) Am. Er. Lov. omittunt, *fame.* MSS. quattuor, *et non miseranda fama.* Sed verius alii novem, *et non miserando fame enecet*, quibus accedit Bad.

(9) Ita scribitur in editione Bad. et pluribus MSS. In antiquis etiam editionibus Chrysostomi Homil. 17. in epist. ad Ephes. legitur σαμαρδακους ibique significat γελωτοποιούς, nec multum aliter apud Am. et tres MSS. qui habent; *Samardocos.* At Er. et Lov. *Sarmadacos;* uti etiam scribit vetus Commentator Horatii ad illud lib. 1. Satyr. 6. *Fallacem circum;* ubi eos dicit *Sarmadacos et Sortilegos mathematicos*, *qui ad metas spectatores circumstabant et imperitos nugis fallebant.*

(10) Bad. et MSS. undecim, *quod ei videtur probabile*, *nec cessat*, *nec errat.*

(11) Lov. *libet.* Restituitur ex Am. Er. et MSS. *liquet deierare;* quod iam in lib. 1. Retract. c. 1. annotavimus usurpatum esse ex Terentio; hunc nempe atque alios politioris Latinitatis auctores aemulari amabat Augustinus in his literis, *iam quidem servientibus Deo*, *sed adhuc superbiae scholam tamquam in pausatione anhelantibus*, ut ipse ait lib. 9. Conf. c. 4.

(12) Lov. *prius quam dedocuissent.*

(13) In MSS. octo, *quomodo ego nihil approbat sapiens.*

(14) In MSS. prope omnibus legitur, *non de recto.*

(15) Annum aetatis agebat tricesimum tertium, quando apicem ultimum imponebat huic operi; verum id scribere coeperat nondum elapso aetatis suae anno tricesimo secundo; quando quidem inchoatum ab ipso fuit ante opus *de beata vita*, quod videlicet *non post libros de Academicis*, *sed inter illos* se scripsisse prodit lib. 1. Retract. c. 2. *occasione diei natalis sui*, qui in 13. Novembris incidebat, ut testatur lib. *de beata vita* in praefatione.

ACADEMICA

SIVE

DE IUDICIO ERGA VERUM,

EX IPSIS PRIMIS FONTIBUS:

OPERA

PETRI VALENTIAE ZAFRENSIS

IN EXTREMA BAETICA.

ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ, ΑΛΛΑ ΕΙΝΑΙ.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA APUD VIDUAM, ET IOANNEM MORETUM

M. D. XCVI.

APPROBATIO.

In hâc inquisitione difficili et laboriosâ *Iudicii erga Verum*, *auctore D. Petro Valentia, insigni philosopho,* quod S. Rom. Ecclesiae religioni, vel Regiae Maiestati contrarium est, nihil continetur. Et haec propter opusculi dignitatem, utiliter imprimi et legi potest. Datum Antverpiae, anno 1595. Non. Martii.

Henricus Sibertus Dunghaeus,
S. T. Doct. Canonicus Antverpiensis, librorum Censor.

TESTIMONIA.

Ex indice manuscripto voluminum excusorum bibliothecae regiae Parisiensis.

Petrus Valentia Zafrensis sive ex urbe Zafrâ provinciae Extremadurae oriundus, Cordubae natus anno 1554 summae eruditionis ac pietatis vir, Benedicto Ariae Montano amicitiâ coniunctus, a Philippo III Madritum evocatur, ut chronographi regii munere fungeretur; ibi decessit anno 1620.

Ios. Oliveti, Acad. Gall. socii, de auctore et opere iudicium.

Petrus Valentia, ortu Cordubensis, qui se tamen Zafrensem inscripsit, quod originem e Zafrâ repeteret, oppido in extremâ Baetica. Homo non vulgariter doctus, et qui, nescio an omnium sollertissime, in veteris philosophiae adyta penetraverat. *Academica* Ciceronis quae supersunt, mutila, ideoque obscura, non brevibus quidem disiunctisque scholiis, at continenti oratione ita explanavit, ut mihi solus ea intellexisse videatur. Opus illud hactenus rarissimum, paucisque cognitum, prodiit ex officinâ Plantinianâ, anno M. D. XCVI.

Praef. suae, sive consilii de edendo Cicer. Paris. editi p. 13.

D. GARSSIAE DE FIGUEROA

PHILIPPI III, HISPANIARUM PRINCIPIS FELICISSIMI

CUBICULARIO

PETRUS DE VALENTIA. I. C.

Qui libros edunt, quum initio statim ingenii tenuitatem temporisque augustias excusant, non legitimam nec accipiendam excusationem afferunt: ostendant enim oportet se et ad scribendum et ad festinandum coactos. Ego quidem iure hoc a me in alios statuto uti non recuso. Verum quanta imperium tuum mihi necessitas sit, palam est: quam me iusseris festinare, scis ipse: ut si cuipiam unquam ea uti excusatione licuit, mihi certe liceat. Nunquam equidem ego mihi persuadere potui, eiusmodi ingenii mei fructus esse, ut vel indoctiorum palato saperent, nedum tuo subtilissimo. Quî ergo tibi apponendos existimarem? quum etiam nec in more sit positum aut deceat, ut aut diis aut principibus viris gregaria et nulla praecipua pulchritudine insignia poma offerantur. At quum noster qualis qualis est, agellus, tuus sit, quos is fructus ferat, petenti non protinus tibi offerre nefarium foret. Mittimus ergo, vir illustrissime, eorum quae imperaveras, partem alteram, quasi gustum, dum maturescunt reliqua: nec enim tua festinatio longiorem moram passura videbatur. Sunt autem priora haec, quae tu Academicarum M. Tullii quaestionum illustrationem spectare volebas. *Academica*, sive *de iudicio veritatis*, inscripsimus: fere enim totam eam quaestionem absolvunt. Scio quam sis haec avide lecturus, ut illorum argumentum explicare non oporteat. Exspectet aliquis (nam te id non exspectare certo scio) ut laudum tuarum partem (id enim huiusmodi epistolis sollenne iam est) hîc collocem. Non faciam. Nimis angustus locus, si vel minora tua decora, genus, dignitatem (haec enim maxima minora tua sunt) commemorare velim. Atque haec quidem laus minime philosophica, et quae philosophico scripto non decore praefigatur.

Illa maiora et philosophica valde, pietas, virtus, fides, animi magnitudo, humanitas, doctrina, innumera alia. Verum tacere sapiens monet Euripides:

> Αἰνούμενοι γὰρ οἱ'γαθοὶ, τρόπον τινα
> Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.
> – Laudes honestos si viros, quodam modo
> Aegre ferunt, si excesseris laudis modum.

Namque et interim illam non modicam laudem res ipsa loquitur, Te tali genere, eâ dignitate, istâ aetate, hisce temporibus, in regiâ aulâ versantem, literas curare. Vale. Zafra, in extrema Baetica. A. D. X Kal. Martias, anno 1590.

ACADEMICA
SIVE
DE IUDICIO ERGA VERUM.

Sapientiae studium gentibus omnibus satis ex antiquo in pretio habitum, nec ulla adeo barbara et ab humano officio aliena natio fuit, quae suos sapientiae professores non habuerit et laudarit. Verum enimvero non aeque ex antiquo apud alios et alios populos id studium claruit. Serius enim alii aliis sapientiae vacarunt. Graeci, qui praecipuam in hac re laudem vendicant, si cum Asiae terrae incolis conferantur, pueri, quod doctrinae aetatem spectat, censendi. Uti ab Aegyptio sapiente Soloni aliquando obiectum narrat in Timaeo Plato. Huius ea causa fuisse videtur. Nam quum sapientia illa, quae humani ingenii opera et studio paratur, non nisi otiosis et in pace agentibus, eiusque satagentibus obveniat, ac plerumque dominationem comitari, et apud illos, penes quos rerum imperium sit, agere, eosque colere soleat, (quum et ventri et ambitioni hoc sapientum genus in primis attendat, privatique commodi rationibus ducatur: inde enim est, ut et mendaces prophetae et gentium sapientes aulas frequentare, et circa divites regesque versari gaudeant, unde ut et muscarum examina divitum culinas compleant:) Graecis sero tandem sapientia cum imperio, pace et otio uti contigit [1]. Quî enim ii, qui vel rei augendae, vel parando victui, vel hostium iniuriae propulsandae intenti esse opus habeant, sapientiae otiique artibus operam dent? Primi ergo inter Graecos superstitionum magistri illi, theologi ab ipsis dicti, poëtaeque qui deorum genealogias decantarunt, mysteriaque et numinum cultum tradiderunt, sapientiae nomine celebrantur, quum hi in nulla verae sapientiae parte operam posuisse sint dicendi, fucate vero et personate illam,

---

(1) vide Thucyd. lib. 1.

quae politica dicitur, coluisse videantur[1]. Nam religionis procuratio atque constitutio civilis gubernationis prima praecipuaque pars habetur. Post hos ii prodierunt, qui, quod naturae rerum contemplationi impense vacarunt, physici, id est, naturales, nuncupantur. Inter hos illustris, sed Socratis magisterio illustrior, Anaxagoras physicorum ultimus. Nam post Socratem alia philosophandi ratio fuit. Quum enim philosophorum maior pars[2] philosophiam omnemque de sapientia tractationem in tres partes distribuat, id est, in τὰ λογικὰ, τὰ φυσικὰ καὶ τὰ ἠθικὰ, quarum prima de sermone rationeque est; secunda de natura; tertia vero de moribus, cuius membrum politica sunt, quam quartam philosophiae partem numerabant Peripatetici: Logica quidem et Ethica qui Socratem praecessere nec nomine tenus tractaverunt: multa ipsorum dicta et apophthegmata ad mores pertinentia circumferebantur, sed non quae artem redolerent, aut integram morum disciplinam conficerent. Pluribus etiam rationibus et argumentationibus inter docendum et disserendum usi sunt: omnes enim homines ratione utuntur. Tamen argumentationum contexendarum et diiudicandarum ars διαλεκτική postea vocata, nunquam illis in mentem venerat. At Socrates non is erat, qui rem ullam sine arte acciperet, aut agere commodum duceret. Igitur quum omissa curiosa illa naturae et sublimium speculatione atque indagatione, et ratione uti duce in agenda vita, et suos aliorumque hominum mores efformare instituisset, earum rerum, id est, rationis morumque artes adinvenit; certe peritissimum in iis disciplinis et egregium artificem evasisse illum constat. Sed quum et ipse fortasse sicut et posteriores Academici τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν, id est, disputationem in utramque partem, optimum docendi genus existimaret, eoque plerumque uteretur, ac de nulla re audacter affirmaret, sed quaerere semper diceret, et nihil scire praeter hoc; ea eius professione sive dissimulatione effectum est, ut ipsius discipuli sive sectatores et asseclae, aut eius sententiam non plane perviderent, aut pro vario cuiusque ingenio, in varias opiniones abirent. Certe nemini eorum, qui Socratis familiaritate sunt usi, cum aliquo quopiam ex eodem sodalitio in rationalis aut moralis philosophiae traditione convenit. Sive forte etiam id ex gloriae praecipuique nominis ac laudis cupiditate et contentionis studio evenerit. Quippe et in naturali parte, quam non a Socrate didicerant, non minor inter ipsos discordia est. Sicut autem in hac summa concertatio περὶ ἀρχῶν, id est, de principiis et causis rerum semper fuit, ita deinceps in rationali περὶ κριτηρίου τῆς ἀληθείας, id est, de iudicio, vel potius (si eo vocabulo uti liceat) indicatorio veritatis, hoc est de instrumento quo veritas sit diiudicanda: atque in morali περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, id est, de bonorum malorumque finibus, praecipuum dissidium fuit. Verum non de universa philosophia, deque omnibus omnium philosophorum decretis agere est animus; nimis id longum nec benignum opus foret. Tantum eum rivum cursim sectabimur, qui a Socrate in Academiam derivatus varia docto-

---

(1) Plutarch. de oracul. defectu. (2) Accuratam philosophiae divisionem vide apud Senec. lib. 14. epist. 1. Laërt. in Zenone. Plutarch. initio libri de placitis philos.

rum successione ad Ciceronis usque aetatem propagatus evenit[1]: ni forsan postea in Phavorino et Chaeronensi Plutarcho aliquando rursus ebullierit, certe non ita illustris post Ciceronem fluebat. Hanc enim Graecae eruditionis partem, sine qua Latine scriptam philosophiam intelligi non posse Varro affirmat, iis, qui M. Tullii philosophica, Lucullum in primis, legere aggredientur, magnum allaturam operae pretium existimamus, pluribusque aliis antiquorum libris lumen porrecturam; quum praeterea ipsa de criterio quaestio, quam pertractabimus, scitu digna semper fuerit iudicata.

Igitur discipulorum Socratis longe principem Platonem dogmaticum quidam, alii aporematicum sive scepticum, aut utrumque putant. Universim enim philosophos omnes in duo summa genera partiuntur: in Dogmaticos, id est, qui decreta dogmataque ponant et statuant, et Aporematicos vel scepticos, id est, qui de omnibus dubitent atque disquirant et considerent, nihilque affirment, nullique rei assentiantur. Sive ergo dogmaticus Plato, sive quod in plerisque fuisse videtur, aporematicus sit dicendus, haec de criterio existimasse perhibetur[2]: namque nihil prohibet Scepticum decreta habere, quibus quidem non uti perceptis assentiatur, sed ut probabilibus utatur: qua cautione etiam de criterio sententiam proferre illi licebit. Ab humana mente seu intelligentia (ὑπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ) ratione utente res iudicari. Quum autem res partim sub intelligentiam, partim sub sensum cadant, hoc est, quum τὰ πράγματα alia νοητὰ, id est, intelligibilia, alia αἰσθητὰ, id est sensilia, sint: humanam etiam rationem (λόγον) duplicem esse: nam qua αἰσθητὰ percipiuntur, opinatricem sive opinantem rationem (δοξαστικὸν λόγον) sicut et res sensui expositas opinabilia (δοξαστὰ) appellari, earundemque rerum perceptionem δόξαν, id est, sententiam sive opinionem esse, sicut ex rebus quae sub intelligentiam cadunt, ratione alia, quae scientiam efficiat (τῷ ἐπιστημονικῷ λόγῳ) comprehensis scientiam (ἐπιστήμην) exsistere. Rerum enim sensilium perspicuitatem, quae rationi probetur, approbat etiam Plato; sed non ut eâ scientiam effici dicat, opinionem tamen, quae scientiam eorum, quae vere sunt, nobis in memoriam reducat. Ergo sensu cum opinatrice ratione sensui exposita iudicari, mente vero seu intelligentia una cum ratione scientiam efficiente quae intelligentiâ comprehenduntur. Haec autem esse Ideas, id est, constantes quasdam rerum formas, quae revera sint, sive, ut dicit, quae in eo quod est, exsistant. De universa ratione hac, sic ipse in Timaeo: *Τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δ' οὐκ ἔχον, καί τι τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν οὐδέποτε. Τὸ μὲν δὴ, νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν· τὸ δὲ αὖ δόξῃ μετὰ αἰσθήσεως ἀλόγου, δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν.* id est: Est quid, quod est et non generatur; aliud vero, quod gignitur quidem, est vero nunquam: illud quidem intelligentiâ cum ratione comprehensibile, quod semper uniusmodi est: hoc vero rursus opinione cum sensu rationis experte, opinabile, generatum et interiens, nunquam vero

(1) evanuit? exaruit? (2) Alcin. de placitis Platonis. Plutarch. adv. Colotem. D. August. contra Acad. lib. 3. cap. 17.

revera Ens[1]." Hanc quam Platonis et veterum Academicorum sententiam esse Antiochus dicebat, apud Ciceronem Varro exponit. Quamquam iudicium oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus: „Mentem volebant (Academici veteres) rerum esse iudicem, solam censebant idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et uniusmodi et tale quale esset. Hanc illi Ideam appellabant, iam a Platone ita nominatam: nos recte speciem possumus dicere; sensus autem omnes hebetes et tardos esse, nec percipere ullo modo res eas, quae subiectae sensibus viderentur: quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant, scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus[2]." Idem Cicero in Lucullo: „Plato autem omne iudicium veritatis veritatemque ipsam abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit." Galenus[3] ipse etiam Platonicus *φυσικὰ κριτήρια*, id est, instrumenta a natura ad iudicandum tributa, *αἴσθησιν καὶ γνώμην* dicit, id est, sensum et intelligentiam, quam et *διάνοιαν* sive *νοῦν*, id est, mentem, sive *λογισμὸν*, id est, ratiocinationem appellare etiam liceat. Haec eadem veterum Peripateticorum sententia fuit. Nam et ipsi sensui rerum, quae sentiantur, non seclusa ratione, et intelligentiae eorum, quae mente percipiantur, iudicium detulerunt. Nisi quod Aristoteles Ideas illas speciesque rerum, quae Platoni sunt *τὰ νοητὰ*, id est, intelligibilia, labefactavit, universalibus quibusdam rerum notionibus, quae nusquam alibi, praeterquam in singulis quibusque rebus sint, intelligentiae vero opere a materia seponantur, atque perpetuae simplicesque iam et uniusmodi in contemplatione veniant, quum singulares res fluxae multiplicesque sint, in Idearum vicem inductis[4]. Haec sunt genera speciesque rerum et alia quae de rebus intelliguntur et enuntiantur, et circa quae scientia versatur, scholastico vocabulo universalia nuncupata: sed abstrusiora haec sunt, minutaeque disquisitionis, et quae ex duobus summis philosophis eorumque satis multis interpretibus sint perdiscenda.

Speusippus, qui post Platonem Academiam tenuit, et Xenocrates ceterique veteres Academici usque ad Arcesilam parum a Platonis sensu abludunt, ut ipsorum de criterio sententiae a Sexto Pyrrhonio[5] relatae ostendunt. Cetera etiam Platonis antiquaque decreta diligenter ab iis conservata atque defensa apud Ciceronem[6] scriptum est ex Antiochi, cuius ibi partes Varro agit, sententia. Tamen Numenius Pythagoricus[7] eandem fere dogmatum indolem ea tantum ratione apud eos permansisse concedit, quod nondum celebris illa *ἐποχὴ* eiusmodique alia inducta essent. Namque quod ad reliqua Platonis placita, alios

---

(1) exsistens. (2) Academ. ad Varron. lib. 1. C. 9. (3) De decretis Hippocrat. et Plat. lib. 9. et in comment. lib. *κατ' ἰητρεῖον* pag. 665. 48. Graec. edit. Basil. (4) Vide Platonis Parmenidem et de repub. lib. 7 et 10. Plutarch. adv. Colotem. Stob. in Physic. cap. de Idea. Plut. de Placit. phil. lib. 1. cap. 10. (5) Adversus disciplinas, cap. de criterio. (adv. Mathem. Lib. 7. et contra Log. 1. sect. 141—149.) (6) Lib. 1. Acad. C. 4. (7) Apud Euseb. praepar. lib. 14, 5.

quidem citius, alios posterius ab eo discessisse multisque modis decreta ipsa enervasse et invertisse affirmat, et dolere se id ait, sive consulto hoc, sive per imprudentiam, aut alia, utinam non ambitiosa causa ab ipsis fuerit admissum.

At vero Arcesilas ab Stoicis philosophisque omnibus, qui Academici non sint, tamquam novator, veterisque omnis, non Platonicae modo, disciplinae eversor manifestarius accusatur: „Namque quum iam (ait apud Ciceronem Lucullus) philosophorum disciplinae gravissimae constitissent, tum exortus est in optima re publica Ti. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret, et in eorum auctoritate delitesceret, qui negavissent quicquam sciri aut percipi posse." Apud Plutarchum[1] Stoici quidam Arcesilam veteresque post eum Academicos *σοφιστὰς καὶ λυμεῶνας τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ δογμάτων ὁδῷ βαδιζόντων ἀνατροπέας*, id est, Sophistas et philosophiae pestes decretorumque recta via procedentium eversores ac deturbatores appellant. Quod autem eum sub antiquorum auctoritate delitescere voluisse Lucullus ait, id eiusmodi est[2]. Nam quum Arcesilas ambitiosi novandi ac calumniandi studii invidiam declinare cuperet, non solum a Socrate Platoneque, quos magistros iactabat, se non descivisse ostendere conabatur, sed et physicorum philosophorum, qui Socratis aetate superiores fuerunt, maiorem partem pro sua, sive potius Pyrrhonis acatalepsia epocheque citabat[3]. Quod non candide aut bono animo ab ipso fieri, qui tunc erant Sophistae interpretabantur, illumque insimulabant, quasi propria ac minime antiqua decreta antiquis et illustribus viris, Socrati et Platoni Parmenidique atque Democrito affingeret, ut doctrinae suae auctoritatem fidemque apud vulgus conciliaret. Verum Acatalepsiae, id est, desperatae comprehensionis dogma ex Homero ipso antiquissimisque aliis repetitur et confirmatur apud Laërtium in Pyrrhone[4]. Quod etiam Cicero in Lucullo probare studet: namque id Academicis omnibus post Arcesilam propositum fuisse videtur. Multum igitur diversa origo novae sive mediae, id est, Arcesileae Academiae, ab aliis philosophis ambitionem et calumniam atque contentionem causantibus, et ab ipsis Academicis commemoratur. Hi enim sic. „Cum Zenone (ut accepimus) Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerunt Socratem, et veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt, angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, et, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinde omnia tenebris circumfusa esse dixerunt[5]."

Unicam ergo tantum Academiam, cuius originem et antiquitatem a Socrate Platoneque, aut etiam antiquioribus repetunt, Academici

(1) De commun. notitiis adversus Stoicos p. 1059. A et B. (2) Vide Lactant. libr. 3. de fals. sapient. c. 4. (3) Plutarch. adv. Colotem. (4) Vide Sext. advers. disciplin. cap. de criterio et Hypotypos. lib. 1. (5) Cic. Acad. ad. Varr. lib. 1. C. 13.

concedunt, nihil post Platonem aut ab Arcesila, aut ab alio ex successoribus novatum fateri volunt: ut paullo post haec quae adscripsimus, Cicero scribit. „Hanc (inquit) Academiam novam appellant: quae mihi vetus videtur, siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cet." Ipse Philo, de quo non modicus nobis futurus est labor, quique magnus in Academia novator fuisse perhibetur, negavit duas Academias esse, erroremque eorum qui ita putarunt, coarguit[1]. Plutarchus in eo libro, quem in omnium philosophorum defensionem adversus Colotem, Epicuri auditorem scripsit, quum ab Epicuro Coloteque contrario convicii genere petitum Arcesilam referat, quasi qui antiqua ac minime propria decreta pro novis ac suis venditaret, eaque ratione apud illiteratum vulgus laudem ac gloriam aucuparetur; gratias se de hoc et Colotae, et alii cuilibet, qui Academiae disciplinae rationem antiqua successione in Arcesilam derivatam ostendat, debere se et agere ait[2]. Itaque Arcesilam, qui novae Academiae primus auctor plerisque creditur, ipsi eius sectatores nil novi attulisse, obstinate contendunt: nisi illud fortasse, quod a Zenone primum pronuntiatum ipse probavit, id est, non opinaturum sapientem, id est, non assensurum incognito aut imperceptо. Nam nihil esse quod percipi possit, Socratis Platonisque atque antiquiorum etiam complurium, quos ipse sequeretur, sententiam esse Arcesilas astruebat. His vero duobus positis, *Non opinaturum sapientem*, et *Nihil percipi posse*, necessario ἐποχὴ, id est, approbationis retentio ac continentia consequebatur. Qua etiam ratione non solum scientiam omnem, sed et philosophiam universam everti et e medio tolli Lactantius putat[3]. „Namque (inquit) si neque sciri quicquam potest, ut Socrates docuit, neque opinari oportet, ut Zeno, tota philosophia sublata est." Sic Epoche in Platonis scholam venit. Namque etsi, ut novi volunt, veteres Academici et Peripatetici nihil percipi dicerent, tamen quum opinari non prohiberent, nihil epoche opus habebant. Quoniam vero nos perspicuitati potius quam aut elegantiae aut brevitati studemus, Arcesilam cum Zenone disputantem ea ratione, qua nunc vulgo in scholis par digladiantium scholasticorum committi solet, inducemus, apposita etiam Zenonis et Stoicorum de veritatis criterio sententia: sic enim maximi belli inter duas principes philosophorum factiones, Academicos et Stoicos, causa origoque constabit, quae ab historiae scriptore minime est praetermittenda. Nos autem nunc nec quaestionem ipsam examinamus, nec decretum interponimus nostrum, sed rem gestam narramus, grammatico operi, ut Galenus ait[4], id est, veterum dictis repetendis et in medium afferendis, operam impendentes nostram, inglorio nimis, uti nunc hominum sensus est, ne dicam infami negotio. Tamen hoc agamus. Sic, inquam, et belli causae, et novae Academiae Arcesila fabro constructae, quae ipsius sectatoribus origo placet, perspicua fient.

Zenonis effatum sive, ut vocant, conclusio erat, *sapientem non oportet opinari*, id est, sapiens non assentietur nisi percepto et cognito. Probat hoc Arcesilas laudatque tamquam sapientis gravitate dignum,

(1) Cic. Ac. ad. Varr. lib. 1. C. 4. (2) Adv. Colotem p. 1121. F. (3) De fals. sapient. lib. 3. cap. 3. (4) De optima docendi ratione.

licet novum et quod ipse a sapientiae quam profiteretur antecessoribus non acceperit. Verum et concedi sibi illud aliud postulat a Zenone, *Nihil approbaturum sapientem*, ut quod ex illo priore consequatur, aut pugnare. Zeno minime id concedit, pugnamque haud detrectat. Adoritur Arcesilas, et quasi Graeco more iacto titione inter acies proelium committit. Sapiens (inquit) non assentietur nisi percepto: sed nihil est quod percipi possit. Nulli ergo assentietur sapiens, sed assensum sustinebit. Negat Zeno posterius illud, id est, nihil percipi: quoniam aliquid sit quod percipiatur. Quid illud sit, rogat Arcesilas. Φαντάσια, id est, visum vel visio, aut (si liceat eo verbo uti) apparentia, hoc est, id quod apparet, Zeno ait. Omnene, quod apparet, omneque visum verum est atque percipitur? subiungit Arcesilas. Nequaquam, Zeno respondet, verum phantasia illa, quam comprehendi dico, sola ea est, quae impressa sit atque efficta ex eo, quod est qua ratione illud est, qualisque nulla possit offerri ex eo quod non est[1]. Recte definitum concessit Arcesilas, tamen nullam eiusmodi phantasiam esse[2], ut non similis alia, et quae ab illa non discernatur, id est, ut ipsorum verbis loquamur, ὁμοιοτάτη καὶ ἀδιάκριτος[3], a falso etiam obiici possit. Hanc speciosam belli causam ipsi Academici narrant. Quod si id, quod D. Augustinus[4] credit, verum sit existimandum, honestior etiam Arcesilae et Academicorum causa est, quam vel ipsos ego voluisse crediderim. Ait enim, quum Zeno a Platonis Polemonisque magistri sententia aperte discedens nihil in rerum natura praeter corpora esse concederet, ut et ipsum Deum animosque corpora esse diceret, Arcesilam celatâ tamquam mysterio quopiam de iis, quae intelligentia percipiuntur, et de quibus solis scientia veraque perceptio esse potest, Platonis sententiâ, quum nihil a Zenone relictum videret, de qua opinione amplius quid esse posset, comprehensionem omnem optimo iure secundum Platonis decreta impugnasse, nec cognitionem aliam quam opinionem Zenoni concedere voluisse. Quum vero Zeno opinari prohiberet, Arcesilas merito assentiri etiam vetuit. Nam de corporibus, id est, non veris rebus, opinio, non scientia aut vera comprehensio est. Platonica ergo dogmata Academicorum decreta fuisse Augustinus[5] sibi persuasit, quae tamen ipsi celarent, nec (ut Ciceronem scripsisse testatur) ea aperire solerent aliis, quam qui secum ad senectutem usque vixissent. Verum enimvero novae Academiae rationem universam quum ad Carneadem verum eius auctorem ventum fuerit, describemus: namque Arcesilam merum Pyrrhonium sub Academici nomine fuisse plerique omnes tradiderunt. Sextus[6] magnam sibi videri habere Arcesilam cum Pyrrhoniorum verbis affinitatem dicit, ita ut eadem propemodum disciplina eius sit ac Pyrrhonis. Numenius apud Eusebium[7], Arcesilam et Crantoris et Theophrasti Diodorique atque Pyrrhonis disciplina imbutum et armatum ad pugnandum cum Zenone accessisse[8], scribit, verum praeter cognomentum Academici

---

(1) Cic. in Lucullo. (2) Vide August. contra Acad. Lib. 3. C. 9. (3) Epictet. Arrian. Lib. 2. C. 20. (4) Lib. 3. contra Acad. C. 17. (5) Contra Ac. l. 3. c. 20. §. 43. (6) Hypotyp. l. 1. c. 33. §. 234. (7) Praepar. l. 14, 5. et 6. (8) Vid. Laërt. in Arces.

Pyrrhonium perseverasse. *Μνασέας γοῦν* (inquit) *καὶ Φιλόμηλος καὶ Τίμων οἱ σκεπτικοὶ σκεπτικὸν αὐτὸν προσονομάζουσιν, ὥσπερ καὶ αὐτοὶ ἦσαν, ἀναιροῦντα καὶ αὐτὸν τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ πιθανόν.* id est: Mnaseas ergo et Philomelus et Timo Sceptici Scepticum eum cognominant, quales et ipsi erant, qui etiam ipse verum et falsum et probabile tolleret. Academici autem cognominationem propter Polemonis magistri reverentiam retinuisse illum Numenius ait. Namque ei quod Diocles Gnidius in Diatribis scriptum reliquit, minime se fidem habere: scribere vero illum, Arcesilam sibi caventem metu Theodoreorum sophistarum ac Bionis, qui omnia omnium philosophorum decreta nullo discrimine impugnarent ac pertinaciter instarent, nullum dogma palam statuere ausum, sed epoche, ut atramenti effusione sepiae, sese occultasse et tutum delitescere voluisse. Quin et quod Cicero[1] ipse de eo scripsit, Sceptico magis quam Academico convenit. „In utramque partem eum disserere solitum, ut quum in eadem re (inquit) paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur." Atqui haec sceptica vox est: *παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται*, id est: omni rationi ratio alia aequalis obstat: qua voce non solum comprehensio, sed et probabilitas omnis evertitur. Si enim pro alterutra parte aequalis momenti rationes omnes sunt, neutra est altera probabilior. Tamen Ciceronianum hoc de Arcesila cum eo quod de veteribus Academicis Galenus[2] scribit, satis concordat: ait enim is, disputationem in utramque partem in epochen desinere a veteribus Academicis existimatam. Certe rationum pondera quod perceptionem spectat, Academicis paria iudicantur, quod ad probabilitatem fidemque faciendam attinet, aliae aliis rationibus praeferuntur, maiorique in pretio sunt. Vix enim ac ne vix quidem Academicum a Pyrrhonio discernere liceret, si nec Academicus quicquam alio probabilius crederet. Verum de hac re satis multa dicturi sumus. Illa quoque Eusebii[3] de Arcesila, magis est, ut de Sceptico dicta videantur: *Πολέμωνα γὰρ φασὶ διαδέξασθαι Ἀρκεσίλαον, ὃν δὴ κατέχει λόγος ἀφέμενον τῶν Πλάτωνος δογμάτων ξένην τινὰ καὶ, ὥς φασι, δευτέραν συστήσασθαι Ἀκαδημίαν. φάναι γὰρ περὶ ἁπάντων ἐπέχειν δεῖν. εἶναι γὰρ πάντα ἀκατάληπτα καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερα λόγους ἰσοκρατεῖς ἀλλήλοις, καὶ τὰς αἰσθήσεις δὲ ἀπίστους εἶναι, καὶ πάντα λόγον. ἐπῄνει γοῦν Ἡσιόδου τοῦτο τὸ ἀπόφθεγμα· κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισιν. ἐπειρᾶτο δὲ καὶ παράδοξά τινα ἀνακαινίζειν.* id est: Polemoni enim Arcesilam aiunt successisse, quem memoriae est proditum, relictis Platonis decretis peregrinam quandam et novam, ac uti vocant, secundam Academiam constituisse. Dixisse enim, in omnibus assensionem continere oportere: esse enim omnia incomprehensibilia rationesque pro alterutra parte aequalis momenti. Fallaces esse sensus et rationem omnem. Laudabat igitur Hesiodi dictum illud: Sapientiam enim Dii hominibus celarunt. Voluit etiam et inopinata quaedam ac nova introducere[4].

---

(1) Acad. ad Varr. lib. 1. C. 13. (2) De opt. doc. ratione. Initio. (3) Praep. ev. 14, C. 4. (4) vel, inopinata quaedam dogmata iam obsoleta denuo excitare.

Illud vero, quod a Cicerone dicitur, Arcesilam non pertinacia aut studio vincendi cum Zenone certamen instituisse, probri, quod Arcesilae obiiceretur, depulsandi causa dictum accipimus: haec enim, quae ex Lactantio[1] Numenioque adscribemus, ex antiquorum sententia petita sunt. Lactantius: „Verum Arcesilas ignorantiae magister, quum Zenoni obtrectaret, principi Stoicorum; ut totam philosophiam everteret, (auctore Socrate) suscepit hanc sententiam, ut affirmaret, nihil sciri posse. Itaque coarguit aestimationem philosophorum, qui putavissent, ingeniis suis erutam esse atque inventam veritatem, cet." Numenius[2] de Zenone et Arcesila: *συμφοιτῶντες παρὰ Πολέμωνι ἐφιλοτιμήθησαν ἀλλήλοις,* id est, quum Polemonis magistri scholam una frequentarent, mutuo ambitionis et contentionis studio exarserunt. Et alio in loco[3]: *τὸν δὲ οὖν Ζήνωνα Ἀρκεσίλαος ἀντίτεχνον καὶ ἀξιόνικον ὑπάρχοντα θεωρῶν τοὺς παρ' ἐκείνου ἀποφερομένους λόγους καθῄρει καὶ οὐδὲν ὤκνει.* id est, quum igitur Arcesilas Zenonem sibi in arte aemulum esse videret, dignumque existimaret adversarium, ex quo debellato decus sibi pararet, quaecunque ab illo dicta ad se deferebantur, impigre impugnabat et intrepide. Et paullo post: *Τὸ δὲ δόγμα τοῦτο αὐτοῦ πρώτου εὑρομένου, καὐτὸ τὸ ὄνομα βλέπων εὐδοκιμοῦν ἐν ταῖς Ἀθήναις τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, πάσῃ μηχανῇ ἐχρῆτο ἐπ αὐτήν.* id est: quum igitur dogma hoc ipsumque nomen comprehendentis phantasiae ab illo primum inventum maxime Athenis celebrari ac placere cerneret, omni adversus eam machinarum genere utebatur. Subdit autem Numenius, Zenonem, quum multa fortasse haberet, quae pro sua phantasia diceret, nihil tamen respondisse, verum quum nullum appareret Arcesilae decretum, quod ipse vicissim impugnaret, adversus Platonis nihil in se commeriti dogmata sese convertisse. Impune ergo Arcesilas sensus et consuetudinem comprehensionemque universam devastabat, donec exortus ultor est, Chrysippus videlicet, qui porticum videtur fulcire Stoicorum[4], id est, porticus columna esse: *εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στωᾶ*[5]. id est: Nam, si Chrysippus non fuisset, non foret Stoa. Hunc (uti Plutarchus[6] scribit) non casu, sed deorum providentia quadam Stoici dicebant post Arcesilam, et ante Carneadem prodiisse, quorum ille quidem iniuriae ac contumeliae adversus consuetudinem initium dedit, hic vero Academicorum omnium celeberrimus fuit. Chrysippus igitur quum inter utrumque exstitisset, iis, quae adversus Arcesilam scripta reliquit, Carneadis ingenio atque acumini quasi vallum opposuit aditumque praeclusit, multis praesidiis quasi in obsidionem sensibus et consuetudini relictis, tumultuque omni, qui circa notitias oboriri aliquando posset, omnino sublato, singulis iis correctis aptoque ac proprio loco positis: ita ut qui iterum in posterum rebus vim inferre, easque loco pellere aggrederentur, nihil amplius agerent, quam ut deprehensi poenas darent. Haec Stoici de Chrysippo, id est, Hectore suo. At Academici longe aliter de illo sentiunt. Tantum enim abesse eum aiunt, ut sensibus consuetudinique subsidium attulerit,

(1) Lib. 5. de fals. sap. c. 6. (2) Apud. Euseb. Praep lib. 14, 5. (3) Praep. Lib. 14, 6. (4) Cic. in Lucullo. C. 21. (5) Laërt. in Chrys. (6) De commun. notit. adv. Stoic. p. 1059. B.

Pyrrhonium perseverasse. *Μνασέας γοῦν* (inquit) *καὶ Φιλόμηλος καὶ Τίμων οἱ σκεπτικοὶ σκεπτικὸν αὐτὸν προςονομάζουσιν, ὥςπερ καὶ αὐτοὶ ἦσαν, ἀναιροῦντα καὶ αὐτὸν τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ πιθανόν.* id est: Mnaseas ergo et Philomelus et Timo Sceptici Scepticum eum cognominant, quales et ipsi erant, qui etiam ipse verum et falsum et probabile tolleret. Academici autem cognominationem propter Polemonis magistri reverentiam retinuisse illum Numenius ait. Namque ei quod Diocles Gnidius in Diatribis scriptum reliquit, minime se fidem habere: scribere vero illum, Arcesilam sibi caventem metu Theodoreorum sophistarum ac Bionis, qui omnia omnium philosophorum decreta nullo discrimine impugnarent ac pertinaciter instarent, nullum dogma palam statuere ausum, sed epoche, ut atramenti effusione sepiae, sese occultasse et tutum delitescere voluisse. Quin et quod Cicero [1] ipse de eo scripsit, Sceptico magis quam Academico convenit. „In utramque partem eum disserere solitum, ut quum in eadem re (inquit) paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur." Atqui haec sceptica vox est: *παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται*, id est: omni rationi ratio alia aequalis obstat: qua voce non solum comprehensio, sed et probabilitas omnis evertitur. Si enim pro alterutra parte aequalis momenti rationes omnes sunt, neutra est altera probabilior. Tamen Ciceronianum hoc de Arcesila cum eo quod de veteribus Academicis Galenus [2] scribit, satis concordat: ait enim is, disputationem in utramque partem in epochen desinere a veteribus Academicis existimatam. Certe rationum pondera quod perceptionem spectat, Academicis paria iudicantur, quod ad probabilitatem fidemque faciendam attinet, aliae aliis rationibus praeferuntur, maiorique in pretio sunt. Vix enim ac ne vix quidem Academicum a Pyrrhonio discernere liceret, si nec Academicus quicquam alio probabilius crederet. Verum de hac re satis multa dicturi sumus. Illa quoque Eusebii [3] de Arcesila, magis est, ut de Sceptico dicta videantur: *Πολέμωνα γάρ φασι διαδέξασθαι Ἀρκεσίλαον, ὃν δὴ κατέχει λόγος ἀφέμενον τῶν Πλάτωνος δογμάτων ξένην τινὰ καὶ, ὥς φασι, δευτέραν συστήσασθαι Ἀκαδημίαν. φάναι γὰρ περὶ ἁπάντων ἐπέχειν δεῖν. εἶναι γὰρ πάντα ἀκατάληπτα καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερα λόγους ἰσοκρατεῖς ἀλλήλοις, καὶ τὰς αἰσθήσεις δὲ ἀπίστους εἶναι, καὶ πάντα λόγον. ἐπῄνει γοῦν Ἡσιόδου τοῦτο τὸ ἀπόφθεγμα· κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισιν. ἐπειρᾶτο δὲ καὶ παράδοξά τινα ἀνακαινίζειν.* id est: Polemoni enim Arcesilam aiunt successisse, quem memoriae est proditum, relictis Platonis decretis peregrinam quandam et novam, ac uti vocant, secundam Academiam constituisse. Dixisse enim, in omnibus assensionem continere oportere: esse enim omnia incomprehensibilia rationesque pro alterutra parte aequalis momenti. Fallaces esse sensus et rationem omnem. Laudabat igitur Hesiodi dictum illud: Sapientiam enim Dii hominibus celarunt. Voluit etiam et inopinata quaedam ac nova introducere [4].

---

(1) Acad. ad Varr. lib. 1. C. 13. (2) De opt. doc. ratione. Initio. (3) Praepar. ev. 14, C. 4. (4) vel, inopinata quaedam dogmata iam obsoleta denuo excitare.

Illud vero, quod a Cicerone dicitur, Arcesilam non pertinacia aut studio vincendi cum Zenone certamen instituisse, probri, quod Arcesilae obiiceretur, depulsandi causa dictum accipimus: haec enim, quae ex Lactantio[1] Numenioque adscribemus, ex antiquorum sententia petita sunt. Lactantius: „Verum Arcesilas ignorantiae magister, quum Zenoni obtrectaret, principi Stoicorum; ut totam philosophiam everteret, (auctore Socrate) suscepit hanc sententiam, ut affirmaret, nihil sciri posse. Itaque coarguit aestimationem philosophorum, qui putavissent, ingeniis suis erutam esse atque inventam veritatem, cet." Numenius[2] de Zenone et Arcesila: *συμφοιτῶντες παρὰ Πολέμωνι ἐφιλοτιμήθησαν ἀλλήλοις,* id est, quum Polemonis magistri scholam una frequentarent, mutuo ambitionis et contentionis studio exarserunt. Et alio in loco[3]: *τὸν δὲ οὖν Ζήνωνα Ἀρκεσίλαος ἀντίτεχνον καὶ ἀξιόνικον ὑπάρχοντα θεωρῶν τοὺς παρ᾽ ἐκείνου ἀποφερομένους λόγους καθῄρει καὶ οὐδὲν ὤκνει.* id est, quum igitur Arcesilas Zenonem sibi in arte aemulum esse videret, dignumque existimaret adversarium, ex quo debellato decus sibi pararet, quaecunque ab illo dicta ad se deferebantur, impigre impugnabat et intrepide. Et paullo post: *Τὸ δὲ δόγμα τοῦτο αὐτοῦ πρώτου εὑρομένου, καὐτὸ τὸ ὄνομα βλέπων εὐδοκιμοῦν ἐν ταῖς Ἀθήναις τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, πάσῃ μηχανῇ ἐχρῆτο ἐπ αὐτήν.* id est: quum igitur dogma hoc ipsumque nomen comprehendentis phantasiae ab illo primum inventum maxime Athenis celebrari ac placere cerneret, omni adversus eam machinarum genere utebatur. Subdit autem Numenius, Zenonem, quum multa fortasse haberet, quae pro sua phantasia diceret, nihil tamen respondisse, verum quum nullum appareret Arcesilae decretum, quod ipse vicissim impugnaret, adversus Platonis nihil in se commeriti dogmata sese convertisse. Impune ergo Arcesilas sensus et consuetudinem comprehensionemque universam devastabat, donec exortus ultor est, Chrysippus videlicet, qui porticum videtur fulcire Stoicorum[4], id est, porticus columna esse: *εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στωᾶ*[5]. id est: Nam, si Chrysippus non fuisset, non foret Stoa. Hunc (uti Plutarchus[6] scribit) non casu, sed deorum providentia quadam Stoici dicebant post Arcesilam, et ante Carneadem prodiisse, quorum ille quidem iniuriae ac contumeliae adversus consuetudinem initium dedit, hic vero Academicorum omnium celeberrimus fuit. Chrysippus igitur quum inter utrumque exstitisset, iis, quae adversus Arcesilam scripta reliquit, Carneadis ingenio atque acumini quasi vallum opposuit aditumque praeclusit, multis praesidiis quasi in obsidionem sensibus et consuetudini relictis, tumultuque omni, qui circa notitias oboriri aliquando posset, omnino sublato, singulis iis correctis aptoque ac proprio loco positis: ita ut qui iterum in posterum rebus vim inferre, easque loco pellere aggrederentur, nihil amplius agerent, quam ut deprehensi poenas darent. Haec Stoici de Chrysippo, id est, Hectore suo. At Academici longe aliter de illo sentiunt. Tantum enim abesse eum aiunt, ut sensibus consuetudinique subsidium attulerit,

(1) Lib. 5. de fals. sap. c. 6. (2) Apud. Euseb. Praep lib. 14, 5. (3) Praep. Lib. 14, 6. (4) Cic. in Lucullo. C. 24. (5) Laërt. in Chrys. (6) De commun. notit. adv. Stoic. p. 1059. B.

ut potius imperiti medici more, morbo vires addiderit et maiorem fecerit. Nam quum in iis, quae pro sensibus et consuetudine scripsit, antequam ad obiecta responderet, ipse etiam multa, quae solvere se facile posse sperabat, in contrarium rogaret, idque, ut non inferiore quam Arcesilas ingenio esse crederetur, ambitiosius faceret, viresque in eam rem ita intenderet, ut non solum philosophi more rationes opponeret, sed et rabulae in modum interdum declamitaret; iis rationibus quum minus postea satisfaceret, lectoribus non quod volebat persuadebat. Ipsi Stoici de Chrysippo gloriantes, ab eo armatum Carneadem conqueri solebant. Quem quum Chrysippi libros legeret, solitum dicere aiunt[1], *Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος*· id est: Miser, tua te perdet vis. Quod hemistichium ab Andromacha Hectorem a pugna revocare studente apud Homerum pronuntiatur. Dicebat etiam Carneades et illud, *εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ*· id est: si Chrysippus non fuisset, non essem ego. Quod per parodiam ex illo superius relato est detortum. Ita Stoici de Chrysippi scriptis atque ingenio sibi placent, ut dicant omnes omnium Academicorum libros qui adversus sensus sint editi, si simul congerantur, non conferendos cum iis, quae ab uno Chrysippo adversus sensus sunt scripta. Haec Cicero non praetermisit; sic enim ait in Lucullo[2]: „De quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo; de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem se ipso inferiorem fuisse; itaque ab eo armatum esse Carneadem."

Est ergo nostrâ sententiâ Arcesilas Pyrrhonius, aut qua ratione eius quam plerique mediam Academiam vocant, a Carneadea, quam novam et tertiam dicunt, discernamus non habemus. Nisi si nec Arcesilam a Platone, nec Carneadem ab Arcesila, nec ab utroque Philonem descivisse Academicis concedamus. Unum tamen est, quod Arcesilam non usque quaque cum Pyrrhone consentientem ostendere videatur, quod a Sexto[3] in libro adversus disciplinas traditur; scribit enim is, Arcesilam id in vita agenda sequi iussisse, quod probabile iudicaretur. Namque prudenter se gerens quispiam (aiebat) beatitatem adipiscetur. Prudentia in recte factis versatur. Recte vero factum id est, de quo, quod ita factum fuerit, probabilis et rationi consentanea potest reddi causa: atque hoc modo qui probabile sequutus fuerit, et recte se geret, et felicitatem assequetur. Haec autem omnia vehementer sunt Academica. Nam quae, ut ex D. Augustino[4] colligere est, Academici sapientem et beatum, beatitate ea, quae homini contingere possit, eum putabant, qui verum quaereret, licet id nunquam apprehendat, sed probabilitatem sequatur: beate enim vivere eum aiunt, qui secundum rationem vivat ab errore liber. Error autem illis est, veri pro falso[5] approbatio; a quo satis se securos putant nihil approbando. Magna autem apud me, etiam in huiusmodi, Augustini est auctoritas:

---

(1) Plutarch. de contradict. Stoic. p. 1036. B. Laërt. in Carn. L. 4, 62. (2) C. 27. (3) Adv. Math. Lib. 7. Sect. 158. (4) Cont. Ac. L. 1. c. 1 et 2. et 4. 3, §. 7. (5) Lege omnino: *falsi pro vero*. Durand.

existimo enim omnia quae ab illo de Academicorum disciplina in libris, quos adversus eos scripsit, commemorantur, ex M. Tullii libris, qui non extant, esse desumpta. Verumtamen ea ratione probabile sequi oportere Arcesilas dicere potuit, qua Sceptici etiam ipsi *πείθεσθαι*, id est, persuaderi sibi, aut quidpiam sibi probari dicunt, quum simpliciter id quod apparet, sine vehementi aliqua affectione aut animi propensione sequuntur, ut ne nihil agant. Quod idem Sextus scribit[1].

Quid autem Scepsis ipsaque Pyrrhonis doctrina et institutio sit, etsi res postulare videtur, ut a nobis exponatur, tamen quum Sexti Pyrrhonii commentaria omnibus prae manibus sint, ex quibus hoc abunde liceat haurire, atque ii, qui non adeo vacarint, ut illa perlegant, ex Laërtio[2] commode id capere possint, non magno vitio a nobis omitterentur. Sed, quia non omnino sine vitio breviter universam Scepseos rationem perstringemus, vel praestiterit, a Timone Pyrrhonis ipsius discipulo iam olim in brevem summam redactam, et ab Aristocle Messenio repetitam transcribere. Igitur quum dixisset Aristocles[3], affirmasse quosdam aliquando, quibus Aristoteles contradixerit, haudquaquam nos ea ratione natura comparatos ut quidpiam cognoscere valeamus, subiungit, *ἴσχυσε μέντοι τοιαῦτα λέγων καὶ Πύῤῥων ὁ Ἠλεῖος, ἀλλ᾽ αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἐν γραφῇ καταλέλοιπεν, ὁ δέ γε μαθητὴς αὐτοῦ Τίμων φησὶ δεῖν τὸν μέλλοντα εὐδαιμονήσειν εἰς τρία ταῦτα βλέπειν. πρῶτον μὲν, ὁποῖα πέφυκε τὰ πράγματα. δεύτερον δὲ, τίνα χρὴ τρόπον ἡμᾶς πρὸς αὐτὰ διακεῖσθαι· τελευταῖον δὲ, τί περιέσται τοῖς οὕτως ἔχουσιν. Τὰ μὲν οὖν πράγματα φησὶν αὐτὸν ἀποφαίνειν ἐπίσης ἀδιάφορα καὶ ἀστάθμητα καὶ ἀνέγκριτα, διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι. διὰ τοῦτο οὖν μηδὲ πιστεύειν αὐταῖς δεῖν, ἀλλ᾽ ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας, ὅτι οὐ μᾶλλον ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ καὶ ἔστι καὶ οὐκ ἔστιν, οὔτ᾽ οὐκ ἔστιν. Τοῖς μέντοι διακειμένοις οὕτω περιέσεσθαι Τίμων φησὶ, πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δὲ, ἀταραξίαν, Αἰνησίδημος δ᾽ ἡδονήν. Τὰ μὲν οὖν κεφάλαια τῶν λεγομένων ἐστὶ ταῦτα.* id est: Perseveravit tamen ac invaluit huiusmodi quaedam affirmans Pyrrho Eleus; verum ipse quidem nihil in scriptis reliquit, discipulus tamen eius Timo ad tria haec animum advertere debere eum dicit, qui sit beatus futurus. Primum, qua natura res ipsae sint. Secundum, qua ratione nos erga easdem affectos esse oporteat. Postremo, quid ii, qui isto modo habeant, consequantur. Res igitur sibi videri ait ex aequo indifferentes, et eiusmodi, ut nec mensuram nec iudicium ullum admittant: ideo neque sensus nostros nec opiniones verum sentire aut falsum, quare nec adhibendam fidem illis esse, sed absque opinione perstare nos oportere immotos ac stabiles de quacunque re dicentes, non magis eam esse quam non esse, vel esse et non esse, nec non esse. Eos qui isto modo sint animati Timo consequi dicit, primum quidem Aphasiam (id est, ut de nulla re aiant aut negent) tum etiam Ataraxiam (id est, perturbationibus liberum mentis statum) Aenesidemus

(1) Hypot. lib. 2. c. 33. (2) in Pyrrhonis vita. (3) Apud Euseb. praep. lib. 14, 18.

vero, voluptatem. Atque haec quidem illorum, quae ab ipsis dicuntur, summa capita sunt. Haec Aristocles. Iuvabit autem et Scepticae definitionem ex Sexto[1] adscribere. Sceptica (inquit) est *δύναμις*, id est, vis et facultas, quae ea quae sunt *φαινόμενα*, id est, sub sensum cadunt, iis quae sunt *νοούμενα*, id est, mente percipiuntur, opponit; idque quolibet modo. Definitionis huius explanationem videat apud ipsum Sextum qui vacarit. Affert etiam Laërtius[2] ex Aenesidemo hanc alteram Pyrrhoniae disciplinae et rationis descriptionem: *ἐστὶν ὁ Πυῤῥώνειος λόγος μνήμη*[3] *τὶς τῶν φαινομένων ἢ τῶν ὅπως οὖν νοουμένων, καθ' ἣν πάντα πασὶ συμβάλλεται, καὶ συγκρινόμενα πολλὴν ἀνωφέλειαν*[4] *καὶ ταραχὴν ἔχοντα εὑρίσκεται*. id est: Est vero Pyrrhonia ratio et institutio, memoria quaedam et recordatio eorum quae apparent, vel qualicunque ratione in cogitationem veniunt, secundum quam omnia omnibus conferuntur, et comparata atque inter se composita inutilia valde et confusionis plena comperiuntur. Monet autem plusquam uno loco Sextus[5], Scepticum minime Phaenomena, id est, ea quae apparent sensibusque obiiciuntur, tollere. Namque (ut ait) Scepticus iis, quibus per phantasiam cogitur affici, assentitur. Exempli gratia, quum calefit aut frigefit, nequaquam dixerit, puto me non calefieri aut frigefieri: sed dicimus Scepticum dogma non ponere; eo sensu, quo dogma nonnulli esse aiunt, assensum ad rem aliquam dubiam et incertam earum, de quibus in scientiis quaeritur et ambigitur. Nulli[6] enim rei incertae et controversae assentitur Pyrrhonius; quaerit autem et ambigit non de ea re, quae apparet, sed de eo, quod dicitur de re apparente. Veluti, phaenomenon est, mel gustum dulcem nobis praebere; de hoc non quaerit; sed de illo an mel dulce sit, quod ad rationem et intelligentiam attinet, ambigit. Quod si etiam aperte circa id quod apparet, aliquando quaestiones movet, non ita id facit, quasi apparentia velit evertere, sed ut dogmaticorum temeritatem arguat. Si enim eiusmodi sunt rationis imposturae, ut etiam apparentia tantum non oculis nostris surripiat; quomodo in incertis suspectam eam habere non debeamus, ne eam sequentes in temeritatem labamur? Est autem animadversione et annotatione dignissima admonitio haec non pro Pyrrhonis modo, sed potiori etiam ratione pro Academicis. „Nam et Academicis placuit (ait D. Augustinus[7]) nec homini scientiam posse contingere, earum duntaxat rerum quae ad philosophiam pertinent: nam cetera curare se Carneades negabat, cet."

Criterium igitur (inquit Sextus[8]) Scepticae institutionis dicimus esse, id quod apparet; quod perinde est, ac si phantasiam dicamus. Quum enim persuasionem et coactam passionem afferat, ambigi de ea non potest. Itaque hoc quidem, nimirum tale aut tale apparere ipsum subiectum, nemo fortasse in dubium vocat: sed de hoc videlicet, an tale sit quale apparet, ambigitur. Apparentibus igitur acquiescentes, ea quae ad vitam communem pertinent, observando, opinatione omni

---

(1) Hypotyp. lib. 1. c. 4, 8. (2) In Pyrrhone 9, 78. (3) Alii *μήνυσις*. (4) Libenter aliam vocem substituam. (5) Hypotyp. lib. 1. c. 1. (6) Hypotyp. lib. 1. c. 10. §. 19. (7) Contra Acad. 2, 5, 11. (8) Hypotyp. 1, 2, 22.

liberi vivimus: quia omnis actionis prorsus expertes esse non possumus. Videtur autem haec observatio eorum, quae ad vitam communem spectant, triplex esse: et partim in naturali instructione versari, partim in impulsu et coactu passionum, partim in constitutione legum et consuetudinum, partim in traditione artium. Instructione naturali, per quam a natura et sensuum et intellectus facultate praediti sumus. Passionum coactu; quo fit, ut fames ad cibum nos deducat, sitis ad potum. Legum et morum constitutione, quae facit, ut pie agere in vita communi, bonum censeamus; impie agere, malum. Artium traditione, per quam non inutiles et otiosi sumus in iis, quae nobis traduntur, artibus. Haec autem omnia citra opinionem dicimus. Haec Sextus.

Quum autem Scepticus de quaestione aliqua rogatur, illis verbis quibus quasi cautionum formulis utitur, solet respondere: *σκέπτομαι*, id est, quid respondere oporteat, quum nondum compertum habeam, quaero atque considero. *ἐπέχω*, id est, assensionem sustineo. *οὐδὲν ὁρίζω*, id est, nihil definio: namque omnia sunt *ἀόριστα*, id est, indefinita. *οὐδὲν μᾶλλον*, id est, nihilo magis, hoc videlicet est, quam illud. *παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται*, id est, omni sermoni et rationi ratio alia aequalis obstat. Utebantur et aliis similibus formulis, quas omnes illarumque explanationem ex ipso Sexto petas licet, una cum aliis multis ad hanc sectam pertinentibus; de qua etiam non pauca invenies apud Laërtium in Pyrrhonis vita; Gellii quoque sive Agellii caput quintum libri undecimi de Pyrrhoniis consulas licet, non tamen ut differentiam quam inter Academicos et Pyrrhonios ipse assignat, probes. „Quod Academici quidem (inquit) ipsum illud, nihil posse comprehendi, quasi comprehendunt. Et nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil esse verum videtur." Falsum enim hoc esse, quod de Academicis scribit, ex Carneadis ad Antipatrum responsione apud Ciceronem[1] manifestum fit. Nec enim ipsum hoc decretum, id est, nihil comprehendi, Academici comprehensum sibi dicebant, sed probabile existimabant. Sed ea est inter Pyrrhoniam et Academicam rationem, quum utrique philosophi epoche utantur, id est, assensionem cohibeant, potior differentia, quod Academici, uti postea planissime constabit, verum ac falsum ex rebus minime tollant, ac nec ex phantasiis quidem: nam phantasias aut veraces aut mendaces dicunt: Pyrrhonii haec utraque *ἐπίσης ἀδιάφορα*, id est, nihil inter ea interesse pronuntiant. Pyrrhonii paribus omnia stabiliri rationibus existimant: Academici et quaedam improbabilia omnino, et alia aliis probabiliora, quae pluribus aut potioribus rationibus fulciantur, maioremque fidem faciant, concedunt; quae tamen adhuc quantumvis probabilia, quum comprehensa non sint, assensum ab ipsis minime extorqueant.

Et haec de Scepsi pro instituti nostri ratione satis multa. Iam enim ad Academiam reverti tempus; sed contrarii, id est, Stoici exercitus copiis prius enumeratis, ut promisimus et necessarium existimamus.

---

(1) In Lucullo C. 34.

Stoica dogmata nisi altius repetito principio non facile intelligas, quum etiam plerumque inopinata sint. Explicaturi ergo Stoicorum de veritatis iudicio sententiam, illinc exordium sumendum ducimus. Animus secundum Stoicos corpore non caret: nec enim ipsi quidquam corporis expers in rerum natura esse credunt. Definiunt autem eum *πνεῦμα θερμὸν*, id est, calidum spiritum [1], sive ut princeps ipse Chrysippus apud Galenum [2] ait, *ἡ ψυχὴ πνεῦμά ἐστιν σύμφυτον ἡμῖν συνεχὲς παντὶ τῷ σώματι διῆκον ἐςτ᾽ ἂν ἡ. τῆς ζωῆς εἰς τρια* [3] *παρῇ ἐν τῷ σώματι.* id est: Animus est spiritus nobis ingenitus totum corpus pervadens, qui tamdiu est in corpore, quamdiu illud animi functionibus agitur ac regitur. Et apud Stobaeum [4] de Stoicis: *τὸ γὰρ συμφυὲς πνεῦμα ἡμῖν ἔνθερμον ὂν ψυχὴν ἡγοῦνται.* id est: spiritum enim calidum nobis ingenitum, animum putant. Partes vero animi octo numerant, uti statim post illam descriptionem, quam ex Galeni libro exscripsimus, Chrysippus explicat, sed planissime Plutarchus [5]. „Stoici (inquit) *τὸ ἡγημονικὸν*, id est, ductricem seu principem partem, summam in animo esse dicunt, quae et phantasiarum et assensionum et sensuum atque appetitionum effectrix sit. Haec autem *λογισμὸς*, id est, ratiocinatio illis dicitur. Ab hegemonico vero septem animi partes enascuntur ac procedunt et per corpus tendentes extenduntur, velut cirri ex polypode. Harum autem septem animi partium quinque sunt sensoria ipsa, visus, odoratus, auditus, gustus, tactus. Ex quibus visus quidem est spiritus pertingens ab hegemonico ad oculos. Auditus vero est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad aures. Odoratus est spiritus pertingens ab hegemonico ad nares extenuandi vim habens [6]. Gustus est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad linguam. Tactus vero est spiritus pertingens ab hegemonico ad (totius corporis) extremitatem sive superficiem, ut quae incurrunt et nos tangunt, facile sentiantur. Reliquarum partium altera dicitur semen, quae etiam est spiritus pertingens ab hegemonico ad parastatas. Altera vero quae a Zenone *φωναέν*, id est, vocalis, dicta est, quam et *φωνὴν*, id est, vocem dicunt, est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad guttur et linguam et accommodata instrumenta." Atque principem quidem animi partem Hegemonicon et Logismos dictam proprio nomine apud Stoicos *διοικεῖαν* indigetari solitam Stobaeus refert. Significat autem verbum id gubernatricem, sive gubernationem, nisi corruptum sit, potiusque *διάνοιαν*, id est mentem seu cogitationem legere oporteat. Sedem autem et quasi solium parti huic, ut idem Plutarchus [7] scribit, in toto corde aut in spiritu, qui circa cor est, assignabant. Sive ut ipse hic philosophus alio in libro [8] significare videtur, in ipsius cordis medio centro et puncto quodam, a quo ad sensuum instrumenta veluti ex

(1) Lucian. in Hermot. Plutarch. de plac. philos. lib. 4. c. 21. p. 309. B. (2) De placit. Hippoc. et Plat. lib. 3. (3) Corrupta vox. forte legend. *οὐσία* vel *διοικεία*. (4) Eclog. phys. C. 40. (5) De Placit. lib. 4. c. 22. (6) *μέχρι μυκτήρων λεπτῦνον*. Budaeus, ad narium fauces, ex re magis quam ex verbo: an legendum *λεπτὸν ὑμένα*, id est, ad tenuem intra nares pelliculam seu membranam? Vide Galen. de odor. instrum. (7) De placit. lib. 4. (8) De comm. notit. advers. Stoicos.

orbis alicuius media parte ad extremas quasi radii ducantur. Atque de hac quidem re apud Galenum Platonis et Hippocratis, qui in cerebro mentem collocarunt, dogmata confirmantem, magno ac plus satis longo sermone agitata disputatio sive iurgium est. Nos autem ad Academiam festinamus. Aiunt ergo Stoici[1], ita animi principem partem nato statim homine habere veluti membranam scripturae paratam atque opportunam, in qua singulae *ἔννοιαι*, id est, notitiae inscribantur; inscriptionis modus sensuum opere fit. *Αἴσθησιν* autem, id est, sensum sic definiunt[2]: *αἴσθησίς ἐστιν ἀντίληψις αἰσθητηρίου ἢ κατάληψις*, id est; sensus est sensorio facta apprehensio sive comprehensio. Namque *κατάληψις*, id est, comprehensio (ut est apud Laërtium[3]) fit secundum hos, aut sensu, ut albi et nigri, asperi et levis cet.; aut ratione, ut eorum, quae demonstratione colliguntur, ut, Deos esse et mundo providere. Ac quum plures significationes sensus vocabulo tribuant, in ea, quum de illo sic agunt, accipiunt, qua, ut definitio ipsa continet, sentiendi instrumento factam apprehensionem significari dicunt. Atque in huiusmodi inscriptione phantasiae literarum usum praestant. Est vero phantasia, ut apud Plutarchum[4] Chrysippus ait, *πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γιγνόμενον ἐνδεικνύμενον ἑαυτὸ καὶ τὸ πεποιηκός*, id est, affectio in animo facta, se et id a quo est effecta ostendens. Veluti quum visu aspicimus album, affectio quaedam atque permotio in animo fit, cui commotioni album quod ipsam excitavit, subiacere dicimus: namque phantasia luminis, (*φωτός*) a quo denominationem accepit, in modum, et se et id a quo est effecta indicat, sicut ipsum lumen se et rem lumine illustratam. Quum ergo Zeno phantasiam *τύπωσιν ἐν ψυχῇ*, id est, impressionem in animo dixisset, Chrysippus *τύπωσιν*, id est, impressionem, *ἀλλοίωσιν*, id est, immutationem interpretabatur: non enim fieri posse, ut in eodem loco plures impressiones eodem tempore constent, si typi veluti impresso sigillo in animo fiant. Quum vero *in animo* dicunt, principem animi partem significant; in ea enim sola phantasias et assensiones et appetitiones constituunt, quod praeter Plutarchum Stobaeus in Physicis[5] tradit.

Sunt autem phantasiae aliae *λογικαὶ*, id est, rationales, aliae *ἄλογοι*, id est, irrationales. Rationales sunt, quae ratione praeditis animantibus accidunt. Irrationales quae ratione carentibus contingunt. Hae proprio nomine non appellantur; rationales, *νοήσεις*, id est, mentis conceptiones, dicuntur. Rursus phantasias in *αἰσθητικὰς*, id est, sensitivas, quae per sensuum instrumenta percipiuntur, et *οὐκ αἰσθητικὰς*, id est, non sensu, sed mente ac ratione perceptas, partiuntur. Praeterea, phantasiae quaedam *τεχνικαὶ*, id est, artificiosae; alterae *ἄτεχνοι*, id est, sine arte. Namque aliter (inquiunt) artifex, aliter vero imperitus signum aut tabulam conspicit et contemplatur. In quo enim sensus deficere videantur, Stoici artes adhiberi iubent, quasi sensus alteros (ait apud Ciceronem Lucullus[6]). Epictetus[7] Aca-

---

(1) Plutarch. de plac. lib. 4. c. 11. p. 900. B. (2) Plut. ibid. c. 8. p. 899. (3) In Zenone L. 7, 52. (4) De placitis phil. 4, 12. (5) Eclog. phys. C. 39. (6) Lucull. C. 10. (7) Epict. Arriani lib. 2. c. 20.

demicos accusat, qui id, quod in sensibus ad comprehensionem et scientiam subsidii est, impugnent et subvertere conentur, quum contra oporteret studio et diligentia arteque adhibita sensus ipsos iuvare, excolere atque ornare. Lucullus sive Antiochus, id est, Stoici ipsi apud M. Tullium[1]: „Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantu, quis est qui non cernat quanta vis sit in sensibus? quam multa vident pictores in umbris et in eminentia quae nos non videmus! quam multa quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt, aut Andromacham, quum id nos ne suspicemur quidem." Dividunt etiam Stoici phantasias in veras et falsas. Verum praecipua et quae magis ad rem facit Stoica partitio est, qua phantasiarum alia *καταληπτικὴ*, id est, comprehensiva vel comprehendens, alia *ακατάληπτος*, id est, non comprehensiva nec comprehendens, esse dicitur. Comprehendentis phantasiae celebris est a Zenone ipso tradita definitio, *Ἡ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος κατὰ αὐτὸ τὸ ὕπαρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναποτετυπωμένη, οἷα οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ τοῦ μὴ ὑπάρχοντος.* id est: Quae expressa est atque impressa ab eo quod non est, veluti est, qualisque nunquam fieri possit ab eo quod non est. *Ἀκατάληπτον*, id est, non comprehensam, sive quae comprehendi non potest, eam dicunt, quae ab eo quod non est, incurrat.

Ac phantasias quidem alias veras esse, alias falsas dicunt, alias non comprehendi: sensus autem omnes veros omnesque comprehensos, quum ipsi comprehensiones quaedam sint, esse affirmant; neque comprehensiones solum, sed et assensiones sensus omnes necessario esse Stoici asseverant. Quum enim quis album intuetur, albumque illud esse sentit, simul et comprehendit et assentitur album id esse, aut non sentit. Hoc in Lucullo ex Antiochi sententia pronuntiatur, et Stoicorum verbis apud Laërtium[2] scribitur; aiunt enim sensilium phantasiarum perceptionem *μετὰ εἴξεως καὶ συγκαταθέσεως*, id est, cedente et assentiente animo fieri. Atque hoc unum est ex praecipuis controversiae capitibus. Minime enim assensus liber esset, minimeque illum retinere liceret, si quidem omnis qui sentit, eo ipso et comprehendere et assentiri dicendus foret. De hac re quaedam apud Stobaeum in physicis[3] leguntur, sed ita corrupta, ut huc transcribenda non existimarim. Illum tamen sensum continere videntur: Stoicis placere, sensum non ad solam phantasiam pertingere, sed et ipsum et appetitionem usque ad approbationem progredi, nec sine assensione sensum esse[4]: at veteres philosophos, Academicos in primis, nudam phantasiae affectionem sensum esse putare, nec appetitionem initio illi adiunctam, nedum approbationem: alioquin assensus in nostra potestate non esset. Igitur Stoici, quum neque sensum sine approbatione constare posse contendant, multo minus appetitione quemquam moveri posse concesserint, qui non assentiatur id, quod appetit, ad naturam esse accommodatum. Decernunt[5]

---

(1) Lucull. C. 7. (2) In Zenon. vita. L. 7, 51. (3) C. 40. (4) Vide sententiam Semiae de sensu apud Galen. in *κατ' ἰητρεῖον* pag. 665. 22. Graec. edit. Basil.

ergo πάσας τὰς ὁρμὰς εἶναι συγκαταθέσεις, id est, omnes appetitiones esse approbationes. Fuit itaque hoc Stoicorum adversus Academicos disputationum praecipuum argumentum. Plutarchus[1]: Καὶ μὴν ἐν τοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς ἀγῶσιν ὁ πλεῖστος αὐτῷ τε Χρυσίππῳ καὶ Ἀντιπάτρῳ πόνος γέγονε περὶ τοῦ μήτε πράττειν μήτε ὁρμᾶν ἀσυγκαταθέτως, ἀλλὰ πλάσματα λέγειν καὶ κενὰς ὑποθέσεις, τοὺς ἀξιοῦντας οἰκείας φαντασίας γενομένης εὐθὺς ὁρμᾶν μὴ εἴξαντας μήτε συγκαθεμένους, id est: Atqui in certaminibus adversus Academicos plurimus et Chrysippo ipsi et Antipatro labor et conatus de eo fuit, ut ostenderent, nec agere quidquam nec appetere quempiam citra assensionem posse: sed figmenta et vanas positiones dicere eos qui volunt, oblata phantasia rei ad naturam accommodatae protinus appetere nos non cedentes neque approbantes. Tamen post multa tentata machinarum genera, multaque certamina anxie decertata, nihil tandem ab Stoicis aliisque philosophis actum idem Plutarchus[2] scribit, sed firmam adhuc et inconcussam epochen permansisse neque loco unquam pulsam. Verum praestiterit verba ipsa Plutarchi adscribere, quae mire ad rem pertinent qua de agimus: τὴν δὲ περὶ πάντων ἐποχὴν οὐδ᾽ οἱ πολλὰ πραγματευσάμενοι καὶ κατατείναντες εἰς τοῦτο συγγράμματα καὶ λόγους, ἐκίνησαν· ἀλλ᾽ ἐκ τῆς στωᾶς αὐτῆς τελευτῶντες, ὥσπερ Γοργόνα, τὴν ἀπραξίαν ἐπάγοντες ἀπηγόρευσαν, ὡς πάντα πειρῶσι καὶ στρέφουσιν αὐτοῖς οὐχ ὑπήκουσεν ἡ ὁρμὴ γενέσθαι συγκατάθεσις, οὐδὲ τῆς ῥοπῆς ἀρχὴν ἐδέξατο τὴν αἴσθησιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἑαυτῆς ἀγωγὸς ἐπὶ τὰς πράξεις ἐφάνη μὴ δεομένη τοῦ προςτίθεσθαι· id est: assensus vero in omni re retentionem (s. epochen) nec ii qui multum negotii operaeque in eam impenderunt, longis voluminibus adversus eam scriptis, loco pellere potuere. Verum quum nec sumpta ab Stoa ipsa Apraxia (id est actionis universae privatione) ac veluti Medusae capite intentata atque ostensa quicquam proficerent, re tandem desperata destiterunt, postquam omnia experti omnique lapide moto, nunquam appetitionem adducere potuerunt, uti assensus fieri se pateretur, nec a sensu propensionis suae initium admittere voluit; sed sola ipsa nulla accessione egens ad alliciendum et deducendum ad actiones satis idonea est comperta. Sed ad minuta illa Stoicorum revertendum nobis est.

Eas, quae ratione utentibus obveniunt, phantasias νοήσεις appellari[3] adnotabamus; hae postquam in mente repositae sunt ac conservatae ἔννοιαι, id est, notitiae dicuntur; sic enim definiunt, ἔννοιαι, ἀποκειμέναι νοήσεις, id est, notitiae, repositae in mente apprehensiones. Atque si animo infixae perseverent, μνήμη, id est, memoria iam est, quam μόνιμον καὶ σχετικὴν τύπωσιν, id est, stabilem impressionem et quae in habitum abierit, dicunt, ut quum albi sensu percepti memoria, eo e conspectu sublato remanet. Namque quamdiu id quod sentitur, adest, non memoria, sed, ut arbitror, phantasiae ἔμφασις (quasi dicas *apparentia*) ab Stoicis dicebatur. Sic enim illa apud Laërtium[4] accipio, εἰσὶ δὲ τῶν φαντασιῶν καὶ ἐμφάσεις ἕως ἂν ἀπὸ

(1) De Stoic. contrar. p. 1057. A. (2) Advers. Colotem p. 1122. A. (3) Plutarch. de Stoicis contrariet. p. 1057. A. et de plac. philos. lib. 4. c. 11. (4) in Zenone L. 7, 51.

ὑπαρχόντων γινομέναι ἔτι, id est: sunt etiam phantasiarum emphases donec ab eo quod est, fiunt. Non negarim tamen haec illum sensum mittere, ut significent, phantasias ab eo quod est, proprio nomine emphases vocari. Postquam vero multae generis eiusdem memoriae convenerint, ἐμπειρίαν, id est, usum sive artem habere dicunt: est enim ἐμπειρία τὸ τῶν ὁμοειδῶν μνημῶν πλῆθος, id est, generis unius memoriarum collectio sive multitudo. Apud Ciceronem[1] Stoici artem non ex una aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constare dicunt.

Ac quotquot sine arte nostra notitiae rerum mente excipiuntur, φυσικαὶ, id est, naturales vocantur[2], suoque nomine προλήψεις. Est autem πρόληψις ἔννοια φυσικὴ τοῦ καθόλου[3], id est, notitia naturalis universalium, vel eorum, quae in genere, aut in universum dicuntur; ut notitia hominis, equi, bovis, albi, nigri, cet. Quae vero arte et studio atque disciplina notitiae comparantur, τεχνικαὶ ἔννοιαι, id est, artificiosae notitiae sunt, nec proprio nomine insigniuntur. Cicero[4] ἐννοίας et προλήψεις non distinguit, sed uno vocabulo notitias vertit.

Λόγος[5], id est, ratio ipsa, propter quam homines rationis participes esse dicuntur, ἐκ τῶν προλήψεων, id est, ex naturalibus illis praenotionibus atque notitiis in animo collectis confici atque consummari constareque dicitur. Quod primo aetatis septenario absolvi solere putant. Iam enim eo tempore diversarum rerum notionibus consideratis, alterisque ad alteras comparatis atque invicem compositis, rationes et argumentationes construere et indicare homines valent.

Criterium igitur veritatis Zeno et Stoicorum maior pars τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, id est, visionem comprehensivam seu comprehendentem, esse decreverunt. Cuius phantasiae definitio superius a nobis Graece recitata, sic a M. Tullio Latinis verbis redditur: *Visum impressum effictumque ex eo quod est, quale esse non potest ex eo quod non est*[6]. Ac nescio qua ratione in translatione hac verba illa definitionis κατὰ αὐτὸ τὸ ὕπαρχον, id est, sicut est ipsum quod est, omissa sint, quum, uti ex Sexti[7] explicatione (is enim definitionem istam late prosequitur, singulasque eius partes interpretatur:) apparet, necessaria omnino videantur. Namque, ut visio aliqua comprehendens dici mereatur, et ab eo quod est, proveniat, oportet, et rem ita uti est repraesentet, eiusmodique sit, ut falsum aliquod visum eiusdem formae omninoque simillimum et quod nulla arte a vero discernatur, nullum contingere queat.

Ac talis certe phantasia revera comprehendens et cui assensus iure optimo deberetur, foret, si quidem eiusmodi aliqua posset reperiri. Nec aliter Academici ipsi censent, qui mire definitionem ipsam commendant et acatalepsiae fundamento utuntur[8]. Nisi quod Stoici multas eiusmodi visiones esse pertinaciter asseverant, Academici nec unam

---

(1) in Lucullo C. 7. (2) Plutarchus de placitis phil. 4, 11. (3) Laërt. in Zenone L. 7, 51. (4) in Lucullo C. 7. et 10. (5) Plutarch. de plac. l. 4. cap. 11. et Philo in sacr. leg. allegor. post exahemer. p. 42. 65. (6) in Lucullo C. 6. (7) lib. adv. discipl. c. de criterio. (8) D. August. contra Acad. l. 2. c. 5.

quidem talem unquam contigisse aut contingere posse probant. Atque adeo quum (uti aiunt) nullum visum sit (quod ad hanc comprehendendi veram rationem attinet) quod comprehendi possit, retinendam assensionem merito sibi videntur statuere. Atque de hac una re tota fere concertatio est: illis pro sensibus, consuetudine, perspicuitate et ratione depugnantibus; his, id est, Academicis, sensuum consuetudinisque universae ac perspicuitatis rationumque omnium, quod quidem ad aliud quidpiam probabilitate maius praestandum faciat, iudicium damnantibus ac dilacerantibus. Hinc tot Chrysippi scripta pro sensibus et consuetudine laudantur, totque Academicorum contrariae disputationes. Stoici apud Plutarchum[1] πρόδικοι τῆς ἐναργείας, id est, evidentiae advocati et patroni cognominantur. Phavorinus Academicus tres libros adversus comprehendentem phantasiam scripsit. Ut Galenus[2] refert, qui etiam tradit Carneadem ne illud quidem concessisse, quae duo uni cuipiam aequalia sint, mutuo etiam aequalia esse. Ipse Cicero[3] geometricis his elementis non multum acquiescit. Verum enim vero nondum ad Academiam divertimus: sunt enim Stoica haec amplius expedienda, quum sint impeditiora.

Igitur primum[4] occurrente phantasia animus percellitur, tum mens, ut quae discernendi habet facultatem, rationisque et elocutionis usu est praedita, quidnam sit illud quod phantasiam immittit, apud se enuntiat: ut puta, albi visio est haec. Ac siquidem nihil impediat, id est, ut dicebant[5], ἐνστήματα vel ἐνστάσεις, id est, impedimenta nulla sint, quo minus visio vera habeatur, mens eam apprehendit et apprehensae assentitur (haec res, si sensus instrumento excepta visio fuerat, Stoicis *sensus* est) quod si res, cuius visum perceptum et approbatum fuit, ad naturam iudicetur accommodata, ὁρμή, id est, appetitio e vestigio sequitur; sin vero naturae incommoda, ἀφορμή vel ἔκκλισις, id est, animi declinatus ac fuga[6]. Est autem ὁρμή, φορὰ ψυχῆς ἐπί τι, id est, impetus animi ad aliquid. Quae vero λογικὴ ὁρμή, id est, rationalis appetitio dicitur, illo modo definitur, φορὰ διανοίας ἐπί τι τῶν ἐν τῷ πράττειν, id est, impetus vel motus, vel impulsus mentis ad aliquid eorum, quae in actione sunt. Hae apud Stobaeum appetitionis definitiones ex Stoicis sunt exscriptae. At Plutarchus[7] Chrysippum in libro de lege isto modo appetitionem descripsisse refert: ἡ ὁρμὴ τοῦ ἀνθρώπου, λόγος ἐστὶ προςτακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν, id est: Hominis appetitio ratio (quaedam) est, quae illi actionem imperat. Quae definitio, quum de animi affectionibus in morali tractatione ex Stoicorum sententia agendum fuerit, memoriae maxime tenenda. Cicero[8] secundam illam descriptionem respicere videtur quum scribit: „Nam aliter appetitio (eam enim esse volumus ὁρμήν) qua ad agendum impellimur et id appetimus quod est visum, moveri non potest." Hanc idem Cicero alio in libro[9], *animi appetitum* et *adscitum* interpreta-

(1) De commun. notit. adv. Stoicos. (2) Galen. de opt. doc. genere. p. 498. B. et p. 499. D. (3) in Lucullo C. 36. (4) Laërt. in Zenone L. 7. Sect. 49. (5) Sextus adv. Math. L. 7. Sect. 253—257. (6) Stobaeus Ecl. ethic. C. 5. p. 175. (7) De Stoic. contrarietatib. p. 1037. F. (8) in Lucullo C. 8. (9) De finibus.

tur; contrarium, id est ἀφορμὴν, *depulsionem* et *declinatum* vocat, Seneca *fugam*. Philo Iudaeus, qui plerumque philosophicis variarum sectarum vocibus et decretis uti gaudet, in libro cuius index est ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, id est, non esse divinam naturam mutationi obnoxiam, de appetitione haec non quidem Stoica, sed planissime Academica scripta reliquit: τὸ δὲ φανὲν καὶ τυπῶσαν τοτὲ μὲν οἰκείως, τοτὲ δὲ καὶ ὡς ἑτέρως διέθηκε τὴν ψυχήν. Τοῦτο δὲ αὐτῆς τὸ πάθος ὁρμὴ καλεῖται, ἣν ὁριζόμενοι πρώτην ἔφασαν εἶναι ψυχῆς κίνησιν, id est: id vero quod apparuit visumque sui impressit, nunc quidem uti naturae accommodatum, nunc vero ut altero modo habens affecit animum; cuius affectio ea appetitio nuncupatur, quam definire volentes primam animi motionem esse dixerunt. Πρακτικὴν autem, id est, agentem hanc appetitionem, Stoici more suo in multa minutiora dividunt: numerant enim eius species, πρόθεσιν, ἐπιβολὴν, παρασκευὴν, ἐγχείρησιν, προαίρεσιν, θέλησιν. quasi dicas, propositum, intentionem, praeparationem, conatum, consilium, voluntatem. Verum nimis iam multum in Stoicis senticetis haeremus. Ad scientiam ergo, haec enim ipsis viae finis et navigationis portus ipsaque beatorum civitas est, tandem accedamus.

Scientiam Stoici varie definiunt: hae enim eius sunt ex ipsis collectae apud Stobaeum[1] definitiones: ἐπιστήμη ἐστὶ κατάληψις ἀσφαλὴς καὶ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου, id est: Scientia est firma et immutabilis ac rationi innixa comprehensio, vel quae ratione convelli non possit, comprehensio. Et σύστημα ἐξ ἐπιστημῶν τοιούτων κατὰ μέρος λογικὴ[2] ἐν τῷ σπουδαίῳ ὑπάρχουσα, id est, collectio ex huiusmodi scientiis in rationali animi parte sapientis constituta. Et σύστημα ἐξ ἐπιστημῶν τεχνικῶν ἐξ αὐτοῦ ἔχον τὸ βέβαιον, ὡς ἔχουσαν[3] αἱ ἀρεταὶ, id est: Collectio sive aggregatio ex scientiis artificiosis firmitudinem a se ipsa habens, quales virtutes sunt, vel, qualem firmitudinem virtutes habent. Et ἕξις φαντασιῶν δεκτικὴ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου, id est, habitus ad phantasiarum receptionem accommodatus, a ratione firmitatem habens ut convelli non possit; vel: quem convellere nulla ratio possit.

In solis autem virtutibus atque in sapiente solo scientiam esse, Stoicorum dogmatum caput est[4]: quam et summum bonum dicunt et solum. Cicero in Lucullo[5]: „In quibus (virtutibus) solis inesse etiam scientiam dicimus, quam nos (Stoici et Antiochus) non comprehensionem modo rerum, sed etiam stabilem atque immutabilem esse censemus." Et paullo ante libri finem[6]: „Nos enim (Stoici) defendimus, etiam insipientem multa comprehendere. At scire negatis quemquam rem ullam nisi sapientem." Plutarchus[7] Stoicorum verbis: πᾶσα κατάληψις ἐν τῷ σοφῷ καὶ μνήμη τὸ ἀσφαλὲς ἔχουσα καὶ βέβαιον, εὐθὺς ἐστιν ἐπιστήμη καὶ ἀγαθὸν μέγα καὶ μέγιστον, id est: Omnis comprehensio in sapiente et memoria quae constantiam et firmitudinem habeat, protinus scientia est magnumque ac maximum bonum. Omnia

(1) Eclog. eth. C. 2. p. 171. (2) Leg. λογικόν. (3) Leg. ἔχουσιν. (4) D. August. contra Acad. l. 1. c. 7. (5) C. 8. (6) C. 47. (7) De commun. not. adv. Stoic. p. 1061. C.

enim quaecunque in sapiente sint, bona esse, in stulto, id est, vulgari hominum conditione, nihil bonum, meliora media esse statuebant. Unde et officia quantumvis recta, in sapiente solo perfecta et bona et *κατορθώματα*, id est, recte facta, in insipiente non nisi media et imperfecta officia appellari volebant. Sed de his alius erit dicendi locus.

Quibus autem quasi gradibus ad hoc summum bonum deveniatur, et ex iis quae dicta sunt iam elucescit, si quidem memoria tenes, quid visa, quid notitiae, quid prolepses sint, quid memoria atque usus sive ars, qua ratione mens, dialecticae etiam ductu, ex notitiis rationes conficiat decretaque statuat et firmet. Quae omnia etiam stulto ante sapientiam contingunt, nec (ut modo dicebamus) quantumvis speciosa, illi plusquam media sunt, neque propter ea aliquid est consecutus, quo minus stultus plane et miserrimus habeatur, nisi quod iis stationibus ultimo tandem pedatu scientiam tenet, repenteque ex insipiente et infelicissimo, cuique nullum malum absit, sapiens beatissimusque evadit: *νοῦν τέλειον* (ait Plutarchus[1]) *ἄκραν φρόνησιν, ἰσόθεον διάθεσιν, ἀδόξαστον ἐπιστήμην, καὶ ἀμετάπτωτον ἕξιν ἐσχηκὼς, οὐδὲν ἐνδούσης πρότερον αὐτῷ τῆς μοχθηρίας· ἀλλ᾽ ἐξαίφνης, ὀλίγου δέω εἰπεῖν, ἥρως τις ἢ δαίμων ἢ θεὸς ἐκ θηρίου τοῦ κακίστου γενόμενος· ἐκ τῆς στωᾶς γὰρ λαβόντα τὴν ἀρετὴν, ἔστιν εἰπεῖν· Εὖξαι εἴτι βούλει, πάντα σοι γενήσεται*, id est: mentem perfectam, summam sapientiam, divinae parem conditionem, scientiam ab opinione omni liberam, immutabilemque habitum consecutus: quum tamen antea nihil ei ex nequitia decederet: sed repente (parum est quin dicere ausim) in heroëm quempiam aut daemonem aut Deum mutatur. Qui enim virtutem ex Stoa sumptam habeat, dicat statim licet: Opta siquid vis, omnia tibi aderunt, cet. Illos gradus idem Plutarchus[2] alio in loco indicat aperte, dum Stoicorum inconstantiam accusat: quos ita sibi non constare neque quid dicant animadvertere ait, *ὥστε τὰς ἐννοίας ἀποκειμένας τινᾶς ὁριζόμενοι νοήσεις, μνήμας δὲ μονίμους καὶ σχετικὰς τυπώσεις, τὰς δὲ ἐπιστήμας καὶ παντάπασι πηγνύντες ὡς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ βέβαιον ἐχούσας, εἶτα τούτοις ὑποτίθεσθαι βάσιν καὶ ἕδραν οὐσίας ὀλισθηρᾶς καὶ σκεδαστῆς καὶ φερομένης ἀεὶ καὶ ῥεούσης*, id est: ut quum notitias repositas quasdam mentis conceptiones esse definiant, memorias autem constantes et habitum adeptas impressiones: scientias vero etiam omnino cogant et quasi coagulent, ut quae immutabiles ac firmae sint, fundamentum deinde sedemque istis ex lubrica et non stabili, sed dissipabili semperque fluente natura substernant. Animum videlicet ex tenui aura compactum. Longa de hac re Lucullo habetur oratio ab illis statim verbis, „Ordiamur igitur a sensibus" cet., quam apud Ciceronem legas. Nos integrum librum exscribere nolumus. Duo tamen loca apponere necessarium existimamus. Altero tota Stoici criterii ratio ex Antiochi fide a Varrone describitur, altero Zenonis imago, qua omnia haec repraesentare ipse solebat, Ciceronis verbis depingitur. „Visis (inquit Varro[3]) non omnibus adiungebat fidem (Zeno), sed iis solum,

---

(1) Quod Stoic. poëtis magis inopinata dicunt. p. 1058. (2) De commun. notit. adv. Stoic. p. 1085. A. et B. (3) Cicer. Acad. ad Varr. l. 1. C. 12.

quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum quum ipsum cerneretur, comprehensibile, feretis haec? Nos vero, inquam, quonam enim modo *καταληπτὸν* diceres? Sed quum acceptum iam et approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus quae manu prehenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat, quum eo verbo antea nemo in tali re usus esset, plurimusque idem novis verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat. Et, si ita erat comprehensum ut convelli ratione non posset[1], scientiam, sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua exsisteret etiam opinio, quae esset imbecilla et cum falso incognitoque communis. Sed inter scientiam et inscientiam comprehensionem illam quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. E quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi et fidelis videbatur: non quod omnia quae essent in re comprehenderet, sed quia nihil quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur, e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae reperiuntur. Errorem autem et temeritatem et ignorantiam et opinationem et suspicionem, et uno nomine omnia quae essent aliena firmae et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat." Haec apud Ciceronem Varro: illo autem altero loco ipse Cicero[2]: „Et hoc quidem (ait) Zeno gestu conficiebat: nam quum extensis digitis adversam manum extenderat, visum, inquiebat, huiusmodi est: deinde quum paullum digitos constrinxerat, assensus huiusmodi: tum quum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. Qua ex similitudine etiam nomen ei rei quod antea non fuerat, *κατάληψιν* imposuit. Quum autem laevam manum pugno admoverat, et illum pugnum arte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem." Cernis ergo quo ista ordine procedere Stoici velint. Hoc nempe: phantasia, comprehensio et sensus et assensus, memoria, scientia. Assensum autem ideo in imagine apprehensionem praecedere suspicor, quod in plerisque hominum id soleat accidere, ita ut minus firmus et pertinax assensus quam comprehensio sit, si vulgarem hominum conditionem spectes. Namque in sapiente comprehensio approbationem antecedat necesse est, aut opinari sapientem, a quo maxime Stoici abhorrent. Aiunt enim[3] peccare homines dum phantasiis assentiuntur, *ἂν μὲν ἀδήλοις εἴκωσι προςπίπτοντας*[4], *ἂν δὲ ψευδέσι, διαψευδομένους· ἂν δὲ κοινῶς ἀκαταλήπτοις, δοξάζοντας*, id est: Siquidem incertis cedant et abduci se patiantur, proruentes ac praecipites quasi qui cadere festinent, si vero falsis, deceptos, sin autem communiter imperceptis, opinantes. Stobaeus de Stoicis: *Μηδὲν δὲ ὑπολαμβάνειν ἀσθενῶς, ἀλλὰ μᾶλλον ἀσφαλῶς καὶ βεβαίως*,

(1) Vides qua ratione interpretetur *τὸ ἀδιάπτωτον ὑπὸ λόγου*. (2) Lucull. C. 47. (3) Plutarch. de Stoic. contrarietat. p. 1056. F. (4) *προπίπτοντας*.

διὸ καὶ μηδὲ δοξάζειν τὸν σοφόν· δίττας μὲν εἶναι δόξας, τὴν μὲν ἀκατάληπτον συγκατάθεσιν, τὴν δὲ ὑπόληψιν ἀσθενῆ, ταύτας δὲ ἀλλοτρίους εἶναι τῆς τοῦ σοφοῦ διαθέσεως· διὸ καὶ τὸ προπίπτειν, πρὸ καταλήψεως συγκατατίθεσθαι, κατὰ τὸν προπετῆ μᾶλλον εἶναι, καὶ μὴ πίπτειν εἰς τὸν εὐφυῆ καὶ τέλειον ἄνδρα καὶ σπουδαῖον, id est: nihil vero existimare nisi firmiter, ideo nec opinari sapientem. Ac duas quidem esse opinionis species: alteram, quae sit assensus sine comprehensione, alteram vero, existimatio infirma: utramque alienam a sapientis affectione. Quare et approbatione apprehensioni praecurrere, quod *προπίπτειν* dicunt, temerario ac praecipiti, sapienti vero atque perfecto viro minime accidere. Harum duarum opinionis specierum priorem simpliciter opinationem, alteram suspicionem a Cicerone in Varronis verbis, quae retulimus, vocatam advertere debuisti. Esto ergo scientia maximum summumque bonum; sed quae tandem eius est utilitas, si nemo futurus est, qui eius compos fiat? Ait namque Cicero[1], qui sapiens sit aut fuerit, ne ipsos quidem Stoicos dicere solere: id est, non habere eos, nec pronuntiare cuiuspiam nomen posse, qui illam magnam felicitatem consecutus unquam fuerit. Contingere quidem posse virtutem et sapientiam, inde sibi Posidonius Stoicus colligere videbatur[2], quod Socrates Diogenesque atque Antisthenes ad eam profectus fecissent. Tamen neminem, qui virtutem ipsam obtinuisset, Stoici noverant aut fuisse aliquando credebant. De quorum sententia illud a Plutarcho[3] quum de Stoico sapiente agit, pronuntiatur: *ἔστι δὲ οὗτος οὐδαμοῦ γῆς, οὐδὲ γέγονεν*, id est: Est vero hic aut fuit nusquam gentium. Nec solis Stoicis hoc placuit, sed et omnes fere gentium sapientes producere possemus[4], qui non solum nulli unquam sapientiam contigisse, sed nec contingere homini posse aperte sunt professi. Sunt autem hae gentium confessiones animadversione dignae pro illo divi Pauli dicto: „Neminem ad perfectum adduxit lex. (Philosophia enim instar legis habet.) Nam huiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex." Illud etiam non praetermittendum, quod a Diocle apud Laërtium[5] est traditum, fuisse Stoicos aliquos, quibus Zenonis de criterio sententia non probaretur. Nam antiquiores quidam Stoici, ut Posidonius in libro de criterio scripsit, rectae rationi iudicium veritatis tribuerunt. Boëthus mentem et sensum et *ὄρεξιν*, id est, appetitum seu appetitionem seu desiderium et scientiam criteria dicit[6]. Chrysippus in libro de ratione vel sermone, sensum et prolepsin criteria statuit. Tamen Galenus[7] Zenonis sententiam de criterio Chrysippo tribuit. Haec de Stoico criterio.

Arcesilae successit in Academia Lacydes, qui dum adhuc viveret Telecio et Evandro Phocensibus scholam regendam tradidit. Evandrum secutus est Hegesinus Pergamenus, post quem Carneades Cyrenensis Clitomachi Poeni, quem Larissaeus Philo audivit, magister Academiam tenuit. Hic est ille Carneades, cuius et in oratoria et in

---

(1) in Lucullo C. 47. (2) Apud Laërt. in Zenone. (3) de Stoic. contrar. p. 1056. (4) Vide Plutarch. in Lycurg. (5) In Zenone L. 7, 48, 49. (6) Laërt. in Zenone. 7, 54. (7) De placit. Hippocr. et Plat. l. 9, 7.

philosophia magnum nomen est, quique verus novae Academiae auctor habetur: quam enim hic philosophandi rationem edixit, eam plerique omnes, qui Academicorum cognomento gavisi sunt, postea tenuerunt, certe tenere et sequi sunt professi. Quare et nos omnia, quae de huius disciplina invenire potuerimus, colligere, et in medium afferre curabimus, nec diligentiae et laboris pro viribus parci erimus.

Igitur Carneades hic (uti videbatur) de Arcesilae illa Pyrrhonis ac rigida pertinacia aliquantum laxans et remittens, ferarum potius more (ait apud Eusebium[1] Numenius) ut auctis viribus et contentis maiori insultu et impetu adoriretur, retrocessisse existimandus. Gravior enim et expugnatu difficilior quam Arcesilas Carneades hostis dogmaticis omnibus infensissimus, sed praecipue Stoicis fuit. Tota vero eius sententia huiusmodi fuisse videtur.

Primum quidem certe omnia sunt ἀκατάληπτα, id est, incomprehensibilia, nihilque est quod percipi et comprehendi possit. Verum hoc non rerum ipsarum culpâ; sua enim ipsae apud se natura constant, ut si quid de illis affirmetur aut negetur, effatum aut verum aut falsum necessario sit, a parte rei, ut nostri philosophi loquuntur. Tamen hominibus non obtigit facultas vel ars aliqua, qua verum a falso discernant et diiudicare valeant. Similiter et de phantasiis, quod quidem res spectat, quarum imagines sunt et a quibus ingeruntur, vel verae, vel falsae sunt, veraque nuntiant aut mentiuntur. At quum sua veritas apud res ipsas remaneat, ipsaeque immotae perstent (non enim res animos nostros ingrediuntur) immissa tantum nobis ex se phantasia atque similitudine quadam, quae plerumque, uti mali nuntii, mentiri et fallere solet, nec nota aliqua nobis comperta sit, qua veraces a mendacibus visionibus distinguamus, nullum apud nos visum comprehensum esse potest aut verum haberi debet; potest tamen verum videri, et probabile iudicari. „Quia probandi species est (ait Cicero[2]), percipiendi signum nullum habemus", id est, Nulla praecipua nota insignes verae phantasiae animos nostros ingrediuntur, ut ea statim animadversa, *haec vera phantasia est*, dicere possimus. Tamen aliquae phantasiae ita nos commovent, itaque erga illas afficimur, ut sese nobis probent ac magis verae iudicentur. Iis probabilibus, quando veris et perceptis caremus, in traducenda vita uti oportebat; ne nihil agamus. Ad eundem etiam modum de notionibus decretisque et omnibus, quae de rebus intelliguntur aut enuntiantur, est statuendum, ut nihil horum perceptum aut comprehensum, id est, plus quam probabile existimetur. Haec est universae Carneadeae sententiae satis aperta summa. Sed iteranda eadem ista sunt dialectice magis et at doctrinam accomodatiore ratione: valde enim percipi velim qua ratione *nihil percipi* nova Academia probet ac decreto utatur. Res suâ naturâ sunt, suaque, ut aiunt, essentia constant, nec per eas stat quo minus percipiantur. Sed hominibus nullum integrum iudicium aut idoneum iudicandi instrumentum a natura est concessum. Non phantasia, quia fal-

(1) Praepar. Evang. L. 14, 8. p. 737. (2) in Lucullo C. 34.

lere potest et plerumque solet. Non mens, quia phantasiis utitur, nihilque sine illis excipere aut agere valet. Nam notitiae prolepsesque universae ex phantasiis ortum habent; ex his et sermones sunt et argumentationes constant. Ipsa dialectice, cuius ductu et opera ratiocinationes compinguntur atque iudicantur, lubrica est ac fallax: ut nec decretis, quae huiusmodi rationibus nituntur, nimium fidere debeamus. Sic itaque percipientis ratione, id est, hominis, de quo, quum de comprehendendo agitur, sermo est, omnia esse incomprehensibilia Carneadis sententia fuit, quum Arcesilas (uti arbitrabamur) res etiam ipsas non extra culpam poneret. Sed confirmare haec veterum testimoniis debere nos scimus. Numenius apud Eusebium[1] de Carneade: *Τὸ γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς πράγμασιν ἐνεῖναι συγχωρῶν, ὥςπερ συνεργαζόμενος, τῆς ζητήσεως τρόπῳ παλαιστοῦ δεινοῦ λάβην δοὺς, περιεγίγνετο ἔνθεν. κατὰ γὰρ τὴν τοῦ πιθανοῦ ῥοπὴν ἑκάτερον παρασχὼν, οὐδέτερον εἶπε βεβαίως καταλαμβάνεσθαι*, id est: Verum enim et falsum rebus ipsis inesse concedens, quasi qui (adversario) cederet et illius etiam ipse iam rem ageret, velut callidus luctator ansa tantum et nexu disputationi permisso, illinc rursusque sese extricabat et resiliebat. Ex probabilitatis enim ratione et momento utroque tributo, neutrum dicebat firmiter comprehendi. Cicero in Lucullo[2]: „Veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus." Et alio in loco[3]: „Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur: sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut nulla insit certa iudicandi et assentiendi nota." Ad hanc rationem illustre illud apud Philonem in libello de ebrietate[4] acatalepsiae patrocinium est referendum: *Τὸν μέντοι σεμνυνόμενον* (inquit) *ἢ ἐπὶ τῷ βουλεύεσθαι, ἢ ἐπὶ τῷ τὰ μὲν αἱρεῖσθαι, τὰ δὲ φεύγειν ἱκανῶς δύνασθαι, διὰ τούτων ὑπομνηστέον. εἰ μὲν ἀπὸ τῶν αὐτῶν αὐτὰς ἀεὶ συνέβαινε προςπίπτειν ἀπαραλλάκτους φαντασίας, ἦν ἴσως ἀναγκαῖον τά τε ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φύσει κατασκευασθέντα διττὰ κριτήρια, αἴσθησίν τε καὶ νοῦν, ὡς ἀψευδῆ καὶ ἀδέκαστα θαυμάζειν καὶ περὶ μηδενὸς ἐνδοιάζοντας ἐπέχειν· ἀλλὰ τοῖς ἅπαξ φανεῖσι πιστεύοντας τὰ μὲν αἱρεῖσθαι, τὰ δὲ ἔμπαλιν ἀποστρέφεσθαι. ἐπειδὴ δὲ διαφόρως ἀπ᾽ αὐτῶν εὑρισκόμεθα κεκινημένοι, βέβαιον περὶ οὐδενὸς οὐδὲν ἂν ἔχοιμεν εἰπεῖν, ἅτε μὴ ἑστῶτος τοῦ φανέντος, ἀλλὰ πολυτρόποις καὶ πολυμόρφοις χρωμένου ταῖς μεταβολαῖς. Ἀνάγκη γὰρ ἀνιδρύτου τῆς φαντασίας οὔσης ἀνίδρυτον εἶναι καὶ τὴν ἐπ᾽ αὐτῇ κρίσιν*; id est: Eum igitur, qui sibi placeat ac iactet, vel in consilio capiendo, vel in iis, quae seligenda quaeque reiicienda sunt, satis ingenio et sapientia valere, his admonere oportet. Si quidem ab iisdem semper rebus easdem nulloque discrimine dissimiles phantasias occurrere contingeret, esset etiam fortasse necessarium, duo in nobis a natura fabricata ac constructa iudicia, sensum videlicet et intelligentiam, plurimi facere uti incorrupta et quae minime mentirentur, nec de ulla re oporteret dubitantes assensum sustinere, sed phantasiis semel oblatis fidentes illa quidem capere, declinare alia.

(1) Praepar. Evang. L. 14, 8. p. 738. A. (2) C. 38. (3) De natura Deor. I. 1, 5. (4) p. 265. seqq.

At quum ab iisdem rebus vario modo affecti comperiamur, stabile nihil de re ulla pronuntiare poterimus, quum visum non stet, sed multis modis permutetur. Necesse enim est, ut commutabile nec firmum iudicium de commutabili phantasia sit, et quae sequuntur omnia Academica sunt et Carneadea, etsi ex illis decem pervulgatis Pyrrhoniorum sive locis sive modis, quibus illi acatalepsiam statuunt et epochen commendant, petita videantur: nam et ii modi maiori ex parte hanc rationem spectant, quum sensus et phantasias potius accusent. Academici certe propter eas maxime phantasias comprehensionem ablatam dicunt, quas quum a falso sint, simillimas iis, quae sunt a vero, apparere aiunt, ut discerni nequeant. Verum retulerit totum hoc imagine repraesentare. C. Iulii Caesaris, qui dictator dictus est, veram faciem, quam ipsam ego nunquam vidi, quantumvis multas eius affabre factas imagines ac simillima simulacra attente perspexerim et considerarim, nec Stoici quidem ipsi cognitam mihi ac comprehensam dicent. Existimare mihi certe atque arbitrari licebit hanc vel illam picturam Caesaris faciem reddere propiusque ad veri vultus speciem accedere, coniectura ex eo facta, quod videam plures ex illis imaginibus huiusmodi effigiem repraesentare, aut alia demum ratione adducto mihi hanc prae illa imaginem probare placebit, probabilemque laudabo et amplectar aliis reiectis, minime fortasse probandam. Verum ipsam viri faciem visam mihi ac comprehensam nunquam mihi aliquis argutando persuadebit, aut quae verax et cum ipsa re conveniens pictura sit compertum mihi et cognitum unquam esse poterit. Ita et de visis sive phantasiis, quae et ipsae non res, quas ostendunt, sed rerum imagines et spectra quaedam sunt, Academici iudicabant[1]. Idque Carneades ipse duplici partitione docuisse dicitur. Altera est: Phantasiae aliae verae, aliae falsae sunt, id est, aliae rem, a qua sunt immissae, recte repraesentant. Aliae veram rei imaginem non reddunt. Verum qua ratione quove iudicio veraces a mentitis separemus, non habemus: ideo quum verae sint, eae, quas comprehendere oporteret, neutras comprehendimus. Namque inter quae nihil intersit, haud quaquam alterum percipietur, alterum minime percipere licebit: sed inter visa vera et falsa nihil interest, falsaque non possunt comprehendi; igitur neque vera. Visa aliqua esse falsa solus fortasse Epicurus negabat, quem coniunctis viribus Academici et Stoici et reliquarum sectarum turbae omnes impugnabant. Illud erat difficilius duriusque maxime propugnantibus Stoicis, Inter visa vera et falsa, quod ad perceptionem comprehensionemque attinet, nihil interesse. In hoc maxime Academici desudant, hic ipsorum praecipuus labor et conatus, omnisque adversus sensus et consuetudinem rationemque omnem atque coniecturam ipsorum disputatio de hoc est, dum universa haec enervare infirmaque ad veritatis iudicium ac comprehensionem reddere omni studio adnituntur. Idque adeo ipsi admonent et maxime adnotatum volunt, omnia quae ab ipsis contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ad eam divisionem pertinere, qua visa in ea quae percipi possunt, et in ea, quae non possunt, dividuntur. Reprehen-

(1) Sextus ad discipl. cap. de criterio. L. 7. Sect. 358.

sio vero illa, quae in his implicata videtur, quaque Philonem maxime perturbatum narrare solitum Antiochum Cicero[1] refert, nihil est quod quemquam commoveat. Ea est, Contraria sibi dicere eum, qui phantasiis in veras et falsas divisis nihil veras a falsis differre rursus affirmet. Quod tantundem ac plurimum inter eas interesse et nihil interesse, simul ponere sit. „Namque id ita esset (ait idem Romanus Academicus[2]), si nos verum omnino tolleremus. Non facimus: nam tam vera quam falsa cernimus. Sed probandi species est, percipiendi signum nullum habemus." Itaque, ut ad nauseam usque repetitum volunt, verae et falsae phantasiae sunt, hoc est, quae veram rei similitudinem referant, et quae mentiantur; quod tamen ad nostram comprehensionem attinet, inter utrasque nihil interest, quum nihil sit quo eas ab invicem dignoscamus, aut notam illam, qua differunt, Stoici indicent. Quam quidem nullam compertam illis esse, nihilque ita in animis nostris signari a vero posse, quod non eodem modo possit a falso, Antiochus, dum adhuc Academiam propugnaret, ex Dionysii Heracleotae, qui ob hoc Metathemenos est cognominatus, commutata sententia probare sibi videbatur. Quî enim is, si certâ illâ notâ, dum Stoicus fuit, certum et comprehensum habuisset *solum honestum esse bonum*, postea oculorum dolore vexatus ad Cyrenaicorum (ut Laërtius[3] scribit), vel ad Epicuri (ut Cicero[4]) partes transiret? Sed idem Antiochus a nova in veterem Academiam, ut ipse dicebat, sive potius ad Stoam migrans fecit, ut idem argumentum adversus eum cuilibet sumere liceat. Multa ergo Academici pro sua hac acatalepsiae ratione congerunt argumenta sensibus rationique auctoritatem detrahentia, quorum aliqua Tertullianus et D. Augustinus[5] retulerunt et solvere se credunt. Afferebant similitudines ovorum[6], capillorum, geminorum, visa somniantium et furiosorum et eiusmodi alia[7]. Aristonem Stoicum, qui Stoicum dogma illud nihil opinaturum sapientem vehementer commendabat et defendebat, sic a Persaeo re ipsa convictum tradunt; curavit enim hic ut ex duobus simillimis geminis fratribus alter pecuniam apud Aristonem deponeret, alter repeteret, quam Aristo, similitudine deceptus, ei, qui non deposuerat, restituit. „Omnia autem haec (ait Cicero[8]) proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, Inter visa vera et falsa ad animi assensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, quum falsa illa vel furiosorum vel somniantium recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quaeritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui experrecti sunt, aut eorum, qui furere destiterunt, sed qualis visio fuerit aut furentium aut somniantium tum, quum commovebantur." Namque quum visio aderat, quam Stoicus falsam iudicat, Academico non quidem probatus, nihil differebat a vera, quamdiu ea afficimur. Quod si nec postea visum id suspectum redderetur, nec ab

(1) in Lucullo C. 34. (2) in Lucullo C. 14. (3) in Herillo. Lib. 7, 167. (4) in Lucullo C. 22. (5) Tertull. lib. de anima. cap. 17. D. August. lib. 3. contra Acad. (6) Ex hoc Hermagorae Stoici *περὶ σοφιστείας πρὸς τοὺς Ἀκαδημαΐκους* dialogo titulus factus *ὠοσκοπία*, id est, ovorum inspectio sive examinatio. Suidas. (7) Vide D. Hieron. ad Pammach. de errorib. Iohan. cet. ad libri finem. (8) in Lucullo C. 28.

alia probabili phantasia aut a ratione refelleretur, nec in argumentum quidem adduci ab Academicis posset: quum enim Academicus diceret; vides visa furentium falsa nihil quamdiu adsunt a veris differre, sed eodem modo afficere nec discerni a veris posse? Stoicus nisi et ipse illa improbaret et falsa diceret, id quod Epicureus responderet, Non mirum hoc esse, quum ea etiam visa vera sint. Eo ergo modo Academici nihil comprehendi decernunt, id est, probabile putant, quasi dicerent: (— libenter imaginibus utimur, quum de imaginibus, id est, de phantasiis sermo sit) Res ipsas apud se suo quamque pondere esse, sed nullam apud homines esse stateram; vel, quum verum et adulterinum aurum sit, Lydii lapidis non esse copiam, ita ut ex colore pondereque et duritia aurum probare vel improbare, probabilique tantum auro uti sit necesse.

Adversus haec Stoici aliqui nec disscrere quidem necessarium aut dignum ducebant[1]: quod nihil esset clarius ipsâ *ἐναργείᾳ*, id est, evidentia, sive perspicuitate, qua nullam illustriorem orationem reperiri posse dicebant. Epictetus apud Arrianum[2] sic Academicum alloquitur: *Καταλαμβάνεις ὅτι ἐγρήγορας; οὔ, φησίν· οὐδὲ γὰρ ὅταν ἐν τοῖς ὕπνοις φαντάζωμαι ὅτι ἐγρήγορα. οὐδὲν οὖν διαφέρει αὕτη ἡ φαντασία ἐκείνης; οὐδέν. ἔτι τούτῳ διαλέγωμαι; καὶ ποῖον πῦρ, ἢ ποῖον αὐτῷ σίδηρον προσάγω, ἵνα αἴσθηται ὅτι νενέκρωται; αἰσθανόμενος οὐ προσποιεῖται, ἔτι χείρων ἐστὶ τοῦ νεκροῦ.* id est: Vigilare te comprehendis? Non, inquit, nec enim quum in somnis vigilare mihi videor. Nilne ergo visum hoc ab illo differt? Nihil. Ulteriusne cum hoc disseram? quemne ignem, aut quale ferrum illi admoveam, ut mortui affectionem habere se sentiat? Sentit et tamen sentire dissimulat; mortuo etiam peior est.

Aliquando illo potius modo quam ullis rationibus vel argumentis redarguendos Academicos Stoici censent, quo si cuiuspiam illorum servum esse contingeret, usurum se dicit Epictetus[3]. Namque, ait, etiam si millies quotidie sibi vapulandum foret, quum oleum afferre et infundere herus iuberet, allaturum se garum, quumque herus diceret, quid hoc est? nonne oleum dixi? Dixisti, inquit, responderem: sed a garo mihi olei phantasia oblata est *ὁμοιοτάτη ἀδιάκριτος*, id est, simillima et quae non discerneretur. In omnibus eodem se modo facturum dicit Epictetus, et sperat, si duo vel tres ex conservis secum adversus herum conspirent, effecturum, ut aut sententiam mutaret Academicus, aut ad suspendium adigeretur. Verum, o Epictete, si tuus ille herus me audiat, experiri oportebit, quis prior defatigatus consilium mutaret, tune vapulando, an caedendo ille. „Alii autem negabant (ait Lucullus[4]) se pro hac evidentia quidquam priores fuisse dicturos: sed ad ea quae contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur." Multa ergo Stoici Chrysippus, Antipater et Antiochus pro sensibus et evidentia dixerunt et scripserunt, quorum aliqua in Luculli sermone legas, non omnia huc nos transcribimus. Illud non praetermittendum,

---

(1) Cic. in Lucullo. (2) lib. 1. c. 5. (3) lib. 2. c. 20. (4) Cic. in Lucullo C. 6.

quod ad similitudines respondebant: Omnia sui generis esse; nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum ἀξίωμα, quo id significatur: Omnes singulas res propria natura atque, uti dicitur, essentia constare, ideoque et propriis qualitatibus, quae eaedem in nullo alio sint aut esse possint: quare quum quaeque res natura sua ab omnibus aliis differat, dignosci etiam atque discerni, proprioque discrimine animadverso separari a ceteris omnibus poterit et debebit. Plutarchus[1]: ἀκοῦσαι τοίνυν ἐστὶν αὐτῶν· (de Stoicis sermo est) καὶ γράμμασιν ἐντυχεῖν πολλοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς διαφερομένων καὶ βοώντων, ὡς πάντα πράγματα συγχέουσι ταῖς ἀπαραλλαξίαις, ἐπὶ δυοῖν οὐσιῶν ἕνα ποιὸν εἶναι βιαζόμενοι. Καίτοι τοῦτο μὲν οὐκ ἔστιν ὅστις ἀνθρώπων οὐ διανοεῖται, καὶ τοὐναντίον οἴεται θαυμαστὸν εἶναι καὶ παράδοξον, εἰ μήτε φάττα φάττῃ, μήτε μέλιττῃ μέλιττα, μήτε πυρῷ πυρὸς, ἢ σύκῳ (τὸ τοῦ λόγου) σῦκος ἐν παντὶ χρόνῳ γέγονεν ἀπαράλλακτον. id est, Audire autem eos est (multosque ipsorum de ea re libros legere) cum Academicis altercantes clamantesque, omnia ab illis confundi ac permisceri indiscreta hac similitudine inducta atque concessa, rebus ab ipsis vim fieri, dum qualitatem unam substantiis duabus tribuere conantur. Atqui hoc nemo hominum est qui non existimet, contraque mirum et praeter opinionem putet, si neque palumbus palumbo, neque apis api, neque tritici granum grano alteri, vel ficus (ut in proverbio est) fico, in universo tempore exstitit ita simile, ut discerni non posset. Verba Ciceronis[2] concordant: „Omnia dicis sui generis esse, nihil esse idem quod sit aliud. Stoicum est id quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem qualis sit pilus alius, nullum granum. Haec refelli possunt, sed pugnare nolo: ad id enim quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiam si differat," cet.

Ea vero quibus Dialecticam oppugnant ac subvertere putant Academici, valde sunt infirma. Proferunt et obiiciunt soritas et ea quae Stoici ἄπορα vocant, *inexplicabilia* Cicero; quae quum vitiosa manifesto sint, nullum tamen adversus illa auxilium a dialectica afferatur, nullaque artis regula excludantur: sed aeque ac ea quae vitio carere dicuntur, concludere videantur. Non enim hoc artis vitio tribuendum, sed artificum negligentiae, qui regulam, qua horum vitium aperiant, commenti non sint. Quin et arti satis est illa notare et cavere iubere. Ut et navis rector satis pro officio facit, si, etsi brevia de medio non tollit, tamen cavere iubeat ac declinet. Nec enim ideo ars aliqua damnanda, quia quaedam superare non possit. Summum gubernatorem aut medicum Plato[3] ait, quae effici arte sua possint, et quae non, cognita habere, et illis quidem manus admovere et aggredi facere, omittere alia. Itaque melius adversus huiusmodi se gerat Dialecticus, si tantum vitiosa dicat, nec explicare anxie laboret. Etsi non multi negotii foret distinctione aliqua illiusmodi omnia eludere et frangere. Quis unquam dixit, *Ego mentior*, quum hoc ipsum pronuntiatum

(1) De comm. notit. adv. Stoic. p. 1077. (2) in Lucullo C. 26. (3) De re publ. L. 2.

falsum vellet declarare? Nemo unquam, existimo, aut nihil dixerit. Sed quum sic aliquis loquitur, de alio aliquo paullo ante a se affirmato sermonem facit; si non facit, quum nihil dicat, nec verum nec falsum dicit. Verum non tantum otii est, ut operam in hisce nostram profundamus. Nec multum etiam firma sunt ea quibus D. Augustinus Dialecticam adversus Academicorum incursiones munit, vera multa docere Dialecticam, ut, effatum omne aut verum esse aut falsum: disiunctiones necessario esse veras[1]. Ipsum vide, nec enim haec negotium nobis facere debere putavimus. Dictam ergo visorum in vera et falsa divisionem, rerum quarum visa sunt, rationem spectare admonebamus. At vero ratione eius, qui visione afficitur, id est hominis, phantasias in veras aut falsas, comprehensas aut non comprehensas partiri non oportere Academici aiunt, quum apud eum nihil verae a falsis differant, nullaeque ab ipso comprehendantur. Tamen hominibus quaedam phantasiae verae videntur ac probantur; quaedam falsae videntur atque improbantur. Quae verae videntur, *πιϑαναὶ*, id est, probabiles, et *ἐμφάσεις* et *πιϑανὸν* Academicis vocantur. Quae vero falsae habentur atque improbantur, *ἀπίϑαναι*, id est, improbabiles, et *ἀπεμφάσεις* et *ἀπίϑανον* ab iisdem dicuntur. Quum igitur homines non otiosos in vita esse oporteat, sed moveri et agere aliquid, humanaque omnis cognitio (Academicorum partes agimus, nec ex animi nostri sententia loquimur) et perceptio probabilitate amplius quid non assequatur; probabili phantasia necessario erit utendum: haec enim est Academicis criterium, non quidem veritatis[2]: namque huius nullum usque adhuc constitit; sed *τοῦ πιϑανοῦ*, id est, probabilis, quod in vitae actionibus atque electionibus officiisque omnibus et decretis sequi Carneades iussit, et sectari se Academici profitentur. Atque hac una re sapientes se putant et haberi volunt, sapientia ea quae hominibus contingere possit, etiam si nihil sciant neque comprehendant: ut D. Augustinus in libris adversus eos scriptis[3] testatur. Quum autem aliis alia veriora videantur et magis probentur, illa amplecti oportere aiunt, quae probabiliora iudicabuntur, et accuratius et attente magis sint examinata et considerata. Ea vero examinatio et circumspectio non est omnibus in rebus aequalis impendenda, sed maior minorve, prout res, de qua agitur quaeque in deliberationem venit, maioris aut minoris momenti fuerit aestimata. Universa haec novae Academiae ratio ex Clitomachi Carneadis discipuli locis duobus in Lucullo relatis manifestior fit. „Duo (inquit) placet esse Carneadi visorum genera: in uno hanc divisionem (Stoicam) alia visa esse quae percipi possint, alia quae non possint. In altero autem: alia visa esse probabilia, alia non probabilia. Itaque quae contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem divisionem. Contra posteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere: Tale visum nullum esse ut perceptio consequatur, ut autem probatio, multa. Etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset[4]. Vides igitur comprehen-

---

(1) Contra Acad. l. 3. c. 15. (2) D. August. contra Acad. l. 3. c. 1. (3) lib. 3. c. 4. (4) Lucull. C. 31.

sionem universam negatam a Carneade, probabilitatem concessam. Comprehensione autem sublata omnia subverti putant Stoici, sensus, memoriam, artes, decreta, scientiam, quae sine comprehensione stare nullo modo posse, uti abunde iam exposuimus, dicebant. Verum nihil hoc Academicos perturbat: ad omnia enim, ad quae Stoici vero et comprehenso, hi suo probabili utuntur. Scribit ergo in illo altero loco Clitomachus: „Academicis placere esse rerum eiusmodi dissimilitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra; id autem non esse satis, cur alia percipi posse dicas, alia non posse: propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum et cognitum possit esse. Cicero hoc solo Academicos ab Stoicis differre aiebat, quod ea quae hi percipi comprehendique, eadem illi, si modo probabilia sint, *videri* dicant. Igitur quum urgentur, ad *probabile* confugiunt. Idque Carneadis consilium fuisse videtur inducto ac constituto probabili, ut quum ad illud quasi ad castra, quum Acatalepsiam defendens premeretur, sese reciperet, nihil ex eo amplius adversariis fieret, quum interim aeque impercepta omnia relinquerentur Acatalepsia non expugnata.[1] D. Hieronymus *advers. Rufin. lib.* 2.[2] „Arcesilaum aut Carneadem putes, qui omnia incerta pronuntiant: licet et illos superet cautione. Illi enim omnium philosophorum invidiam non ferentes, quod vitam e vita tollerent, veri similia repererunt, ut ignorantiam rerum probabili assertione temperarent." Eum Carneadis fucum, quo visus cedere concesso probabili nihil concedebat, Numenius post illa verba quae superius ex eo attulimus, sic indicabat: *ἦν γοῦν ληστὴς καὶ γόης σοφώτερος: παραλαβὼν γὰρ ἀληθῆ μὲν ὅμοιον ψεῦδος, καὶ καταληπτικῇ φαντασίᾳ καταληπτὸν ὅμοιον, καὶ ἀγαγὼν εἰς τὰς ἴσας, οὐκ εἴασεν οὔτε τὸ ἀληθὲς εἶναι, οὔτε τὸ ψεῦδος, ἢ οὐ μᾶλλον τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου, ἢ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ πιθανοῦ. ἦν γοῦν ὀνείρατα ἀντὶ ὀνειράτων, διὰ τὸ ὁμοίας φαντασίας ἀληθέσιν εἶναι τὰς ψευδεῖς, ὡς ἀπὸ ὠοῦ κηρίνου πρὸς τὸ ἀληθινὸν ᾠόν. συνέβαινεν οὖν τὰ κακὰ καὶ πλείω*[3]. id est, Erat ergo (Carneades) latro ac praestigiator sapientior, assumens enim vero falsum simile et comprehendente phantasia similiter comprehensibile atque ad pares deducens calculos, (id est, suffragia) nec verum nec falsum esse sinebat, vel alterum altero non magis, vel magis probabilitatis ratione. Erant igitur insomnia pro insomniis, ideo quod similes veris falsae phantasiae essent, ut ea quae ab ovo cereo ei, quae a vero ovo. Sequebantur ergo eadem aut plura etiam mala.

Eadem certe mala ex hac, quae ex Arcesilae sententiae contingebant, aut plura maioraque etiam, quum eodem modo comprehendens phantasia, id est, Stoicorum arx subverteretur, hostes vero ipsi non eodem modo propugnatorum ictibus parerent probabilitatis vallo protecti. Namque quum *ἐναργεία*, id est, evidentia perspicuitasque rerum sensuumque manifesta certitudo, rationumque omnium atque capitum consensus et *ὁμολογία* in illos iaciebantur, universa haec magna tela Probabili quasi Aiacis septem boum scuto excipiebant[4], omnemque

---

(1) Lucull. C. 32. (2) Tom. 2. p. 203. F. (3) Euseb. Praepar. L. 14, 8. p. 73. (4) D. August. contra Acad. lib. 3. cap. 15.

Stoicorum tormentorum impetum frangebant. Aiebant enim perspicuis se non repugnare, probabilia maxime esse atque certa, libenter se illa sequi iisque uti, a quibus vel nolentes afficiantur et percellantur: verum comprehensa haec aut cognita esse nunquam ut fateantur adduci posse. Ita scilicet Academici comprehensioni et perceptioni omni infensi sunt et inimici, *ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον* (inquit Galenus[1]) *ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτὸν*, id est, ut neque solem percipi posse concedant, rem omnium, quae sub sensu cadunt, evidentissimam; eius tamen non nisi probabilem visionem fatentur. Ratio autem ea, qua D. Augustinus[2] Academicorum probabile impugnat, et qua una os illis occlusisse credit, Carneade solutore non eget. Nihil inquit Academicis veri simile esse posse, quum nihil veri cognitum sibi ipsi fateantur. Quomodo enim quis simile quidpiam iudicet ei rei, quam nunquam viderit? Latini enim verbi *veri simile* notatione tota haec argumentatio nititur, nec adversus Graecos Academicos rogari potest, qui *πιθανὸν* et *πείθεσθαι* se dicunt; ac nec adversus Latinos quidem, si *probari* sibi quidpiam dicant et *probabile* id vocent, non vero simile, sed, si sic placeat, perspicuo simile.

Quadam etiam alia distinctione evidentiae impetum a se propellunt Academici, quam Carneadi auctori tribuit Eusebius[3]: *Διαφορὰν εἶναι ἀδήλου καὶ ἀκαταλήπτου, καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀκατάληπτα, οὐ πάντα δὲ ἄδηλα*, id est, differre incertum et incomprehensibile, atque omnia quidem esse incomprehensibilia, verum non omnia esse incerta. „Huius differentiae in Lucullo quoque mentio facta est. „Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos simulemus, omnia incerta dicere: quantumque intersit inter incertum et id quod percipi non possit, docere conantur, eaque distinguere." Ea distinctione id significabant non omnia se ita incerta dicere ut stellarum est numerus: namque quinque se digitos in altera manu habere certum putare et vehementer[4] probabile, in iis vero quae incerta sint, nihil probabile esse. Et hoc enim ex Academicorum sententia in Lucullo est scriptum. Quum tamen si Graeci vocabuli *δῆλον* et Latini *certum* propriae et certae significationes sint attendendae, multa *πιθανὰ ἄδηλα* et probabilia incerta dici haud iniuria possint.

„Aiebat itaque Clitomachus (uti apud Ciceronem[5] est) vehementer errare eos qui dicant ab Academia sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit, aut colorem aut saporem aut sonum nullum esse; illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quae nusquam alibi esset, veri certi notam." Plutarchus de hoc perquam eleganter Colotae respondet: *τὸ δ' αἰσθάνεσθαι καὶ τυποῦσθαι πρὸς τὰ φαινόμενα, κοινόν ἐστι πάθος, ἀλόγοις περαινόμενον αἰτίαις· ὁ δὲ τὰς αἰσθήσεις λόγος ἐπαγόμενος ὡς οὐκ ἀκριβεῖς οὐδὲ ἀσφαλεῖς πρὸς πίστιν οὔσας, οὐκ ἀναιρεῖ τὸ φαίνεσθαι τῶν πραγμάτων ἡμῖν ἕκαστον, ἀλλὰ χρωμένοις κατὰ τὸ φαινόμενον ἐπὶ τὰς πράξεις ταῖς αἰσθήσεσι, τὸ πιστεύειν ὡς ἀληθέσι πάντη καὶ ἀδιαπτώτοις οὐ δίδωσιν αὐταῖς. τὸ γὰρ ἀναγκαῖον*

(1) De optimo docendi genere. p. 497. B. (2) Contra Acad. l. 2. c. 7. (3) de praep. l. 14, 7. p. 736. D. (4) Cic. in Lucul. (5) in Lucullo.

ἀρκεῖ καὶ χρειῶδες ἀπ' αὐτῶν, ὅτι βέλτιον ἕτερον οὐκ ἔστιν. ἣν δὲ ποθεῖ φιλόσοφος ψυχὴ λαβεῖν[1] ἐπιστήμην περὶ ἑκάστου καὶ γνῶσιν οὐκ ἔχουσι. id est, sentire vero et ab iis quae apparent, visorum impressiones recipere, communis omnibus affectio est, et quae causarum ratione atque intelligentia carentium opere absolvitur. Doctrina vero ea atque disputatio, qua sensus uti minus ad fidem faciendam exacti atque idonei reiiciuntur, non tollit quo minus quaeque res nobis appareat; sed sensibus ex eius quod apparet ratione ad actiones uti concedens, fidere eis tamquam omnino veris et qui errare ac labi non possint, non permittit; id enim quo ad necessarios usus est opus, ab ipsis sumere satis fuerit, quoniam melius aliud non est; eam autem de singulis rebus scientiam et cognitionem, cuius desiderio sapientiae studiosus animus tenetur, (sensus) non habent. Hic autem in memoriam revocanda ea quae de sensibus ab Stoicis dici et ab Academicis contradici adnotabamus: Nihil enim comprehensione est opus, ut quis sentire dicatur, ac multo minus assensu, si, uti Academici volebant, sensus ψιλὸν πάθος, id est, nuda ac simplex affectio est. Quod et Peripatetici existimare dicuntur.

Memoriam vero et artes decretaque omnia facile sine comprehensione stare, satisque firme *probabili* inniti, quis neget? quum falsa quaeque ipsasque adeo poëtarum fabulas memoria etiam tenacissime teneamus.

Qualem vero probabilitatem quibusque ponderibus examinatam atque perpensam Carneades sequi iuberet, accurata hac probabilium phantasiarum partitione tradita ipse docuit. *Phantasiae* aliae sunt tantum πιθαναί, id est, probabiles, aliae πιθαναὶ καὶ ἀπερίσπαστοι, id est, probabiles simul et quae non impediantur, circa quas animus non distrahatur, ad verbum, *indistractae*. Aliae πιθαναὶ ἀπερίσπαστοι καὶ περιωδευμέναι ἢ ἐξωδευμέναι, id est, probabiles non impeditae aut indistractae, perlustratae aut peragratae, vel, ut Cicero vertere videtur, ex circumspectione et accurata consideratione, et quae non impediantur.

Aperispastos, id est, indistracta, phantasia ea vocatur, cuius probabilitati omnes quae simul cum illa occurrunt phantasiae suffragantur, nullaque obstat, quominus vera videatur, et quam omnia, quae una mente excipiuntur, confirmant. Quum enim ego Socratem conspicio, non nuda ac simplici solum eius visione ferior; sed et plurium quae circa illum quaeque extra sunt, rerum visiones me petant atque tangant necesse est, etiam si nulla accuratiore circumspectione adhibita tantummodo eum intuear. Video enim unà, quae circa ipsum sunt illique insunt, colorem corporis et magnitudinem ac staturam, habitum, motum, vocis sonum, si tum forte loquatur, vestitum, alia. Quae vero extra sunt res, verum earum visiones huic una comitantur, eodem etiam intuitu video, ut puta caeli, lucis, diei regionisque et amicorum qui illi adsint aut servorum qui praesto sint facies. Haec

(1) λαβεῖν suo loco excidisse videtur et ponendum post ἀπ' αὐτῶν.

οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον, εἰς καταληπτικὴν, ὡς δὲ κοινῇ πάντες ἄνθρωποι πεπιστεύκασιν, εἰς αἴσθησίν τε καὶ νόησιν ἐναργῆ. id est: Non igitur praeter rationem quidam existimant integram exactamque similium atque dissimilium cognitionem sufficere ad quamcunque artem ex methodo tradendam et constituendam: siquidem haec ad ea quae in controversiam veniunt, iudicanda satis idonea est: quum enim magna similitudo sit probabilium, sed non verarum rationum ad eas, quae revera verae sunt, qui ad has ab invicem secernendas peritiam sit consecutus, manifesto sciet quantum oporteat decretis uti veris fidem habere, quantumque ipsa uti falsa reprobare, quantumque id quod probabile est, incertum quam rationem incertitudinis habens, ad eius quod est improbabile similitudinem accedat; sicut et in iis, quae inter se sint aequalia (nec ulla dissimilitudine secernantur,) seu inter duo seu inter tria aut inter plura huiusmodi aequalitas comperiatur, nihil aliud alii ad fidem faciendam praeferet. Horum autem omnium iudicium ad phantasiam refertur, ut quidem recentiores Academici dicunt, non solum probabilem, verum et periodeumenen et aperispaston, ut vero Chrysippus, incomprehensibilem, ut autem omnes homines consentiunt, ad sensum et intelligentiam evidentem. Adiicit et alia de criterio, lectu quidem digna omnia: sed haec ad Academiam pertinebant.

Reliquum est de Epoche dicere, quod unum ex praecipuis Academiae capitibus, certe maxime decantatum atque a ceteris philosophorum generibus valde exagitatum est. Primum quidem si Carneades, ut aliqui tradiderunt, epochen, quam ab omnium una in illam coniuratorum philosophorum incursu tueri non sustineret, ignave dereliquit et subverti est passus, indecore nimis, nec pro Academiae antiqua dignitate et fortitudinis gloria fecisse fuerit dicendus, ipsa Academiae arce hostibus tradita. Certe tamen Clitomachi discipulus Philo Larissaeus[1] ac Carneadis ipsius quasi nepos, et Metrodorus Carneadem probasse dixerunt, uti liceret opinari sapienti, id est ei quod probasset assentiri licet non percepto. Eusebius[2] dissensisse Carneadem ab Arcesila de epoche, scribit, ac significare quidem videtur illam Carneadis fuisse sententiam, ut diceret, non esse in omnibus assensum retinendum, sed in incertis. Hoc autem ex Philonis fortasse auctoritate Eusebius retulit: mirum enim nisi haec est Philonis sententia quam ipse Carneadi affingeret. Eusebii verba sunt: *Μόνῳ δὲ ἐν τῷ περὶ τῆς ἐποχῆς λόγῳ πρὸς αὐτὸν διέστη, φὰς ἀδύνατον εἶναι, ἄνθρωπον ὄντα περὶ ἁπάντων ἐπέχειν, διαφορὰν δ' εἶναι ἀδήλου καὶ ἀκαταλήπτου, καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀκατάληπτα, οὐ πάντα δ' ἄδηλα*: id est: De sola epoche ab illo dissentit (Carneades ab Arcesila); dicebat enim impossibile esse ei qui homo sit, in omnibus rebus assensum retinere: differre autem incertum et incomprehensibile et omnia quidem esse incomprehensibilia, sed non omnia incerta.

Verum ego quidem cum Cicerone[3] Clitomacho plus quam Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab illo disputatum quam proba-

(1) Cic. in Lucullo. (2) De praepar. l. 14. C. 7. p. 736. D. (3) in Lucullo. C. 21.

tum puto: quae enim necessitas adegit Carneadem, ut quum liceret aut assentientem aut retento assensu, probabili uti, assentiri imperceptо, id est, opinari, potius vellet? At is qui nunquam opinari sibi proposuerit, qua possit meliori cautione quam epoche uti nulla est. „Nobis (ait Cicero [1]) primum etiam si quid percipi possit, tamen ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur et lubrica." Ut autem ei, qui a periurio tutus esse cupiat, nec iurare omnino optima cautio est, sic qui impercepto assentiri nolit, nulli assentiri tutissimum fuerit. Quid? quod nec Stoicorum iurgia effugerit, qui quum nihil percipi posse statuerit, epochen deserat: potius enim Stoici epochen, quam opinari sapienti concesserint. „Opinatione vero et perceptione sublata (inquit idem Cicero [2]) sequitur omnium assensionum retentio: ut ostendero, nihil posse percipi, tu (Stoice) concedas nunquam assensurum esse."

Galenus [3]: *Κατὰ μὲν τοὺς Ἀκαδημαϊκούς τε καὶ Πυῤῥωνείους, οὐ συγχωροῦντας ὧν ζητοῦμεν ἀπόδειξιν ἐπιστημονικὴν ἔχειν ἡμᾶς, ἅπασαι συγκαταθέσεις ἐξ ἀνάγκης μὲν εἰσὶ προπετεῖς·* id est: Equidem secundum Academicos et Pyrrhonios, qui de iis, de quibus quaerimus, demonstrationem, quae scientiam efficiat, habere nos non concedunt, assensiones universae temeritatis sunt et praecipites. Illud vero animadversione dignum, quod Cicero adnotat quum opinatio interdicitur, non alii quam sapienti interdictam putare oportere: „Namque non de me (ait [4], id est de vulgari hominum conditione) sed de sapiente quaeritur: visa enim ista quum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio, hisque interdum etiam assentior, nec percipio tamen." Sed hoc, ut mihi quidem videtur, cedentis est: ut enim ab eo, qui sapiens non sit, proficiat tamen ad virtutem, Stoici, quum *κατορθώματα*, id est, recte facta, praestari non posse dicant, officia exigunt, id est, ad sapientis exemplum philosophum sese componere iubent: sic etiam in hoc studiosus sapientiae quilibet sapientem imitatus a temeritate cavere et approbationem temperare debuerit.

Quo autem moderamine epoche uti expedierit, ut Pyrrhoniorum illarum rigidarum responsionum invidia vitetur, nemo melius aut dilucidius Cicerone ipso docet, qui in libro iam saepius citato haec ex Clitomacho refert [5]: „Quae quum exposuisset (Clitomachus) adiungit: Dupliciter dici assensus sustinere sapientem. Uno modo, quum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli assentiri: Altero, quum se a respondendo, ut aut approbet quid aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid neque aiat. Id quum ita sit, alterum placere, ut nunquam assentiatur: alterum tenere, ut sequens probabilitatem ubicunque haec aut occurrat, aut deficiat, aut ETIAM aut NON respondere possit. (Quae quidem nunquam Pyrrhoniorum Aphasia respondere sustineret: sed illa *Nihilo magis, nihil definio* cet.) Subiungit ipse Cicero: Quum id placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, mo-

---

(1) in Lucullo C. 25. (2) in Lucullo C. 32. (3) De dignotione vitiorum quae in animo cuiusque sunt. p. 360. Bas. (4) in Lucullo C. 20. (5) in Lucullo C. 32.

veri tamen et agere aliquid: reliquit (Carneades) eiusmodi visa quibus ad actionem excitemur: item ea quae interrogati in utramque partem respondere possumus, sequentes tantummodo, quod ita visum sit, dum sine assensu: neque tamen omnia eiusmodi visa approbari, sed ea quae nulla re impediantur", id est, non omnes phantasias, sed quae sint aperispasti. Quum autem visa ea relicta dicit, nec sublata a Carneade, quae interrogati in utramque partem respondere possimus, Carneadeam quandam phantasiarum divisionem a Numenio indicatam significare illum voluisse existimarim. Phantasiae aliae *θετικαί*, id est, affirmantes, quasi dicas, positivae, quae affirmantem responsionem eliciant. Alterae *ἀρνητικαί*, id est, negantes sive negativae, quae ad negandum impellunt. Numenii verba[1]: *κακὸν δ' ἦν ἂν κακῷ ἐπανακείμενον ὁ Καρνεάδης τῷ Ἀρκεσιλάῳ, μὴ χαλάσας τὶ σμικρὸν, ὑφ' οὗ οὐκ ἄπρακτοι ἔμελλον ἔσεσθαι, κατὰ τὰς ἀπὸ τοῦ πιθανοῦ λεγομένας αὐτῷ θετικάς τε καὶ ἀρνητικὰς φαντασίας, τοῦ εἶναι τόδε τι ζῶον ἢ μὴ ζῶον εἶναι*, id est: Malum igitur malo accesserat Arcesilae Carneades, nec minimum quippiam quod (adversariis) non inutile esset futurum remittens. Illarum phantasiarum exemplo, quas probabilitatis ratione *aientes et negantes* dixit, ut essetne hoc animal vel non esset (respondere liceret) atque hac divisione ab Aphasia, id est, altero Stoico terriculamento liberabantur.

Illae autem aliae phantasiae quibus ad actionem excitemur, ideo relictae sunt, ut *Apraxia*, id est, actionis universae privatio[2], quo maximo altero terriculamento Stoici ab epoche absterrere volebant, evanesceret. Ut enim quis ad actionem moveatur, ac vel appetat quid vel declinet, probabilis visio rei ad naturam accommodatae, vel naturae incommodae satis est, etiam si assensus retineatur. Nec verum est quod Stoici maxime propugnant atque praetendunt, *ὁρμήν*, id est appetitionem omnem, immo et sensus ipsos cùm approbatione coniuncta necessario esse, nec divelli posse[3]. Hoc enim etiam ipsi sibi, ut solent, contrarii tollunt, quum et sapienti suo in quibusdam epoche et probabili[4] uti permittant. Verum universa ratio haec a Plutarcho in libro adversus Coloten, ex Academica quam ipse profitetur disciplina, commodissime explicatur. Ipsum Plutarchum audi, sed ex versione nostra. „At Colotae, uti existimo, ea quae de appetitione et assensione disputari solent, commemorare perinde fuerit ac lyram coram asino pulsare. Verum iis, qui assequi haec et audire valent, sic dicta sunto. Quum triplici animus affectione moveatur, aut enim visione afficitur, aut appetitione movetur, aut assentitur: priorem quidem motionem nec si velit quis prohibere possit: necesse enim est ut rerum incurrentium effigies nobis imprimantur atque ab illis afficiamur: at vero appetitionis (affectio aut facultas) a phantasia excitata ad ea

(1) Ap. Euseb. praepar. l. 14. C. 8. p. 737. (2) Vide D. August. contra Acad. l. 2. c. 5 et 11. (3) Plutarch. de Stoic. contrariet. p. 1057. A et B. (4) Vide Sphaeri Stoici distinctionem inter *τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν* et *τὸ εὔλογον*, id est, probabile, quo sibi uti permittit, apud Athenaeum l. 8. p. 135. 43. Graec. edit. Aldina.

quae accommodata ad naturam sunt, capienda hominem impellit, quadam in principe animi parte (quasi in lance) propensione et nutu exsistente. Nec hanc vero affectionem tollunt, qui in omnibus assensionem retinent. Sed appetitione utuntur, quae naturali propensione ad id quod accommodatum naturae apparet, impellit ac ducit. Quid igitur solum fugiunt? id nimirum in quo solo mendacium errorque innasci atque inhaerere solet, opinationem et praecipitem assensionem, ne erumpat, cohibent, quae animi apparentibus succumbentis ac prae infirmitate cedentis est, nullumque praeterea usum praestat. Operatio enim duobus indiget, phantasia rei ad naturam accommodatae, et ad id quod accommodatum apparuit appetitione, quorum neutrum cum epoche pugnat: ab opinione enim, non ab appetitione nec a phantasia ratio haec deterret."

Igitur ex Academica doctrina quum tria sint *κινήματα*, id est, momenta sive affectiones animi, *τὸ φανταστικόν*, *τὸ ὁρμητικόν*, *τὸ συγκαταθετικόν*, id est, phantasticum, appetens et assentiens; prioribus duabus affectionibus ii etiam, qui epoche utuntur, necessario moventur, aut nihil agerent; tertia nihil illis est opus, nec se unquam ab illa auferri patiuntur, ne in barathrum, id est, opinationem delabantur. Vides autem interim quam haec ab Stoica ratione dissideant, quum illi nec sentire nec appetere quemquam sine assensione posse ad ravim clament. Sed de hoc egimus iam plus bis.

Alia quaedam de epoche apud Plutarchum[1] illo eodem loco legere potes, ad quorum finem quasi epochen ipsam describens, certe commendans subiungit: *οὐ μῦθος οὖν οὐδὲ θήρα μειρακίων λαμύρων καὶ προπετῶν ὁ περὶ τῆς ἐποχῆς λόγος ἐστίν, ὡς οἴεται Κολώτης, ἀλλ' ἕξις ἀνδρῶν καὶ διάθεσις φυλάττουσα τὸ ἀδιάπτωτον, καὶ μὴ προςιεμένη ταῖς διαβεβλημέναις οὕτω καὶ δυστατούσαις αἰσθήσεσι τὴν κρίσιν*, id est, non est ergo fabula doctrina de epoche, neque procacium ac temerariorum adolescentum aucupium, ut arbitratur Colotes; sed habitus et affectio virorum, quae constantem mentis statum a lapsu liberat atque conservat, neque diffamatis adeo sensibus et inconstantibus iudicium permittit.

Qualem vero corporis gestum aut actionem epoche in animo imitetur, explicaverat Cicero aliquo Academicarum quaestionum, qui non exstat, libro, illis verbis quae ipse in quadam ad Atticum epistola[2] refert: „Nec est melius quidquam quam, ut Lucilius: Sustineat currum ut bonu' saepe agitator, equosque . . . Semperque Carneades *προβολὴν* pugilis et retentionem aurigae similem facit *ἐποχῇ*." Significabat ergo eo se modo animum in retinendo assensu habere, quo pugil, quum pugnum quasi feriturus intentat, nec ferit tamen; aut quo auriga, quum erumpentes equos habenis retinet nec praecipites ferri sinit.

Verum enimvero non quod assensionem in omnibus, quae in disputationem veniunt, Academici continerent, ideo desides illos atque

(1) Adv. Colotem C. 29. (2) Lib. 13. Ep. 21.

otiosos accipere quisquam debet. Qui quidem philosophorum omnium laboriosissimi verique inveniendi studiosissimi fuerunt, cuius assequendi causa arduum nimis et difficile opus sibi proposuere. Omnium qui unquam fuerunt philosophorum, in omni philosophiae parte, sententias perquirere, ediscere et memoria tenere, quaeque alia nondum inventa circa eandem quaestionem comminisci dogmata possent ingenio pervestigata in medium adducere et proponere, atque pro omnibus iis sententiis contraque omnes dicere. Hoc autem optimum docendi genus existimabant: sic enim omnibus omnium sententiis examinatis et rationum momentis libratis atque pensitatis, quum quidem quod ad comprehensionem perceptionemque attinet, paria contrariis in rebus rationum pondera invenirentur, assensus velut a nondum perceptis sustineretur, probabiliora utenda seligerentur: probabilitatis namque ratione non aequa sunt pro contrariis rationum momenta: arrident enim et placent rationes aliae aliis magis. Quo autem modo Academici erga decreta, quae probaverint et utenda selegerint, affecti sint, quantumque haec ipsorum affectio a Dogmaticorum erga propria placita affectione et animo differat, ex Varronis libro de philosophia D. Augustinus[1] indicavit. „Quum (inquit) quaeritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum ita sint res habendae, in quibus philosophandum est, an, sicut aliis philosophis placuit, certas eas habere debeamus: non quaeritur, quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate quod videtur sectandum, utrum sit necne dubitandum: hoc est, ut id planius eloquar, utrum ita sectandum sit, ut qui sectatur, dicat esse verum, an ita, ut qui sectatur dicat verum sibi videri, etiam si forte sit falsum: tamen uterque sectetur unum atque idem bonum."

Illam igitur disputandi in utramque partem rationem, quae *ἡ εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις* Graecis dicitur, Arcesilam tenuisse Cicero[2] scribit. „Huic rationi (inquit) quod erat consentaneum faciebat (Arcesilas,) ut contra omnium sententias dies iam plerosque dissereret, ut quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur." Hanc eandem rationem secutus est Carneades, ut statim post haec Cicero dicit, et Eusebius[3]: *λόγων μὲν οὖν ἀγωγῇ ἐχρήσατο ᾗ καὶ ὁ Ἀρκεσίλαος· καὶ γὰρ αὐτὸς ἐπετήδευε τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν*, id est, ea disserendi forma usus est qua et Arcesilas: etenim et ipse disputatione in utramque partem operam dabat. Idem docendi genus optimum existimatum et ab omnibus Academicis retentum Galenus tradidit libello adversus hanc doctrinae rationem scripto, cuius index est *περὶ ἀρίστης διδασκαλίας*, id est de optimo docendi genere; illiusque finem veteres Academicos epochen dixisse commemorat. In Phavorino autem, qui rationem hanc vehementer commendavit, reprehendit Galenus, quod omni iudicio sublato, discipulis sententiam, quae optima videatur, eligendam reliquerit. Non caret tamen excusatione

(1) De civit. Dei l. 19. cap. 1. (2) Acad. ad Varr. l. 1. C. 13. (3) De praepar. l. 14, 7. p. 736.

Phavorinus: nam probandi species est, ut explicabamus, qua quisque usus probabilius dignoscet atque sumet. Nec enim decretis carebant Academici, sed quae decreta selegerant, probabilia, non percepta putabant. Atque hanc Academicorum libertatem respexisse potius Horatium[1] crediderim, quum scriberet:

Ac ne forte roges quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri
Quo me cunque rapit tempestas deferor hospes:

quam illorum philosophorum institutum, qui ἐκλεκτικοί, id est, selectores, sunt cognominati: alia enim, ut dicemus, nec ita libera istorum ratio; et ut existimo, post Horatii aetatem primum inventa.

Exemplum vero huius in disciplina tradenda formae multi Plutarchi omnesque M. Tullii philosophici libri continent: de quo sic in ipsius vita Plutarchus: *συντάξεις μὲν ἰδίας φιλοσόφους ἀπολέλοιπεν οὐκ ὀλίγας εἰς τὸν Ἀκαδημαϊκὸν τρόπον*, id est: Scripta philosophica reliquit non pauca ad Academicam consuetudinem et disserendi formam accommodata. Istum tamen docendi morem Stoici, ut et Academica omnia, exagitant, quum eodem et ipsi genere plerumque uti comperiantur, ac maxime Chrysippus, ut Plutarchus[2] adnotavit, et eius rei exemplum nos quum de Chrysippo ageremus, ex eodem Plutarcho descripsimus. Romanus ipse Zeno[3] libros suos sic legi vult tamquam eius qui quaerat adhuc, non sciat. „Non enim (inquit) me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero" cet. Cicero[4] primum in philosophia locum Academicos tenere ex eo putabat, quod secundae illis partes a ceteris philosophantium sectis sibi primas vindicantibus concederentur. Sic Themistocles primus in Salaminia navali pugna habetur, quod ceterorum Graecorum calculis secundus fuerit pronuntiatus. Atque haec de nova, id est, Carneadis Academia habuisse quae diceremus pro nostri ingenii modulo non exiguum ducimus.

Carneadi autem successit Clitomachus Poenus patrio nomine Asdrubas antea vocatus, non quidem ipse primus inter Carneadis discipulos: namque illum locum Mentor Bithynus tenuit[5]. Verum hunc Carneades cum pellice deprehensum (comprehendentem phantasiam fuisse illam, non probabilem modo Carneades fateatur oportet) ex schola primum eiectum, quasi exheredem fecit et successione privavit. Clitomachus ergo magistri, qui nihil in scriptis reliquerat, sententiam scriptis mandavit et docuit. Clarissimus vero inter Clitomachi familiares Philo quidam fuit Larissaeus[6], hoc enim cognomento apud Stobaeum cognominatum reperi, apud quem et moralis philosophiae exquisita partitio ex Philone hoc refertur. Quum autem plures eodem nomine urbes fuerint, ex qua Larissa sit nondum compertum habeo. Atque omnia quidem de Philone hoc in obscuro sunt: nec enim post satis diligentem indagationem quae qualisve ipsius sententia fuerit, et in

(1) Epist. 1. l. 1. v. 13. (2) De Stoicis contrarietatibus. (3) Seneca epist. 45. (4) Apud D. August. contra Acad. l. 3. c. 7. §. 16. (5) Laërt. in Carneade. 4, 63. Numenius apud Euseb. praepar. l. 14. C. 8. p. 738. (6) Hieron. adv. Iovian. l. 1. T. 2. p. 134. Philonem nescio quem Carneadis magistrum dicit.

Academiam inducta novatio (namque novasse eum plerique, non quidem ipsi Academici, scripserunt) satis possum subodorari. Atque initio statim huius historiae praecipuum mihi laborem de Philone futurum praedixi. Verum despondere animum minime oportet, sed omnis lapis movendus, ut ipsius sententiam, si fieri possit, eruamus. Primum descivisse illum a Carneadis Clitomachique sententia, quam aliquando tenuerat, ipsius auditor Antiochus apud Ciceronem[1] testatus, cui et apud Eusebium Numenius[2] attestatur: *ὁ δὲ Φίλων ἄρα οὗτος* (inquit) *ἄρτι μὲν ἐκδεξάμενος τὴν διατριβὴν ὑπὸ χαρμονῆς ἐξεπέπληκτο, καὶ χάριν ἀποδιδοὺς ἐθεράπευε καὶ τὰ δεδογμένα τῷ Κλειτομάχῳ ηὖξε, καὶ τοῖς Στωϊκοῖς ἐκορύσσετο νώροπι χαλκῷ*, id est, Philo ergo hic nuper quidem scholae successione ad eum delata, laetitia perculsus et gestiens efferebatur, gratiasque de hoc reddens, et Clitomachi decreta tuebatur et ornabat, et sese adversus Stoicos lucenti aere armabat. Sed efferbuisse eum postea Numenius ait, nec in eodem sensu permansisse. Sextus Philonis Academiam quartam a quibusdam vocatam scriptum reliquit. Eusebius etiam Philonis et Charmidae Academiam quartam numerat. Denique nova quaedam commovisse, quod ea sustinere vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicerentur, Ciceronis Lucullus affirmat. Teneamus ergo hoc, novasse Philonem, nec eandem illi cum Clitomacho et Carneade fuisse sententiam. Atque quae illorum quidem fuit, tribus, uti explicuimus, continebatur capitibus, Acatalepsia, Probabili et Epoche sive opinandi prohibitione. Atque Epochen ab ipso non conservatam, quum opinari sapientem non prohiberet, manifestum est, et a Numenio aperte scribitur. Verum non solum hoc novi in Academiam intulisse Philo accusabatur: „Nam[3] et Catulus pater in eadem sententia erat, et Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil posse putaret; assensurum autem non percepto, id est opinaturum sapientem existimat: sed ita ut intelligat se opinari, sciatque nihil esse quod comprehendi et percipi possit." Qui tamen Catulus Philonem reprehendisse mendaciique insimulasse commemoratur[4]: quod utique non faceret, si Philo ab eo de Carneadis sententia non dissentiret. Verum quid nos de Philonis sententia sentiamus proferendum summatim est, tum et veterum testimonia, unde illam elicere nobis videmur, producemus.

Natura ita comparatas esse res omnes, ut cognosci et comprehendi possent, Philo aiebat atque adeo multa percipi: verum hoc non eo modo quo Stoici dicebant; id est, non ita ut quum quis quidpiam cognoscit et perceptum habet, certus ac securus sit aut esse possit, eiusmodi illam phantasiam qua id comprehensum est, exstitisse, ut nulla ipsi similis alia et quae discerni ab illa nequeat, ab eo quod non est obiici possit. Ita ut, si Stoici ab illa sua definitione ultima illa verba: *Qualis afferri non potest ab eo quod non est*, auferri patiantur, Philo amplius cum eis non contendat. Cognita ergo quaedam Philo concedit, quae comprehensiva phantasia percipiantur. Haec

---

(1) in Lucullo C. 4. (2) Euseb. praepar. l. 14. p. 739. (3) Cicero in Luculli fine. (4) in Lucullo non multum post principium.

autem secundum ipsum ea est, *Quae offertur ab eo quod est*. Videatur igitur Philo iam Peripateticus potius quam Academicus, quum et assensum non retineat, et percepta concedat, cognitaque ab incognitis secernat atque discriminet, licet non illa certissima et quae errare nunquam possit, Stoicorum nota.

Haec quum Academica et Carneadea, immo et Platonica, ut qui non plures una Academia fuisse fateri vellet, esse diceret, praeterquam quod mendacii ab Antiocho et Stoicis accusatus convinci putabatur, qui commenta sua a nullo antea Academicorum dicta exponeret, et pro Academicis venditaret, nec isto quidem modo Stoicorum iurgia et rixas effugiebat. Qui partem illam definitionis mordicus tenentes, Nihil esse cognitum aut comprehensum clamabant, cui illa potissimum pars non conveniret, atque ita Philonem, qui illam conditionem nulli unquam rei convenire posse affirmaret, nullam rem percipi dicere, discrimenque incogniti et cogniti tollere. Cicero: „Philo[1] autem dum nova quaedam commovet, quod ea sustinere vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catulo, et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit quod timebat. Quum enim ita negaret quidquam esse, quod comprehendi posset, si illud esset, sicut Zeno definiret, visum impressum effictumque ex eo quod esset, quale esse non posset ex eo quod non esset, id nos a Zenone definitum rectissime dicimus. Quî enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas id perceptum cognitumque esse; quod est tale quale vel falsum esse possit? Hoc quum infirmat tollitque Philo, iudicium tollit incogniti et cogniti: ex quo efficitur, Nihil posse comprehendi. Ita imprudens eo quo minime vult revolvitur."

Illa etiam omnia, quae ex ipsius Ciceronis persona in Lucullo recitantur, Philonem magistrum sapiunt. „Si enim (inquit[2]) mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret quod impressum esset a vero, neque adhiberet illam magnam accessionem, quomodo imprimi non posset a falso, cum simplici homine simpliciter agerem, nec magno opere contenderem. Atque etiam, si, quum ego nihil dicerem posse comprehendi, diceret ille sapientem interdum opinari, non repugnarem, praesertim nec Carneade quidem huic loco valde repugnante. Nunc quid facere possum? quaero enim, quid sit quod comprehendi possit. Respondet mihi non Aristoteles aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem aut Polemo, sed nihilo minor (id est, Zeno), quod est tale verum quale falsum esse non possit. Nihil eiusmodi invenio, itaque incognito nimirum assentiar, id est opinabor. Hoc mihi et Peripatetici et vetus Academia concedit, vos (Stoici) negatis, Antiochus in primis cet." Sextus[3]: Philo autem ait, quantum ad Stoicum criterium, id est, phantasiam comprehensivam, res esse incomprehensibiles: quantum autem ad naturam rerum comprehensibiles. Numenius statim post illa verba quae superius ex ipso adscribebamus: *ὡς δὲ προϊόντος μὲν τοῦ χρόνου, ἐξιτήλου δὲ ὑπὸ συνηθείας οὔσης*

---

(1) in Lucullo C. 6. (2) in Lucullo C. 35. (3) Hypotypos. l. 1. c. 33. §. 235.

αὐτῶν τῆς ἐποχῆς, οὐδὲν μὲν κατὰ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ ἐνόει, ἡ δὲ τῶν παθημάτων αὐτὸν ἀνέστρεφεν ἐνάργειά τε καὶ ὁμολογία. Πολλὴν δῆτ' ἔχων ἤδη τὴν διαίσθησιν, ὑπερεπεθύμει, εὖ οἶσθ' ὅτι τῶν ἐλεγξόντων τυχεῖν, ἵνα μὴ ἐδίκει μετὰ νῶτα βαλὼν αὐτὸς ἑκὼν φεύγειν, id est, quum vero et tempus lapsum esset, ipsaque illorum epoche usu detrita obsolevisset, non iam amplius sibi constabat (Philo) neque simile quid (prioribus suis decretis) sapiebat: torquebat autem eum nec quiescere sinebat affectionum evidentia et concordia. Ergo sua ipse iam apud se conscientia convictus atque edoctus, vehementer, sat scio, cupiebat, qui se convincerent, invenire, ne videretur libens ipse terga vertere et fugere.

In primo Academicorum ad Varronem libro Cicero Philonis partes egerat, sicut Varro Antiochinas, ut si integer liber ad nos pervenisset, non esset quod de Philonis sententia dubitaremus. Verum ex Ciceronis oratione omnia fere interciderunt. Adhuc tamen etiam in Lucullo non multum a Philonis sensu Ciceronem recedere crediderim, praeter id quod opinari non probat, quod probasse Philonem citra controversiam est. Namque quod ad comprehensionem attinet, parum aut nihil Philonis sententia a Carneade discedit, cui etiam, immo et Arcesilae Academicisque omnibus, de postrema illa definitionis parte tota adversus Stoicos controversia fuit. Immerito autem illi mendacium obiici, Cicero istis ex Lucullo verbis subindicare fortasse videatur: „Sed ut omnes (inquit) istos aculeos et hoc totum tortuosum genus disputandi relinquamus, ostendamusque qui simus: iam explicata tota Carneadis sententia, Antiochi ista corruent universa. Nec vero quidquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspicetur, a Clitomacho sumam cet."

Igitur ut videtur, in verbis solum Philo a Carneade dissentiebat, si quidem percepta et cognita vocabat illa, quae Carneades *δῆλα*, id est, certa, et *ἐναργῆ*, id est, perspicua. Quae ratio ad posteriores etiam Academicos permanasse videtur. Namque Galenus[1] scribit, Phavorinum Academicum in quodam libro cui Alcibiadi nomen fecerit, scripsisse, Probabile sibi videri, nihil comprehendi: in alio vero eiusdem volumine *Plutarchus* inscripto, concessisse videri, esse aliquid quod comprehendatur. Quod qua exposuimus ratione a Phavorino concessum, est intelligendum. Philonem enim Phavorinus omnimodo secutus videtur. Accusatur namque in eodem Galeni libro, quod quum Academicus haberi velit, antiquorum epochen deseruerit. Est vero haec universa Philonis ratio: Epoche non uti nec ab opinione cavere; quaedamque percepta et cognita putare, sed non ea qua Stoici ratione.

Philonis auditor Antiochus Ascalonita quum multo tempore Academiam incoluisset et defendisset[2], demum iis castris desertis, sive evidentiae et perspicuitatis sensuumque testimonio adductus ac flexus, seu ambitionis potius studio et contentione adversus Clitomachi et Philonis familiares actus ad Stoam sese transtulit. Non qui Stoae

(1) De optimo docendi genere. p. 497. (2) Plutarch. in Cic.

nomen dederit: namque id indecorum fortasse putavit. Semper enim Academici cognomentum retinuit. „Verum in decretis placitisque omnibus erat (uti Cicero[1] ait) si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus." A Philone quidem et Carneade Arcesilaque novaeque Academiae universa disciplina apertam discessionem fecit, nec id ipse dissimulabat: verum ad antiquam Platonis et Xenocratis ceterorumque veterum, quae ad Polemonem, quem ipse maxime probabat, perdurasset, migrasse dicebat, quasi e nova in veterem domum. Veterisque Academicae disciplinae restitutor, quasi tunc postliminio redeuntis audire volebat. Haec et quaedam alia de Antiocho a Cicerone in iis libris Academicorum qui reliqui sunt, commemorantur, ipsiusque universae doctrinae ratio sub Varronis persona in primo libro luculenter exponitur. In Lucullo quoque omnia ea Stoica, quae de veritatis iudicio dicuntur, ex Antiochi sententia sumpta sunt: namque quod ad criterium attinet, Stoicus omnino erat. In naturali autem et morali philosophia etiam quum Platonica placita explicate profitetur, plerumque Stoam sapit: ut si hic esset locus, ostendere possemus. Quum vero Stoica refert, mire erga illa afficitur, ipsamque adeo Stoam correctionem quandam, non mutationem, antiquae Platonis doctrinae dicit. Namque, ut tradit Sextus[2], in id maxime incubuit, ut ostenderet, Stoica decreta e Socrate Platoneque petita. Non est ergo quod de eius explicanda sententia anxii simus: quod enim huius commentationis fuisset, id est, quid de criterio senserit Antiochus[3] in medium afferre, dum Stoica proponebamus una est peractum, ut iterum agendum non sit. Ipsius vero placita universa in morum atque in naturae philosophia, quae partim Platonica, maiori autem ex parte Stoica sunt, huc explicanda congerere supervacaneum duximus: praeterquam quod immensae molis est Stoicorum moralis disciplina, et fortasse iusto aliquando volumine a nobis, si Deus annuat, tractanda.

Illud autem quod de Antiocho Cicero[4] scripsit: Non discessisse eum a Philone, nec ad Stoicum magistrum aliquem, quales erant tunc Athenis Mnesarchus et Dardanus principes Stoicorum, se contulisse; quod, si Stoica illi placebant, facere debuisset: cum istis Numenii[5] non concordat. *Φίλωνος δὲ γίνεται ἀκουστὴς Ἀντίοχος ἑτέρας ἄρξας Ἀκαδημίας. Μνησάρχῳ γοῦν τῷ Στωϊκῷ σχολάσας ἐναντία Φίλωνι τῷ καθηγητῇ ἐφρόνησε, μυρία τε ξένα προσῆψε τῇ Ἀκαδημίᾳ*, id est: Philonis vero auditor fuit Antiochus, qui alii Academiae initium dedit. Mnesarcho igitur Stoico opera navata, Philoni magistro contraria sensit, innumeraque aliena Academiae affinxit. Sed vide etiam de Antiocho quaedam apud D. Augustinum *contra Academ. lib.* 3. cap. 18. §. 41.

Ipse Cicero et Philonis et Antiochi scholas frequentavit, Antiochumque amasse et ab illo dialectica didicisse scribit[6]. Verum in philosophicis Philonis potius placita amplexus est, ut ipsius scripta aperte

(1) in Lucullo C. 22. (2) Hypotypos. l. 1. c. 33. §. 235. (3) Vide D. August. contra Acad. l. 2. C. 6. §. 15. (4) in Lucullo C. 22. (5) Apud Euseb. praep. l. 14. C. 9. p. 739. (6) in Lucullo.

demonstrant et Plutarchus tradidit. Fatetur interim in aliqua ad Atticum epistola[1] Cicero Antiochia illa decreta vehementer esse πιθανά, id est, probabilia. Varro autem ille Romanorum doctissimus Antiochum magis probabat, ut et Cicero Varroni ipsi scripsit[2], et ex iis, quae ex eiusdem libro de philosophia D. Augustinus affert, manifeste comperitur. Ecce enim universam Antiochi rationem ex Varronis sententia ab Augustino descriptam: namque sic ait[3]: „Quomodo Varro in eo libro (quem de philosophia scripsit) enumeratis ac confutatis ceteris omnium philosophorum sectis unam eligit, quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus eius scholam tenuit, quae Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri: et ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia. Quod philosophiae genus ab Arcesila coepit successore Polemonis: eamque sectam, id est, veterum Academicorum, sicut dubitatione, ita errore omni carere arbitretur (Varro) longum est per omnia demonstrare cet."

Et haec quidem symbola collata a nobis esto in Academicarum M. Tullii quaestionum elucidationem, quae quidem si ad nos integrae pervenissent, nulla a nobis luce indigerent. Absolverat enim Cicero, ut ipse Attico scribit[4], Academicam omnem quaestionem libris quattuor, ita accurate; (namque sic ait) ut nihil posset supra. In iis, quae erant contra ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dederat, ad ea ipse respondebat Philonis partes agens. Tertius in sermone erat Atticus. Atque haec quidem in secunda editione illorum librorum (duas enim fecit) personae fuerant. In priore alii colloquebantur. Id quare mutaverit, Attico etiam indicat. Is liber Academicorum ad Varronem qui nec integer restat, secundae editionis primus habetur. Lucullus prioris editionis est, in qua quarti libri locum tenebat, uti ex iis quae ex illo producit Nonius conficitur. Atque hucusque commentationem hanc deducere decreveramus. Nunc vero quoniam ita omnem fere de criterio historiam absolutum iri existimamus, Cyrenaicorum et Epicuri de eadem quaestione sententias auctarii nomine adiungere placet.

Aristippus Cyrenaeus Socratis familiaris eius factionis caput fuit, quae ab illo *Cyrenaica* nuncupatur. Hic ipsiusque sectatores criterium veritatis τὰ πάθη dixerunt, id est, interiores affectiones et permotiones: de quibus solis *quod sint* liceat pronuntiare, de iis vero quae extra sunt rebus, etsi affectiones ipsas nobis immittunt nosque permovent, tamen statuere non posse praeterquam quod ita *videantur:* quum enim alio modo eaedem res alios atque alios afficiant, nec commune quid sit quo iudicentur: omnia quidem exteriora esse ἀκατάληπτα, id est, incomprehensibilia, interiora, id est, affectiones comprehendi. Ita quum quis voluptate aut dolore afficiatur, delectari se aut dolere haud dubie possit affirmare: sitne illa res quae voluptatem conciliavit,

(1) ad Att. 13, 19. (2) ad Att. 13, 12, 13. (3) De civit. Dei l. 19. cap. 1.
(4) Lib. 13, 16.

suavis, aut quae dolorem peperit, molesta, statuere nequeat. Similiter quum albi species dulcisve aut odori sensu affici se affirmet, licet: id enim verum est et illi compertum. Verum albumne dulceque et odorum sit id quod ipsum perculit, ne decernat, quum nec comprehendat. Igitur quum affectiones et se et id a quo efficiuntur ostendant, de se quidem ipsis non mentiuntur, rerum extra positarum non veraces nuntii sunt. Cicero[1]: „Aliud (iudicium) Cyrenaicorum, qui praeter permotiones intimas nihil putant esse iudicii." Et alio in loco[2]: „Quid Cyrenaei? Videntur minime contempti philosophi. Hi negant esse quidquam quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quae tactu intimo sentiant, ut dolorem et voluptatem: neque se quo quid colore aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire, affici se quodam modo." Item etiam de hac Cyrenaicorum sententia scribit Laërtius[3] in Aristippo: sed multa Sextus[4], quem consulas licet. Plutarchus optime illam explicat et a Colotae calumnia defendit[5]. *Ἐκεῖνοι δὲ* (inquit) *τὰ πάθη καὶ τὰς φαντασίας ἐν αὑτοῖς τιθέντες οὐκ ᾤοντο τὴν ἀπὸ τούτων πίστιν εἶναι διαρκῆ πρὸς τὰς ὑπὲρ τῶν πραγμάτων καταβεβαιώσεις. Ἀλλ' ὥσπερ ἐν πολιορκίᾳ τῶν ἐκτὸς ἀποστάντες εἰς τὰ πάθη κατέκλεισαν αὑτούς, τὸ ΦΑΙΝΕΤΑΙ τιθεμένοι*[6]*, τὸ δ' ἘΣΤΙ προσαποφαινόμενοι περὶ τῶν ἐκτός*, id est: Illi vero quum affectiones et phantasias intra se ipsos posuissent, non existimarunt horum testimonia satis idonea ad sententiam de rebus ipsis ferendam: sed, veluti in obsidione, ab iis quae extra (moenia) sunt, recedentes, intra affectiones se ipsos concluserunt, de iis quae extra sunt, *videtur* dicentes, *est* vero de iis quae sunt intra, affirmantes. Et paullo post: *γλυκαίνεσθαι γὰρ λέγουσι καὶ πικραίνεσθαι καὶ φωτίζεσθαι καὶ σκοτίζεσθαι, τῶν παθῶν τούτων ἑκάστου τὴν ἐνέργειαν*[7] *οἰκείαν ἐκ αὑτῷ καὶ ἀπερίσπαστον ἔχοντος. Εἰ δὲ γλυκὺ τὸ μέλι, καὶ πικρὸς ὁ θαλλός, καὶ ψυχρὰ ἡ χάλαζα, καὶ θερμὸς ὁ ἄκρατος, καὶ σκοτεινὸς ὁ τῆς νυκτὸς ἀὴρ ὑπὸ πολλῶν ἀντιμαρτυρεῖσθαι καὶ θηρίων, καὶ πραγμάτων, καὶ ἀνθρώπων, τῶν μὲν δυσχεραινόντων*[8]*, τῶν δὲ προσιεμένων τὴν θαλλίαν, καὶ ἀποκαομένων ὑπὸ τῆς χαλάζης, καὶ καταψυχομένων ὑπὸ οἴνου, καὶ τὸν ἥλιον ἀμβλυωττόντων, καὶ νύκτωρ βλεπόντων. ὅθεν ἐμμένουσα τοῖς πάθεσιν ἡ δόξα διατηρεῖ τὸ ἀναμάρτητον, ἐκβαίνουσα δὲ καὶ πολυπραγμονοῦσα τῷ κρίνειν καὶ ἀποφαίνεσθαι περὶ τῶν ἐκτός, αὑτήν τε πολλάκις ταράσσει καὶ μάχεται πρὸς ἑτέρους ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἐναντία πάθη καὶ διαφόρους φαντασίας λαμβάνοντας*, id est: Namque dulci gustu et amaro affici, et lumine et teneris percelli se aiunt, quum videlicet harum affectionum singulae sua propria evidentia nullaque re impedita constent[9]. Verum dulce esse mel, et olivae termitem amarum, et grandinem frigidam, et calidum temetum, et obscurum nocturnum aerem, multorum tam animalium quam rerum atque hominum testimoniis impugnari ac refelli: quum quidam mel aversentur, quidam oleagineum ramum cupide gustent, alii grandine urantur, refrigerentur vino, in sole caecutiant, noctu videant. Qua-

(1) in Lucullo C. 46. (2) in Lucullo C. 24. (3) Lib. 2, 92. (4) Lib. 7. adv. discipl. cap. de criterio Sect. 191. (5) adv. Colot. p. 1120. (6) videtur deesse, *περὶ τῶν ἐκτός*. (7) *ἐνάργειαν*. (8) *τὸ μέλι*. (9) vel efficientur.

propter opinio dum intra affectiones manet, a lapsu et errore sese tutam conservat, si vero exeat et curiose rebus quae extra sunt, se immisceat illas iudicatura aut de ipsis pronuntiatura, et sese ipsa multoties perturbat atque a tranquillitate excidit; et cum aliis certamina et contentiones init, qui ab iisdem rebus contrarias affectiones et phantasias accipiunt.

Vides quae horum fuerit sententia. Quae mihi quidem non probanda nec ridenda tamen ullo modo videtur, quum et D. Augustinus[1] probasse magis illam quam reiecisse videatur. At aliarum sectarum professores eo modo aliena dogmata quibus impugnandis sese accingunt, proferre et interpretari morem habent, ita turpibus coloribus depingere ac repraesentare solent, ut nihil hac ipsa opinione ridendum magis, uti ab illis prolata est, inveniri posse videatur. Quali cachinno a Colote explosa sit, Plutarchus[2] scripsit. Aristocles Peripateticus sic nobis ridendam propinat[3]: „Consequantur (inquit) hos ii, qui affectiones solas comprehendi posse dicunt, dixerunt vero hoc quidam ex Cyrene. Hi autem velut ii qui lethargo sunt oppressi, nihil omnino uspiam esse existimabant, nisi quis adsit qui ipsos feriat aut pungat. Namque si aut urerentur aut secarentur cognoscere se quidpiam pati dicebant; utrum vero quo urerentur ignis aut quo secarentur, ferrum esset, statuere non posse. Eos autem qui ista dicunt, roget protinus aliquis: an hoc saltem sciant, pati nempe se ac sentire; namque si nesciant, nec illud possint dicere, solam se affectionem cognoscere. Si vero sciunt, non solae affectiones comprehensibiles fuerint dicendae: si quidem istud, *ego uror*, effatum est, non affectio. Verum enimvero tria haec simul subsistere est necesse, ipsam affectionem, et quod illam infert, atque id quod affectionem excipit ac patitur. Is igitur cui affectio accidit, illam sentiet utique: non etenim se (exempli causa) calefieri cognoscet; utrum autem ipse an ipsius vicinus id patiatur, ignorabit: ac nunc id contingat, an heri: Athenisne, an in Aegypto: vivusne uratur an mortuus; homone ipse qui uratur sit, an lapis: ergo et a quo id patiatur, sciet: namque alii alios homines cognoscunt ac sciunt, vias quoque et urbes, et cibum: artifices etiam sua instrumenta cognoscunt. Medici quoque et ii qui nauticae rei sunt periti, futura adnotant ac praenuntiant: canesque ferarum tramites et vestigia adinveniunt. Praeterea qui quidpiam patitur, necessario uti accommodatum id suae naturae aut uti incommodum percipit: aut undenam affirmare poterit, voluptasne id sit, an dolor? aut quod illo dum gustat, aut dum videt, aut dum audit afficitur? atque dum gustat lingua ac videt oculis et auribus audit? Aut quomodo sciunt hoc quidem capere oportere, fugere illud? quod si horum nihil sciant, nec appetitione agi nec conari quidquam poterunt, eaque ratione neque animantes quidem erunt; ridiculum enim fuerit, si dicant, haec quidem illis contingere, quomodo vero accidant, nescire. Huiusmodi enim nec an homines quidem sint nec an vivant dicere licebit. Ergo nec at

(1) Contr. Acad. l. 3. cap. 11. (2) adv. Colotem p. 1120. (3) Apud Euseb. praep. l. 14. C. 19. p. 764.

aliquid dicant ac statuant. Cum his ergo quis disputationem instituat? Ac mirabitur fortasse quispiam, si nesciant, utrum in terra sint an in caelo. Verum multo magis mirandum est, nescire illos, tribusne quattuor plura sint, quotque sint unum et duo: idque quum philosophari profiteantur. Nec enim hi dicere possunt, quot in manibus digitos habeant, aut numquid ipsorum quilibet unus sit an plures; ut nec proprium nomen noverint, nec patriam, nec Aristippum. Igitur nec quos ament aut oderint, quaeque cupiant. Quod si rideant aut fleant, dicere non poterunt, illud esse ridiculum, alterum molestum. Perspicuum igitur est etiam nec quid modo dicamus ab ipsis intelligi. Huiusmodi igitur nihil a culicibus muscisque differant oportet. Quin potius etiam ista quae naturae suae conveniunt, agnoscunt. Atque ad eos qui istoc modo affecti sunt, etsi multa dici possent, haec tamen sufficiunt." Haec Aristocles ex versione nostra: nam Graeca adscribere piguit. Quae ideo exscripsimus, ut exemplo sint, quam non sint antiquorum philosophorum dogmata ex adversariorum dictis aestimanda. Atque ego quidem quum illustrium quondam virorum absurda quaedam decreta et praeter communem omnium hominum sensum narrari et exsibilari audio, adduci non possum ut credam, fideliter et uti ab illis sentiebantur et docebantur relata et interpretata: qui enim ego nullius ingenii homo illorum absurditatem e vestigio pervideam, illi multo ingenio meditata ridicula tandem protulerint? Sed Thucydideum[1] illud verissimum semper comperias: *Πολύ τε διαφέρειν οὐ δεῖ νομίζειν ἄνθρωπον ἀνθρώπου*, id est: Multum quid hominem homini praestare, existimare non oportet. Et *Νομίζειν δὲ τὰς διανοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι*, id est: Existimare oportet quae nos cogitamus, aliis etiam in mentem venire.

Epicurum quidam nullius auditorem fuisse, sed antiquorum librorum lectione profecisse scripserunt, alii Xenocratem et Nausiphanem magistros illi tribuunt. Hic licet rationalem omnem philosophiae partem contempserit, noxiamque potius esse putaverit, quaestionem de criterio non intactam reliquit: sed de illo inter nataralia egit. Statuit vero: Veritatis iudicia sensus et notitias sive prolepses et affectiones esse, id est, ut Laërtius[2] scribit, *κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη.* Cicero[3]: „Aliud (iudicium) Epicuri, qui omne iudicium in sensibus et in rerum notitiis et in voluptate constituit." Omnes enim sensus veros esse aiebat, omniaque visa: si aliqua falsa sint aut esse possint, nullum iudicium relinqui. Huic rei sic Epicurus ipse apud Laërtium[4] fidem facere studet: *Πᾶσα γὰρ (φησὶν) αἴσθησις ἄλογός ἐστι, καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. Οὔτε γὰρ ὑφ' αὑτῆς κινεῖται, οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κινηθεῖσα ἀδυνατεῖ τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν.* Sentiant enim aut non sentiant sensus necessarium esse: ac si quidem sentiunt, fallere minime possunt, quum ratione omni careant, nec addere quidquam aut detrahere iis, quas acceperint, phantasiis sciant: quare fideliter illas representare. Atque quum nullam

(1) lib. 1. (2) in Epicuro. 10, 31. (3) Lucullo. C. 46. (4) 10, 32.

praeteritarum phantasiarum ipsi apud se sensus memoriam conservent (namque et hac etiam facultate destituuntur) non valent phantasias permutare, aliamque pro alia offerre; immoti igitur constant sensus, nec ab alio ut detrahant quid aut addant moveri possunt. Idem confirmare tendit: *Οὐδὲ ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι. Οὔτε γὰρ ὁμογενὴς αἴσθησις τὴν ὁμογενῆ, διὰ ἰσοσθένειαν, οὔθ' ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ. Οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν εἰσὶ κριτικαί· οὔτε μὴν λόγος. Πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται. Οὔθ' ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν, πάσαις γὰρ προσέχομεν. Καὶ τὸ τὰ ἐπαισθήματα δὲ ὑφεστάναι πιστοῦται τὴν τῶν αἰσθήσεων ἀλήθειαν. Ὑφέστηκε δὲ τό, τε ὁρᾷν ἡμᾶς καὶ ἀκούειν ὥσπερ τὸ ἀλγεῖν.* Etiam (inquit) si mentiri sensus atque fallere nos possent, non est quo illos arguamus ac falsi convincamus. Neque enim eiusdem generis sensum eiusdem generis alio iudicare est; aequalem enim vim habent et eandem merentur fidem: nec qui diversi est generis eum qui diversi a se generis sensus est, examinare valet: quum diversae rei quilibet sensus sit iudex. Non enim odorem iudicabit visus, neque ratio: omnis enim ratio ex phantasiis pendet. Nec phantasia una aliam convincet: aeque enim omnibus attendimus. Confirmatur etiam sensuum veritas et fides ex eo, quod sensuum ipsorum affectiones manifesto sint atque subsistant. Sicut enim non potest ipsum *dolere* esse et non esse id quod dolorem infert, sed necessario ambo simul sunt; ita quum videre nos et audire perspicuum sit, erit etiam et id quod videtur et quod auditur.

Sunt igitur Epicuro omnes sensus veri et omnes phantasiae verae, opiniones non item: aliae enim verae sunt, aliae falsae: ait enim, unicuique phantasiae adiungi statim eamque e vestigio consequi opinionem, quam *δόξαν* et *ὑπόληψιν* vocant, qua videlicet visum ipsum ab illa vel illa re immissum apud nos statuimus. Opinionem ergo hanc atque existimationem esse eam quae fallatur, quam quum ab evidentia atque illata vera phantasia distinguere nesciamus, ipsius errorem phantasiae tribuere. Quare sapientis esse, opinionem a perspicuitate seiungere, nec illa inter se confundere; si confundantur, non habituros nos quo iudicemus: sic enim ipse in *κυρίαις δόξαις* scripsit. Eo enim rem demittebat Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum. Namque sic scriptum est apud Ciceronem[1], cui ipsa Epicuri de hac re apud Laërtium verba, et plus uno loco Plutarchus et Sextus adstipulantur. Aristocles[2] etiam timuisse Epicurum ait, ne si sensus aliquos falsos diceret, criterio regulaque omni destitueretur. Tertullianus[3], „Epicurei (inquit) constantius (quam Stoici) parem omnibus (sensibus) atque perpetuam defendunt veritatem: sed alia via. Non enim sensum mentiri, sed opinionem: sensum enim pati, non opinari: animam enim opinari. Absciderunt et opinionem a sensu, et sensum ab anima."

Quum autem visa furentium et somniantium Epicureis obiiciuntur; quum qua ratione simul parva et magna, rotunda et quadrata turris

(1) Cic. in Lucullo. (2) Apud Euseb. praep. l. 14, 20. p. 767. (3) lib. de anima. c. 17.

aliqua sit, si ex intervallo conspiciatur, et si quis prope eam conspecturus accedat; qua etiam ratione una res aliis calida, frigida aliis videatur, ut si visa omnia vera futura sint, res eadem et calida et frigida simul dicenda veniat, rogantur: universam illam suam de natura disciplinam docere nos atque persuadere opus habent, idque adeo satagunt. Per infinitum (inquiunt) vacuum innumera corpuscula (*ἀτόμους* vocant) diversis praedita facultatibus, ut frigida quaedam, alia calida sint, perambulare. Haec alia aliis incurrentia atque impacta densari et coalescere, illorum compages corpora ipsa esse, quae *στερέμνια*, id est, solida dici volunt. Ex corporibus ac rebus omnibus tenuiora alia atque leviora corpora, quae rerum ipsarum imagines sint, effluere atque hac illa pervagari. *Εἴδωλα* haec vocant, id est spectra et effigies, sive ut Lucretius, effigies sive species. Namque et has corporeas ab ipsis inductas, Galenus scripsit. Odores etiam saporesque et voces e rebus deferri, quae omnia sensuum instrumenta feriant et sensus efficiant, id est, sentiantur. Igitur idola haec per varia loca delata tenuiora minoraque fieri deterique et evanescere tandem, ac vario etiam modo inter se misceri et permutari. Quae et a furentibus et a somniantibus intra corpus irrumpentia cernantur: errare ergo illos, non sensu; namque vere eiusmodi visu afficiuntur: sed opinione, dum credunt, a solidis, quae adsint, corporibus spectra illa sibi offerri. Atque hoc quidem ut et physica Epicuri universa, Democriti est, quem Cicero dicit scripsisse, si nunc aut si etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere. Laërtius[1] ex Epicuri sententia: *Τά τε τῶν μαινομένων φαντάσματα, καὶ κατ' ὄναρ ἀληθῆ. κινεῖ γάρ· τὸ δὲ μὴ ὂν οὐ κινεῖ*, id est, furentiumque et somniantium visa vera esse, movent enim. Quod vero non est non movet. Plutarchus[2] de Epicureis: *Καὶ τίνα γὰρ οὐκ ὄψιν ἢ φύσιν ἔκφυλον εἰς τὸ αὐτὸ συνενεγκόντες ἐκ τῶν ἐνυπνίων καὶ τῶν παρακοπῶν; οὐδὲν εἶναί φασιν παρόραμα τούτων, οὐδὲ ψεῦδος οὐδὲ ἀσύστατον, ἀλλὰ φαντασίας ἀληθεῖς ἁπάσας καὶ σώματα καὶ μορφὰς ἐκ τοῦ περιέχοντος ἀφικνουμένας*, id est: quam vero speciem aut naturam monstrosam atque peregrinam non una compingunt, ex insomniis et deliriis eas desumentes? quorum nihil vanam visionem aut falsum aut inconveniens, et quod esse non possit dicunt; sed veras phantasias et corpora et formas, quae ex circumfuso aëre nobis immittantur.

Similiter et de procul visa turri, quae parva et rotunda, quum magna et quadrata sit, videatur, respondent[3]. Ita videlicet deformatam turris effigiem ad nos pervenire, vereque illam quam animo offert, specie sensum percelli nec mentiri. Quod si quis ipsam solidam turrim eiusdem formae cum longo itinere defesso atque languido et iamiam evanescente spectro suo esse existimet, opinione, non sensu decipiatur. Namque et validam quis vocem e longinquo ad se delatam, si uti sensu percipit, exilem putet, ipse, non sensus, aberret. Namque sensus uti

(1) 10, 32. (2) contra Colotem. (3) Plutarch. contra Col. p. 1123. Sextus adv. discipl. cap. de criterio.

ad se delata est, illam excepit et fideliter repraesentavit. Atque hac eadem responsione in solis astrorumque magnitudine Epicurus uti potuit, nec risum sui mathematicis et philosophis omnibus facere. Tamen, praeterquam quod a compluribus cum Cicerone est traditum, ipsius Epicuri verba ex epistola ad Pythoclem, et ex undecimo de natura a Diogene Laërtio Epicureo relata interpretationem non admittunt: diserte enim affirmat, tanta esse astra omnia quanta videantur, aut maiora paullo; adiicitque ridiculam rationem, non amissam illis intervallo magnitudinem, quandoquidem nec colorem. Verum sententia haec innumeris perspicuitatis evidentissimis testimoniis convicta damnatur et exsibilata exploditur a Cleomede Stoico[1] (Stoicus enim is est, ut apparet.)

Causam vero cur eadem aliis frigida, aliis calida sentiantur, hanc illos assignare solitos Plutarchus[2] refert. Singula diversis et contrariis qualitatibus constare, multaque ac sibi pugnantia in unaquaque re commixta et colligata teneri. Hominum quoque sensus varia ratione temperatos, vario etiam modo ad res accommodari atque applicari, ita ut quum alius eandem rem tangat, aut quovis sensu apprehendat, non easdem illius quas alius partes attingat. Sed prout sensus ad rem temperaturae habeat, ita alias et alias eiusdem rei partes et facultates tangat et excipiat. Veluti si ex fonte aliquo, in quo multorum generum res permixtae contineantur, accedens alius aliud hauriat. Non esse igitur quod quis aliorum sensus damnet, aut mendaces dicat, quod non eo quo ipse modo ab eadem re afficiantur, quum omnes omnium sensus veraces sint, nec mentiri possint. Sic vinum alios quidem calidum, alios frigidum experiri, neutros sensu decipi[3].

Esse ergo omnia visa vera *καὶ δῆλα καὶ ἐναργῆ*, id est, et certa et perspicua; opiniones sive sententias nostras, quae ex evidentibus ipsis ortum habeant sensusque statim consequantur, non omnes veras esse: sed alias veras, alias falsas. Solere enim nos aliquando sensui, qui nihil aliud quam id quod sentit, denuntiat, opinione et arbitrio nostro detrahere quid aut addere, ita ut decipiamur. Sunt igitur verae sententiae, quibus ipsa rei et sensus evidentia testimonium reddit, nec refragatur, id est, uti Epicurus[4] ipse aiebat, *ἂν ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται ἀληθῆ εἶναι*. Falsae autem, quae evidentiae testimonio non confirmantur, vel adversus quas evidentia testimonium dixerit: *ἐὰν δὲ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται ψευδῆ τυγχάνειν*. Exempli causa: Cernit quis procul hominem ad se venientem et Socratem putat. Si is postquam accesserit, Socrates ex evidentiae testimonio esse comperiatur, ablato intervallo quod impediebat, quo minus illius spectrum plane integrum exciperetur, opinio vera fuerat, sin contra, falsa. Quare ad opinionum explorationem et probationem exspectare iubent Epicurei evidentiam. Ut, de turri procul visa nihil statuere, sed uti dicebant, *προςμεῖναι καὶ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ καὶ μαθεῖν ὁποῖος ἐγγὺς φαίνεται*, id est, exspectare accedereque ad turrim, et cognoscere qualis

(1) lib. 2. circularis contemplationis sublimium. (2) contra Colotem. (3) Plutarch. sympos. lib. 3. cap. 5. p. 652. (4) Apud Laërt.

ei qui prope sit, appareat. Haec exspectatio, sive exspectatione facta exploratio peculiari vocabulo τὸ προσμένον Epicureis dicebatur.

Prolepses etiam perspicuae et certae sunt nec de illis dubitari solet[1]. Sunt enim prolepses sive notitiae anticipatae quaedam rerum notiones, quae verbis significantur; et veluti verae certaeque de unaquaque re opiniones atque universales cognitiones mente repositae, memoriaeque rerum sensibus perceptarum. Sensuum enim comprehensio praecedit, ut puta rei visae, ut hominis et equi et bovis aliquando conspectorum. Tum formae ipsae ac typi rerum apud mentem adnotati et conditi servantur, quos rebus dein in posterum visis accommodamus. Non enim de re quae apparet, quaereremus equusne sit an bos, nisi equi bovisque typum mente teneremus una cum vocibus quibus haec significantur. Principio enim res ipsa sensibus capitur, tum eius nomen ediscitur. Quod etiam evidens et extra controversiam est: non enim controvertitur de bove viso sitne eius Latinum nomen *bos*. Videor haec facile explicare, si dicam, Epicurum dum sensus certos dicit, de re indicata ac quasi de subiecto dubium non esse dicere: quum autem prolepses certas appellat, de praedicato etiamnunc dubitari affirmare, sed de opinione, id est, de connexo sive propositione. Clemens Alexandrinus[2] de Epicuro: *πρόληψιν δὲ ἀποδίδωσιν ἐπιβολὴν ἐπί τι ἐναργὲς, καὶ ἐπὶ τὴν ἐναργῆ τοῦ πράγματος ἐπίνοιαν: μὴ δύνασθαι δὲ μηδένα μήτε ζητῆσαι μήτε ἀπορῆσαι μήτε μὴν δοξάσαι ἀλλ' οὐδ' ἔλεγξαι χωρὶς προλήψεως*, id est, Prolepsin vero definit adnotationem sive animadversionem (ad verbum adiectionem) animi de evidenti aliquo, et de evidenti rei notione: non posse autem quemquam neque quaerere nec dubitare, nec opinari quidem ac neque arguere, sive convincere sine prolepsi.

Affectiones autem (id est, *τὰ πάθη*) (namque et has criteria censeri ab Epicuro adnotabamus,) duo ipsis sunt, *voluptas* et *dolor*, quae animantibus omnibus obveniant. Voluptas quidem uti naturae accommodatum, dolor vero ut incommodum et a natura alienum. Horum igitur duorum ductu quae capere oporteat et quae declinare expediat, indicare Epicurus iussit. Nam quae voluptatem afferunt, eligenda, quae dolorem, fugienda esse. Tria igitur haec, sensus, prolepses et affectiones perspicua esse aiebat, nec de illis dubitari oportere, sed ducibus uti ad ea quae perspicua non sint pervestiganda: omnes enim quae in animo sint opiniones atque sententias ex evidentia ortum habuisse. Sic ipsi Epicurei ex motus evidentia comperire sibi videntur vacuum esse, quod evidens non est: si enim omnia corporibus plena essent, nullum corpus moveretur. Haec de Epicuri iudicio. Verum accessio adhuc alia reliqua est. Scribit enim Laërtius[3], qui mihi haud antiquus scriptor videtur, non multo ante suam aetatem tempore exortam novam quandam philosophorum sectam Potamone quodam Alexandrino auctore, quae ἐκλεκτική, id est selectrix, fuerit nuncupata. Hic enim Potamo nullum se novum decretum statuere velle profitebatur, sed inter antiqua veterum philosophorum placita, quae

(1) Idem Laërtius in Epicuro. 10, 133. et Sextus adv. Math. 1, 3, §. 57.
(2) Stromat. l. 2, 3, p. 437. (3) Eclectici; ad finem prooemii lib. 1. §. 21.

satis multa iam essent, optima quaeque tenenda seligere. Hunc igitur in libro, cui *στοιχείωσιν*, id est, elementarem traditionem, nomen fecerit, scripsisse Laërtius refert: Criterium quod iudicet esse *τὸ ἡγεμονικόν*, id est, principem in animo partem: quo autem hoc in iudicando utatur, *τὴν ἀκριβεστάτην φαντασίαν*, id est, exactissimum et maxime examinatum visum. Sunt ergo, ut videtur, philosophi dogmatici, non sceptici. Selecta enim illi dogmata approbant et comprehensa, non probabilia solum putant. Differunt etiam ab Academicis, quod isti semel a Potamone selecta decreta tenuisse omnes videantur: Academici, quisque sibi eligebant aut inveniebant quae placerent, nec quae Carneadi, omnibus deinceps probabilia videbantur.

Hae fere sunt omnium post Socratem philosophorum de veritatis iudicio, quod unum ex duobus in philosophia maximum esse Cicero[1] scribit, sententiae. Atque haec nunc nos pro temporis angustia librorumque non quantam optaremus, copia praestare potuimus; plura quidem daturi, ni Sexti auctoritate uti plerumque nos temperassemus. Quod minime factum oportuisset (is enim multus maximusque in hac quaestione est) si Graecum Sexti librum quem nondum editum scimus, nacti essemus. Latinorum vero interpretum fidei non multum fidebamus iis maxime in libris, qui adversus disciplinarum professores sunt; quum praecipue historia haec magnam verborum Graecorum quibus quaeque scripta sunt, rationem esset habitura; plurimum enim in huiusmodi hoc refert, quum quaeque philosophorum secta propriis a se confictis verbis utatur. Ego quidem diligentiam meam desiderari nolim: quamquam illorum reprehensionem feram, qui multum me operae studiique in exigui momenti rebus posuisse dicent. Sint sane illis haec nullo in pretio; scimus quam non multis operam navemus ac probemus; iis volumus potius placere quam plurimis. Verum itane parvi est, etiam si quaestio resque ipsa vilipendenda iudicetur, antiquorum ac gravissimorum Ciceronis, Plutarchi, Galeni, D. Augustini aliorumque complurium, libros quum legas intelligere? At multa apud illos, nisi haec de non percipiendo percipias, impercepta te fugiant necesse est, quae si scire non magnum, at certe non ingratum. Quum praecipue nos dum his vacaremus, nulli aut publico aut privato negotio defuerimus; iique simus qui prae ingenii nostri tenuitate, cuius conscii sumus, vel minimis his inepti nobis videamur, tantum abest ut maiora docere alios aggrediamur.

Verum enimvero illud interim his admonemur, Graecos humanumque ingenium omne sapientiam quaerere sibique et aliis promittere, quam tamen nec invenire nec praestare unquam posse. Qui igitur vera sapientia indigere se mecum sentiet, postulet non ab huiusmodi philosophia; sed a Deo, *qui dat omnibus affluenter et non improperat* Quod si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, fiat stultus, ut sit sapiens: abscondit enim Deus veram sapientiam a falsae sapientiae amatoribus, revelat vero parvulis. Ipsi soli sapienti per Iesum Christum gloria. Amen.

(1) In Lucullo.

DURANDI CURAE SECUNDAE
IN
ACADEMICORUM LIBROS.

Académiques de Cicéron avec le texte latin de l'édition de Cambridge et des remarques nouvelles, outre les conjectures de Davies et de B. et le commentaire philosophique de P. Valentia, jurisconsulte Espagnol. On y a joint la Préface de Pline. Londini MDCCXL.

EPIST. AD VARRONEM.

Pag. 239. lin. 2. *soleat* (var. lect.) — l. 12. (not. ad voc. *simillimo*): sic plane in Bruto c. 4. *Te remunerandum si non pari at grato tamen munere.* — l. 13. (not. ad. voc. *cum*): Davis. *Quod:* male. — l. 15. (post *Epist.* 8.): nec in Ed. 1. Rom. 1471.

P. 240. l. 6. *Antiochi* (var. lect.) — l. 31. (post *esse ducimus*): sic et ad Attic. l. 14. Epist. 11: *sed haec Fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat.* Et Fam. l. 15. Ep. 15. *Atque horum malorum omnium culpam Fortuna sustinet.* Vide et Tacitum Ann. I. C. 42. et ipsum Ciceronem Catil. 1. 6. *sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed Fortunam Reip. obstitisse.* Sic I. de N. D. c. 4. *Primum ipsius Reip. causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse et ad decus et ad laudem civitatis res tam graves, tamque praeclaras, Latinis etiam literis contineri.* Et in I. de Finibus c. 3. extremo.

ACADEMICORUM LIB. 1.

P. 241. l. 3. (not.): In Ed. Rom. an. 1471. Titulus sic exstat: *Pars libelli Ciceronis de Philosophia.* In ed. Ven. 1494. vocatur *Hortensius.* — l. 8. *a Roma* (var. l.) ed Rom. et Ven. — l. 9. *continuo eum ad* (v. l.) ed. Rom. — l. 14. *paulumque quum abissemus via* (v. l.) Ed. R. et V. — l. 18. *ea* abest ab ed. R. et Ven. — l. 23. seu *abissemus.* — l. 24. *illi* (v. l.) — l. 24. (Post *repugnanti*): sic in 3. de Finib. c. 2. *Quid tu, inquit, huc? a villa scilicet:* nempe tua. Et in Catone Maiore: *Cuius quidem villam ego contemplans; abest enim non longe a me*, vel: *a mea.*

P. 242. l. 1. *Et si quid* (v. l.) ed. R. — l. 2. (post *sine* not.): sic idem in Bruto c. 3. et 42. — l. 3. *et quid* (v. l.) ed. R. —

l. 4. (post *diutius* not.): sic plane in Bruto c. 5. *Iam pridem enim conticuerunt hae literae.* — l. 5. *illum* abest a Rom. ed. et Ven. — l. 8. (ad voc. *intemperantis* not.): *Plus scire velle quam satis sit, intemperantiae genus est.* Seneca Ep. 89. — l. 10. *ad hunc eum.* Sic plane ed. R. — l. 18. *hoc ante tempus* (v. l.) ed. R. — l. 22. *que* deest ed. R. — l. 23. *quare quidem cur* (v. l.) ed. R. — l. 25. *et* abest a R. — l. 25. *id studium.* Rom. sine copul. Hinc suspicio est glossema esse huius verbi *totaque ea res.* — l. 26. *ars* (v. l. in loc. voc. *res.*) — l. 33. (post voc. *Hieronymo*): hunc locum adlegante. — l. 35. (post voc. *nostram*): et in Bruto c. 3. *istum ipsum* retinent.

P. 243. l. 2. *ista* abest a R. — l. 3. *Et* abest a R. — l. 10. *scribere nolui* (v. l.) Ed. R. — l. 11. *Vides autem eadem ipse: didicisti enim non posse nos T. Fannii.* Ed. Rom. — l. 16. *aperta* (v. l.) R. — l. 18. *Rhetorum* mallet Z. Pearce. — l. 19. (ad voc. *vim* not.): *Stoicis hanc habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt.* De orat. l. 3. c. 18. — l. 22. *a nobis ne accipient quidem* (v. l.) R. — l. 25. (in voc. *Amafanius*): *Fannius* (v. l.) R. *Amafinius* Tusc. 4. c. 3. Quem locum vide. De Lucretio nihil dixisse miror: sed eum suspiciebat, atque etiam quamquam subobscure notavit in *Tusc.* I. 21. Praeterea notandum est ab Epicurea ratione aversum fuisse M. Varronem, qui hic loquitur. — l. 35. (post *alibi*): vide tamen nostrum in I. de oratore c. 10: *Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent.*

P. 244. l. 2. *Philosophica* (v. l.) ed. R. et V. — l. 2. *quam* (v. l.) R. *cum* abest a R. — l. 4. (ad. voc. *geometria* not.): vide omnino de fin. l. 5. c. 4. — l. 9. *enim* (v. l.) R. — l. 13. *potest* (v. l.) R. — l. 16. *si vero* (v. l.) R. — l. 16. *quam, ut scis, nos* (v. l.) — l. 21. (ad voc. *constantiam* not.): Sic de se sentit et Cicero: *quum enim te semper magnum hominem duxi, tum quod his* cet. Ep. Fam. l. 9. ep. 6. — l. 24. (ad voc. *munus homini* not.): Vide omnino Ep. 5. l. 15. Fam. *Extremum illud est, ut quasi diffidens rogationi meae, philosophiam ad te adlegem: qua nec mihi carior ulla res in vita fuit, nec hominum generi maius a Diis munusculum est datum.* Vide et Davis. Tusc. I. c. 25. — l. 25. *i. e. ad Graecos ire iubeo.* Haec notantur ut spuria ad marg. ed. R.

P. 245. l. 3. *magnopere* (v. l.) R. — l. 6. *vel a Latinis* (v. l.) R. et V. — l. 8. (post *non*, not.): vide omnino de Fin. l. 1. 3. — l. 14. *sunt inquam ista.* Graecum est ἐστὶ ταῦτα. — l. 17. *deduxerunt* (v. l.) R. et V. sed Augustinus *reduxerunt* et recte quidem, ut in Laelio *de amic.* c. 3. *Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipionis ex multis diebus, quos in vita celeberrimos et laetissimos viderit, illum diem clarissimum fuisse, quo, senatu dimisso, domum reductus ad vesperam est a patribus conscriptis, a Pop. Rom. sociis et Latinis pridie quam excessit e vita.* Vide et in Bruto *quum eum socii domum reduxissent* c. 22. Adde locum eximium ex Catone maiore c. 18. *Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque commu-*

nia, *salutari*, *appeti*, *decedi*, *assurgi*, *deduci*, *reduci* cet. — l. 21. *locorum*, *regionum* (v. l.) Ed. R.

P. 246. l. 5. *sed da mihi nunc satis. Nec probas* (v. l.) ed. R. Hoc concede; ut apud August. contr. Acad. l. 1. c. 3. *Et ille*, *Temere dedi*, *inquit*, *fuisse sapientem Ciceronem.* Vel *da veniam*, *f. excusez ma franchise.* Vid. Dialog. de oratore 1. — Sic in Bruto c. 10. *concede tamen.* — l. 16. *Ipericlem* (v. l.) R. — l. 31. (post *sane falsa*) vide Tusc. I., 11. et in lib. I. de orat. c. 18. *Tum Antonius*, *probas mihi*, *inquit*, *ista*, *Crasse*, *quae dicis.* — l. 33. (post *Cantabrigiensis*), nec Rom. 1. De re ipsa vide de fin. l. 1. 2.

P. 247. l. 7. abest *quidem* R. — l. 11. *sed de te ipso quid est*, *inquit*, *quod audio? quanam*, *inquam de re.* Haec omisit R. — l. 23. *non* abest a R. — l. 27. *nisi molestum est* quod Graeci dicunt, εἴ τι μὴ λυπεῖ. — l. 28. *sane istud est* (v. l.) R. — l. 34. (post *mente scil.*): et I. de fin. Aldus c. 19. *ab iisque vitiis*, *quae paulo ante collegi*, *abest plurimum;* et in Orat. I. 28. *a quo ipse longe absum*, *inquit Crassus* cet. c. 60. *Equidem tantum absum ab ista sententia* cet.

P. 248. l. 18. *et* abest a R. — l. 20. (ad voc. *praestare ceteris* not.): Vide omnino ipsa Socratis verba apud Iustinum M. Cohort. ad Graec. p. 111. 26. et praecipue *Socratis Apol.* apud Platon. p. 111. 19. in opere eximio Platonis de rebus divinis. — Ult. (Post. *Bentleius*) sic et allegavit Petrus Marsus in commentariis ad Cic. de Off. l. 1. c. 1. sic et R. ed. et V.

P. 249. l. 8. *praestantissimo* (v. l.) R. — l. 12. (ad voc. *ambulantes* not.): ut ambulando et disserendo tum corpora, tum animi salutariter exercerentur. — l. 19. *adhibita adfirmatione* (v. l.) R. — l. 30. (post *arbitrabantur*): Propthereaque Socrates ea simulatione utebatur, quum Sophistam quempiam fastu tumidum atque inflatum irridere vellet: tum enim quam viles, contemptibilesque sint magis sentiunt, quum eo, qui se nihil scire simulet, imperitiores esse convincuntur. Themist. *Orat.* I. p. 33.

P. 250. l. 1. *hoc doceo?* (v. l.) R. — l. 2. (ad voc. *sus Minervam*): Hoc habet a Theocr. Eidyll. 5. v. 23. ὗς ποτ' Ἀθηναίαν ἔριν ἤρισεν, *sus contra Minervam certamen suscipit.* Vide omnino Hieronymi epist. p. 145. — l. 15. *partem illam* (v. l.) R. — l. 21. *et* abest a R. — l. 26. (ad voc. *celeritatem*) pedibus velox Achilles (Il. *A.*) — l. 30. (post voc. *benignius*) quod habet R.

P. 251. l. 3. *ingenii* (v. l.) R. alii ad comprehendendum ingenuitatem idonea: h. e. virtutem, honestatem. — Ult. cet. Sic quoque Rom. 1.

P. 252. l. 2. *Philosophique* (v. l.) R. — l. 24. *at aequitas* (v. l.) R. — l. 30. (post *metaphrasin*) Rom. quoque *in prima natura.* — l. 31. (post videtur): ut quoque Rom. — Ult. (post eligit) R. et V.

P. 253. l. 11. *datis* (v. l.) R. — l. 16. (ad voc. bene. n.): sic plane in 3. de Fin. c. 4. Terent. in Eun., ubi Thraso ad Gnathonem *bene fecisti; gratiam habeo maximam.* Act. V. sc. ult. — l. 31. (post voc. *melius*) et sic Rom. — Ult. (— *est*) R. et V.

P. 254. l. 7. *necesse fuerit* (v. l.) R. — l. 11. *quoque utimur pro Latino* (v. l.) R. — l. 18. *quintum genus e quo astra mentesque singulares. Eorum quattuor quae supra dixi dissimile Aristoteles quoddam* (v. l.) R.

P. 255. l. 4. *in utroque* (v. l.) R. — l. 18. *caelestia maxume, deinde in terris ea, quae pertinent ad homines.* Haec omittit R. 1. — l. 20. *interdum eandem* (v. l.) R. — l. 21. *qua nihil aliter possit atque ab ea constitutum sit inter* (v. l.) R. — l. 25. *improvisa haec* (v. l.) R. — Ult. (post *ignorant*) vide omnino Homerum Il. *B.* 484.

P. 256. l. 7. *omnis* (v. l.) R. — l. 8. *esse dicimus* (v. l.) R. hinc suspicio est, Cic. ita scripsisse: *sensus autem quos veri nuntios et interpretes dicimus, omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur.* — l. 13. *eidem* (v. l.) R. — l. 24. *in quo tradebatur* (v. l.) R. — l. 31. (post *ep.* 58.): et Arnob. *incorporales formas* p. 28.

P. 257. l. 3. *respondeam etiam* (v. l.) R. — l. 6. (ad voc. *Aristot.*) in Ethicis ad Nicom. l. 1. c. 4. sed leniter et amice. — l. 11. (ad voc. *ferat* not.): viro in philosophia Peripatetica modestissimo doctissimoque Gell. I. 3. — l. 14. *in ea sola* (v. l.) R. — l. 28. (ad voc. dissereret not.): sic Fam. l. 15. ep. 21. *Primum, quod ita iudicabam, acute movebatur.*

P. 258. l. 17. *si quae essent* (v. l.) R. — l. 23. *locabat quaedam* (v. l.) R. — l. 32. (post voc. *dubito*) Augustinus tamen *acutule movebar* Confess. l. 3. c. 7.

P. 259. l. 1. *omnis* (v. l.) R. — l. 3. *hic . . . . disserebat* haec omisit R. — l. 8. *illi* abest a R. — l. 15. *iis* (v. l.) R. — l. 20. (ad voc. *intemperantiam*) *Omnium perturbationum fons est intemperantia, quae est a tota mente etiam a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo adpetitiones animi nec regi nec contineri queant. Cic. Tusc. IV.* — l. 23. (ad voc. *superiores*) *ut Critolaus et Peripatetici eius, ex quinta nescio qua substantia, si et illa corpus, quia corpora includit.* Tertull. de anima c. 5. — l. 31. (ad voc. *perturbationem*) Male, sequitur enim: *hic omnibus. HIS quasi morbis voluit carere sapientem.*

P. 260. l. 5. si *iunctos* legas, vide Valentiam p. 31. sqq. et lege *quos iunctos esse censuit et ictos a quadam . . . .* — l. 17. forsan *inquam*: si Cicero loquitur. Si Atticus, legendum *inquit A.* Sed haec litera absumpta esse videtur.

P. 261. l. 7. *illi* abest a R. — Ult. ut Rom. I. quam sequitur fere.

P. 262. l. 7. f. *armantes* ut in Fin. l. 2. c. 27. *Itaque ab eo armatum esse Carneadem*; et in Orat. l. 2. c. 17. *Armatur adversarius* dicit de oratore sibi opposito. Et Aug. contra Acad. l. 2. c. 10. *Etiam contra eos ipsos non invitus armabor.* Et l. 3. c. 10. *et ut orationem tuam large lateque diffundas, arripis rixas dissensionesque Philosophorum et eas sibi contra illos arma ministrare arbitraris.* — l. 31. in I. de Finib. et in f. l. 2. c. 39. *Tenemusne quid animus sit?* et Arnob. l. 2. p. 78. *Coniicitis enim, non scitis, suspicamini, non tenetis:* et deinde, *Ergo qui suspicatur non tenet, nec in lu-*

mine positus cognitionis incedit. — l. 33. (post *sententiam*): R. tamen ut V.

P. 263. l. 3. (ad. voc. *turpius*): hinc legas vel meo periculo *quid temeritate turpius?* in l. 1. de Nat. deor. c. 1. — l. 18. *partis* — *et* absunt a R. — l. 19. *que ex* id. — l. 20. (ad. voc. *Epicureo*): *et hoc ille acriculus, me audiente Athenis senex Zeno istorum acutissimus.* Tuscul. III. 17. — l. 26. Gellius XVI. 3. *dies plerumque totos dixit*, et Cic. ipse de N. D. l. 2. *Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui liberi superstites essent.* Totos dies igitur proverbialiter dixit quasi *fere semper.* Videtur a Platone habere. *οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην.* Apol. Socr. p. m. 27.

ACADEMICORUM LIB. 2.

P. 265. l. 10. *rebus humanis* (v. l.) R. Sed postea, *ut enim urbanus:* quasi alia lectio. Sic in Bruto, de Isocrate; *quamquam forensi luce caruit* c. 8.

P. 266. l. 1. *primo* (v. l.) R. — l. 6. (ad voc. *gloriam*): vide nostrum in oratione pro Murena, 15. p. 478. — l. 15. *factus imperator*, un général tout formé; sic Corn. Nepos in Attico c. 15. — l. 18. (ad voc. *verborum*) Vide omnino de Hortensio c. 88. in Bruto. — l. 27. *aut viderat* (v. l.) R. — l. 28. *praeditus* videtur redundare. — l. 32. (post *eadem*): sed Rom. *desideravit.*

P. 267. l. 6. *instrumenti* (v. l.) R. — l. 8. (ad voc. *post*): *quod ante dixerat in oratione pro L. Murena c. 15. p. m.* 478. *Plinius autem vocat eum maximum sua aetate regum.* H. N. l. 25. 1. — l. 20. *paene introduximus* (v. l.) R. — l. 28. *externa* (v. l.) R. — l. 30. (post *perficit*): *quod satis est, satius est:* ut ait ille. — l. 33. (post *Davisius*): vide et nostrum in lib. 2. de Orat. c. 74.

P. 268. l. 5. *pro quaestore* (v. l.) R. — l. 17. *nimiam* (v. l.) R. at V. ut posui. — l. 19. *reliqui, qui etiamsi* (v. l.) R. — l. 24. (ad voc. *illa*): de ea vide Plut. in apopht. p. 200.

P. 269. l. 9. *videndum est* (v. l.) R. — l. 10. (ad voc. *in gradu n.*) Praesidium vocat I. de Fin. c. 3. *non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a Pop. Rom. locatus sum,* vide et in Cat. Mai. c. 20. *Vetatque Pythagoras* cet. — l. 33. (post *inde cetera*): Vide omnino Tusc. l. 3. *ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam otiosi.* Rom. tamen *debeamus.* Et ep. 15. l. 9. Famil. *Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus.*

P. 270. l. 1. *nos ferremus* (v. l.) R. — l. 7. *facilis est* (v. l.) R. — l. 8. *contatione* (v. l.) R. — l. 15. (ad voc. *exquirendi* not.): *Neque debet iuvenis philosophandi trahere moram; neque senex ullatenus philosophando defatigari:* Epicuri effatum, Gassendi *Phil. Epic. synt.* p. 366. Vide et nostrum l. 1. de Fin. c. 1. *Nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris: et quaerendi* defatigatio *turpis est, quum id quod quaeritur sit pulcherrimum.*

P. 271. l. 8. (in *adhaerescunt*): sic plane in 5. de Fin. c. 18. et Horat. *Quo me cunque rapit tempestas deferor hospes* ep. 1. l. 1. —

l. 8. *Nam quod debent omnia* (v. l.) R. ubi vir cl. correxit *omnino*.

P. 272. l. 16. *nec* sic R., ubi tamen vir cl. substituit *sed*. — l. 27. *pro quaestore* R. — l. 27. (in voc. *Alexandriae*) non Aegyptiacam illam, sed Syriacam ad mare prope Pylas Syriae supra Antiochiam. — l. 34. Davis. *labefacta*.

P. 273. l. 5. *et Antiochum* R. — l. 28. R. quoque *leniter*.

P. 274. l. 11. dubium an *levior*. — l. 12. *rursus* abest a R. — l. 18. *P. Valerium* R. — l. 20. *tulerunt* R.

P. 275. l. 3. *nihil quidem* R. — l. 5. *similes* R. — l. 10. *vestrum* R. — l. 12. (in voc. *Arcesilae*) sic Aug. l. 3. cont. Acad. c. 17.

P. 276. l. 11. (Not.): in hoc genere Fannius in annalib. suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse et eum Graeco verbo appellat *εἴρωνα*. De orat. l. 2. c. 67. et in Bruto c. 67. *Quare εἴρωνα me* cet. . . . . — l. 31. Rom. ut vulgo. Ven. autem ut edidi.

P. 277. l. 7. *Carneadem Strato Nicaeus*. Rom. abest *Metrodorus*. De quo vide omnino Cic. de orat. l. I. c. XI. *Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum Carneadem audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum.* Isne fuerit Scipionis Aemiliani praeceptor, de quo Plinius l. 35., vide temporum dispositores. — Ult. alii per *ullam rationem* intelligunt *ullam sectam philosophorum*.

P. 278. l. 1. *putet soli* R.

P. 279. l. 18. f. *sani sint*. — l. 19. f. *removeantur*. — l. 22. *deducimus* R.

P. 280. l. 6. *quo autem parva videntur esse delicta* cet. Cic. Off. I. — l. 14. *inter* videtur redundare. — l. 16. *insaniat* R. — l. 26. *notitiae nobis* R. — Ult. et Rom. quoque *ennoeas enim* . . .

P. 281. l. 1. *disputari ve* R. — l. 22. *autem* R. — l. 29. (post *agitur*): R. *quam*, ut ad artem referat. — Ult. *atque agendo* R.

P. 282. l. 12. *aut officium* R. — l. 19. *possint* R. — l. 31. (post *concinnius*): R. ut vulgo. — l. 32. R. *quid? quod si ista vera* . . . . — l. 34. et sic Lucretius II. 172. *dux vitae dia voluptas*.

P. 283. l. 18. (ad voc. *pravitate*): Sic et alibi ipse Cic. *Idemque etiam legis perpetuae* cet. De Nat. D. I. 15. — l. 26. (*quaerendi et*): *et* abest a R. -- l. 33. et Itali ante eum *la cecità*, at et ipsi Galli temporibus Caroli IX. dicebant, *cécité sans guide*. Trésor de sentences, imprimé à Rouen 1578.

P. 285. l. 29. *esse initium ignoraret* (v. l.) R. — l. 31. R. *sapientisque satis sit non esse falsum*. — l. 33. ut et R. — Ult. sed Rom. ut vulgo.

P. 286. l. 2. *est* abest a R. — l. 15. *construit* R. et MSS. et Ed. Victorii. — l. 20. *profecta* R. — l. 34. (post *Ven. n.*) et R.

P. 287. l. 4. *ii* R. — l. 30. Cic. in fragm. ex Augustino.

P. 288. l. 11. *possit ita videri* R. — l. 14. *se ei non ademisse* R. — l. 18. *sive in probabilem* R. — l. 26. *ut ne possit* R.

P. 289. l. 9. *inaniterve* R. — l. 18. *quo est* R. — l. 22. (ad

voc. *circumspectione*): Haec est φαντασία periodeumena; vide Valentiam p. 71. — l. 32. sicut et R.

P. 290. l. 2 et 3. *quo modo* absunt a R. — l. 24. *quod inanimum nihil agit* deest in R. — l. 27. *potestate sita* R. — l. 29. Ven. et R. — l. 32. sed nihil mutandum; *abesse* et *adesse* forensia verba sunt. Itaque *nobis absentibus* idem valet ac *non defendentibus* notante Wopkens: quod verum est.

P. 291. l. 10. *sed hoc* R.

P. 292. l. 32. ut R. — Ult. sed Rom. *veris*.

P. 293. l. 16. *earum* R. — l. 25. *quoniam vel illa* R. — l. 32. R. quoque *non posse* . . . — Ult. sed Rom. *contra etiam dissimilitudines*.

P. 295. 22. (ad voc. *inaniter*): sic et August. Confess. l. 7. c. 5. *aut si inaniter timemus, vel timor ipse malum est.* — l. 30. aut *plane* aut *proxime* tollendum ut glossema. — Ult. R. tamen *illa*.

P. 296. l. 16. *ut* abest a R. — l. 20. *quidem et permulta* R. — l. 24. *utentur* R.

P. 297. l. 11. *ut si lupi* R. — l. 23. *per merum* R., ubi sciolus quidam *metum* supposuit. — l. 29. (ad voc. *perspicua*): C'était la réponse des Stoïciens: *Praesertim ut Chrysippus Academicos refellens* cet. Cic. de Divin. l. 2. in art. de somniis, quae minime clara existimat ideoque sibi non constat. N. B.

P. 298. l. 5. *me et ego* R. — l. 9. *somnii species* R. — l. 10. R. *primum interest . . . sed id omittamus.* Ubi videtur hiatus latere: sed quis audeat? — l. 17. *edormierunt* R.

P. 299. l. 20. *insania est* R. — l. 30. *ut sibi* R.

P. 300. l. 9. *et eo quidem* R. — l. 13. *quoque* abest a R. — l. 14. *sic sit par* R. — l. 22. (ad voc. *politioribus*): *subtilioribus* scil. — l. 30. Rom. *eo*, non *eos*. — l. 31. Ven. et Rom.

P. 301. l. 32. R. *neque id est contra vos.* — Ult. ut vulgo et recte quidem.

P. 302. l. 1. *animos* R. — l. 13. percipi. — Ult. sic et R.

P. 303. l. 10. *sed iam etiam* R. — l. 14. (ad voc. *Hortens. q. nostrum*): praesertim quum Hortensius, liber Ciceronis, iam eos ex magna parte conciliasse philosophiae videretur. Aug. contr. Acad. l. I. c. 1. — l. 19. (ad voc. *ademerat*): cuius existentiam negabant: *Κιμμερίους δὲ οὐδεὶς εἶπεν ἀσεβεῖς, ὅτι τὸν ἥλιον οὐδ' εἶναι τὸ παράπαν νομίζουσι.* Plut. de superst. p. m. 169. — l. 30. R. *dubitabo*.

P. 304. l. 10. sic plane Catullus 53, 5.: *Admirans ait haec manusque tollens: Di magni, salaputium disertum.* — l. 25. *cave* abest a R. — Ult. R. *ut ei respondere posse diffiderent.*

P. 305. l. 10. *dixero* videtur redundare: ut infra; *sed prius pauca de Antiocho.* Sic in 3. de N. D. c. I. *Sed primum pauca de me.* Et inf. c. 22. *Sed cum hoc alio loco plura.* — l. 27. (ad voc. *turpissimum*): Vide lib. I. de Nat. D. c. I. *Quid temeritate turpius?*

P. 306. l. 2. (ad voc. *quidem sum*): Et hic et in Hortensio saepius idem confessus est Cicero, teste August. contra Acad. l. 3. c. 14.

Clamat Cic. se ipsum magnum esse opinatorem cet. — l. 4. (ad voc. *Cynosuram*): *Hinc Arctos alta parte glacialis poli Sublime classes sidus Argolicas agit;* Seneca in Herc. fur. — l. 8. (ad voc. *tenent*): Et Manil. I. 306. (vide locum.) — l. 15. *iisque* R. — l. 16. (ad voc. *arbitror*): vid. omnino Tuscul. I. 9.

P. 307. l. 16. sic plane Aug. Confess. l. 6. c. 4. *Tenebam enim* cet. — Ult. R. *diiunctius*.

P. 308. l. 3. *quis inquam* R. — l. 9. *quid enim* R. — l. 14. (ad voc. *nominis* not.): ὃν τρόπον καὶ οἱ οὐ κοινωνοῦντες cet. Iustin. M. Apol. 2. p. 54. — 24. (ad voc. *quum aestuaret*): sic fere Petronius initio p. 4. *Non passus est me diutius declamare in poëtica, quam ipse in scholis sudaverat.* — l. 24. (ad voc. *solem non ferunt*): *Ils ne sauraient soutenir le grand iour: Sed ut pugiles inexercitati etiam si pugnos* cet. in Bruto, c. 69.

P. 309. l. 28. R. *ut ii qui sub nubes solem* . . .

P. 310. l. 14. (*Tenebricosos*) Lege si placet: *Esse sensus quidem, sed obscuros, sicut tenebricosos: sic etiam adpellat eos is qui maxime hunc est admiratus* . . . Romana autem: *Esse sensus quidem non obscuros dicit nec tenebricosos, sic enim appellat eos is qui maxime hunc est.* Illud *non* Monachi est ineptientis.

P. 311. l. 2. *aiebat* R. Lucullus scil., ut fere ubique *inquit*, non *inquis*: comitate Romana. — l. 7. *Excepit unum: Tantum scire se, nihil scire* R. — l. 14. (*num quem*) Vide quomodo refellat istam ironiam Iustin. M. Cohort. ad Graec. p. m. 26. — l. 23. *At* abest a R. Sed legi potest: *Dissolvit idem: mihi quidem non videtur.* — l. 26. f. *vidisset.* — l. 27. sed Rom. ut vulgo.

P. 312. l. 1. *quid Cyrenaei? videntur mihi minime contenti philosophi* . . . R. — l. 11. *ipso quidem* R. — l. 31. (*fuerat*) Sic et in Divin. contr. Verr. *Quid illa Caecili? contemnendane tibi videntur esse?* — l. 32. quem vide in N. D. l. 1. ferme ab initio.

P. 313. l. 15. (*Metrodoro*) Stratoniceo scil., de quo ante c. 6. — f. *quum.* — l. 18. (*neque*): f. *aut*; nisi ita mavis: *Tu autem negas infracto remo te, aut columbae collo commoveri.* — Ult. Itaque lege, *quamquam ne id facere posses.*

P. 314. l. 20. *audies* R. — l. 25. Et Aug. contra Acad. l. 2. c. 12. *Et Licentius, mane, ait, quaeso, nam mihi sublucet nescio quid.* — l. 31. Rom. et Ven.

P. 315. l. 14. *suspicare* R. — l. 24. R. et V. — l. 34. R. *neque tam quereretur.* — l. 36. *Nam et navigantibus moveri videntur ea quae stant:* ut ait ipse Cic. de divin. l. 2. c. 58.

P. 316. l. 6. (*confirmant*) vel uno ore affirmant, vel suis demonstrationibus ostendere conantur. — l. 18. (*in parvolis*) Forsan legendum, *quam in parvo lis sita* vel *sita sit.* — *Parvulis!:* de petits articles, de petites choses: comme dans son traité de Senectute ch. 14. *quod si istis ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius, primum parvulis fruitur.* Ici il y a une ellipse. — Nihil muta: *in parvolis* quod Gallice dicimus *dans de petites choses*, ut Suet.

in Galba. cap. 6. *etiam in parvullis rebus*[1]. Sic plane in I. de leg. c. 20.

P. 317. l. 19. *videbitur* R. — l. 20. *oportere* abest a R. — l. 30. Lambinus, *sita sit*, scil. controversia: simplicius *sitam* vel *quam in parvolis sita sit*; sensu opposito dixit idem *Vide quanta sit controversia* orationem ad Cratippum dirigens in Divinationis II. c. 53. vid. omnino locum et utrumque confer. — l. 33. R. ut V.

P. 318. l. 1. *id* abest a R. Vide Plut. adv. Stoïcos p. m. 1077. — l. 10. *Aqua*) *aq'* R. unde ego facio *atque*. — l. 11. (*eiusdemmodi*) scil. talem qualem videmus. Sic fere in toto libro. — l. 13. *eiusmodi cera* R. — l. 21. lege *quid hoc?* qu'est-ce que cela prouve? *nonne videtur* cet.

P. 319. l. 8. *iudicentur sane* R. — l. 11. *esse mentitus* R. — l. 24. *hominum* R. — l. 33. ut R. — Ult. vide omnino Plut. de repugn. Stoïc. p. m. 1036.

P. 320. l. 3. *somniare* R. — l. 10. *ut si vigilans* R. — l. 14. Vide omnino Plut. de Placitis philos. l. 4. c. 12., ubi totum locum ex Oreste refert. Ὦ μῆτερ ἱκετεύω σε cet. — l. 19. *minorem videtur* R. — l. 20. *vigilante* R.

P. 321. l. 15. *adsunt me* absunt a R.

P. 322. l. 14. sed iam experrecti iudicamus inter confusam et concursantem somniorum seriem et ordinem rerum a vigilante gestarum. *Cedo*, inquit noster in Divin. II. c. 71., *cedo tandem, qui sit ordo aut quae concursatio somniorum?* Vide et Hobbesii Leviathan, c. 14. — Ult. Postea animadverti Celeber. Gassendum idem adnotasse et ex Aristotele ipso indicasse in suo volumine de tota ratione Epicuri.

P. 323. l. 2. *diiunctio* R. — Ult. *Angite igitur eos* R.

P. 324. l. 6. *quod in* R. ut voluerit *quo tu*. — l. 16. *sustineo* R. quod si verum est, lege superiora ut vulgo. — l. 18. *superbi* R. — l. 27. f. *es?* Certe elegantius. — l. 31. (post *sustinebo*): ut quoque Rom.

P. 326. l. 18. *cautus is* R.

P. 327. l. 5. *si recte conclusit, teneo: sin vitiose, minam Diogeni reddet*. R. sed sequentia repugnant: *ab eo enim Stoïco dialecticam didicerat*. — l. 14. *iudicabo* f. redundat. — l. 15. (*totum tortuosum*) *Tortuosissimam et implicatissimam nodositatem* dixit Aug. in Confess. l. II. c. 10. — l. 22. f. *quattuor quidem*.

P. 328. l. 18. *a nobis* R. — l. 26. *ac tranquillitate*. R. — l. 28. f. *aut agendi, aut non*. — l. 32. R. *sequitur*: Unde lege: *sequeretur-que*. — Ult. Rom. ut Ven.

P. 329. l. 5. (*e robore*) Haec habet a Platone in Apol. Socr. p. m. 34. οὐδὲ ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδὲ ἀπὸ πέτρης πέφυκα. — l. 30. *brevior* R.

P. 330. l. 1. *ne sint* R. illa scil. probabilia. — l. 6. *eadem*

---

(1) Cette note complexe a été écrite en trois fois, comme l'écriture l'indique.

abest a R. — l. 24. f. *quae quum exposuit, haec.* — l. 28. (*respondendo*) *ut adprobet aut improbet* R.

P. 331. l. 23. *flavum* R. — l. 24. *proximo ei* R. — l. 25. *possis ei* R. — l. 29. R. *quid? meminisse visa, nisi comprehensa, non possumus? Quid Polyaenus? Epicuri familiaris:* de quo Stanleius p. 933.

P. 332. l. 5. (*Scyron.*) Vide 2. de fin. c. ult. *Credo Scyronem dicis* cet. — l. 8. *facilem esse ei locum* R. — l. 10. *iis ne* R. — l. 11. *se plus coniectura uti* R. — l. 12. *cui his*, R. — l. 27. *adprobare possit, dubitari non possit* R.

P. 333. l. 16. *impediat* R. optime! — l. 20. (*conserendo*): haec Arnobius exscripsit l. 2. p. 47. et ante eum ipse Seneca de Beneficiis l. 4. c. 33. *omne hac via procedit officium* cet. — l. 22. *sequere* sic R. alii *sequerere.* — Ult. et Rom.

P. 334. l. 7. *agere non possit* R. lego, *perinde quasi sapiens aut nullum aliud decretum habeat, aut sine decretis vitam agere non possit.* — l. 14. *versetur exercitatus* R.

P. 335. l. 2. f. *at mihi.* — l. 4. (*exsultare*): sic Aug. cont. Ac. l. 3. c. 3. *in hoc*, inquit, *illa visa* cet. — l. 18. *sed mihi minor est. Tale* . . . . R. f. *sed minutior*; ut saepe noster *minuti philosophi, minuti imperatores* cet. Plaute a dit: *di omnes magni minutique.* Est qui non spernat *sed multo minor.*

P. 336. l. 5. *est* abest a R. — l. 7. *ita plane* R. — l. 9. (*turpissimum*) sic in Nat. D. *quid temeritate turpius?*— l. 14. *idemque etiam* R. — l. 20. *tu solum* R. — l. 29. Et ad Herennium l. 4. c. 56. de Studio et Partit. orat. *Quod alii cum molestia tribus* cet. et lib. 1. de fin. c. 14. et l. 5. c. 6. — l. 34. c. 3. quem locum omnino vide et 1. de orat. c. 10.

P. 337. l. 2. (*Diodoto*): De eo vide nostr. in Bruto ubi iam est *mortuus* Diodotus; hic vero *vivit.* Unde colligas *Lucullum* ante Brutum conscriptum esse. — l. 29. aut quemadmodum Panaetius, licet Stoïcus, multa in Stoïcis non adprobabat. — l. 34. R. *velut illud ante* . . . . Sic et in Tuscul. me legisse memini ideoque nihil mutandum. - Ult. Aug. autem in Confess. l. 3. 12. *Respondit autem* cet.

P. 338. l. 8. *si adiiciamus.* — l. 22. (post *et qui*): ut Rom. — l. 35. et Rom. quoque.

P. 339. l. 2. *sed si* R. — l. 7. (*septem*) sic in 2. de fin. c. 3. *septem autem* cet. — l. 15. (*similes*) vide omnino Lucretium l. I. v. 830. — l. 30. sic in I. de leg. *Sisenna eius amicus* cet.

P. 340. l. 3. *in hoc* abest a R. — l. 19. sic Seneca Stoïcus in Herc. fur. *Ferro minaci hinc terret Orion deos. Sidera* scilicet: ut Statius: *Et sidera terret Orion.* — l. 20. (ad voc. *animalis*) *quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo.* Somn. Scipionis c. 9. — l. 22. (*omnis hic*): οἱ λεγόμενοι δὲ Στωϊκοὶ φιλόσοφοι .... Iust. M. Apol. 2. p. m. 51. Vide omnino *Phil. Iudaeum* eodem argumento Critolai deliria refellentem in libro *de incorruptibilitate mundi* p. m. 726. — l. 26. (*dixerit*) f. *dictaverit.* Ed. R. *veniet*

illud flumen. — l. 27. vide Plut. in Cic. p. m. 112. ed. Bryani. — l. 29. *quod nulla fuerit initio tam praeclari operis inceptio* (v. l.) R.

P. 341. l. 1. *eum esse.* R. — l. 13. *multa perniciosa* R.: unde legerim *perniciosaque.* Sic 2. de *Legg.* utrumque posuit. — l. 19. *videatur*): vide omnino *Tertull.* de anima. c. IX. — *esse* abest a R.

P. 342. l. 4. *curari se a deo* R. — l. 15. *aperuerunt*): „cui vero tantum patuit in dei opera, ut alicui haec deesse praesumpserit?" *Tertull.* de anima. c. X.

P. 343. l. 1. *terra ne penitus defixa* R. — l. 11. *Niceas* R. — l. 12. *lunam*): miratur Gassendius hic de *Luna* fieri mentionem: sed Cicero vult tantum de motu diurno nostrae terrae loqui. — l. 22. R. *neque ego.* — l. 25. R. *id est e. cont. p. t.* — Ult. Nuper animadverti in Editione Aldina anni 1523. ita haberi ut Bentleius correxit.

P. 344. l. 1. *vobis* R. — l. 3. forsan *illuditis*: ut in Orat. I. 19. *Ipsa vero praecepta sic illudere solebat* cet. c. 20. *in altero autem me illudi ab eo.* — l. 8. *tenamus ne*): vide supra L. 1. *nihil teneri.* — l. 12. *unus et* absunt a Rom. — l. 16. *utraque in parte* R. — l. 17. *ne quidem maxime quid probabile* R. — l. 31. post *numerus*) quem vide omnino in *emendationibus ad Tusculanas* p. m. 5. — l. 33. De Xenocrate vide Plut. in Apophthegm. Alex. p. m. 181.

P. 345. l. 7. *innumerabilis* R. — l. 13. *si* abest a R. — l. 26. *atque* R. — l. 22. *divinationem*) Facetus Euripides in Electra v. 399. *Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι* cet.

P. 346. l. 5. *quo omnia* R. — l. 18. *quasi*) sic de Archimede: *alterius* cet. Tuscul. V. 23. — l. 20. *altiores*): *I nunc, superbe, coelitum sedes pete, humana temne* (Sen. Trag. *Herc. fur.* 89.) — l. 32. *R. quo decempeda. Hinc enim me quasi malis architectis mensurae vestrae pago hoc permensi refertis ergo credere.* — *Dubium* R.

P. 347. l. 4. *humanissima*) sic R. vide et nostrum de Orat. l. 1. c. 8. *Quid esse potest* cet. — l. 11. *dicendum est quod ut* R. — l. 12. *physici.* — l. 28. sed in 2. de fin. c. 16. *ut altior fieret.* — l. 29. *divinissima*) aut *suavissima.* — l. 30. *blandissima*) et Rom. Vide supra de Alexandro Lysippi et annulo. — l. 4. hinc Seneca vel quicunque auctor, Octavia 385. *O! quem iuvabat* . . . . et nostr. in 5. de fin. c. 19. *sed animi cultus* . . . .

P. 348. l. 14. *Et illum qui* R. — l. 18. *Negari quorum* R. ut voluerit *Megaricorum.* — 27. *Eritras fuit* R.

P. 349. l. 11. *a pati nominantur* R. — l. 18. *finis* quasi *fines* R. — l. 24. *Et Aristoteles* R. — l. 25. *nunc proxume* R. — Ult. R. *honestum autem quod ducatur.*

P. 350. l. 16. *omnino ratio* R. — l. 21. *adsentiens* abest a R. *num quidem* R. fort. *quo quidem.*

P. 351. l. 29. *satis durum* R.

P. 352. l. 16. *mĭam* R. ut voluerit *miseriam aut molestiam.* — l. 18. *cotem*) *comitem* R. — l. 19. *atrocitas*): hoc ad praecedentia referri debet: *Et hic metuo ne vix sibi constet, qui quum dicat esse quaedam et fortunae et corporis mala, tamen eum qui in his omni-*

bus sit beatum fore censet, si sapiens sit. — l. 23. *Xenocrates*): *Socrates* R. — l. 26. sic et Horatius *ad summam sapiens* cet.

P. 353. l. 3. *furiosos* abest a R. — l. 5. *urbis* R. — l. 6. *civitatis* R. — l. 11. *Albinum*) vide nostrum in Bruto, c. 21. — l. 15. *Scripta*) De quo vide Plut. in Apopht. p. 199. *Scripserat Postumius Albinus* cet. — l. 22. *sibi dixi* R. quasi *tibi.* — l. 23. *mihi qui* R.

P. 354. l. 8. *tris reliquit* R. — l. 11. *divello* R. — l. 14. *blandiatur*): *sed si aliquid dandum est voluptati* cet. Cic. in Cat. Mai. 13. — l. 25. *ipsum finem velim* R. — l. 26. *ipsa se* R.

P. 355. l. 3. *quo magis reprehendendos* cet. Cic. de Off. 3. c. 33. — l. 13. *honestatis*) sic fere in I. de fin. *Illi enim* (Stoici) *negant bonum* cet. et Tuscul. IV. 15. *igitur virtus est affectio* cet. — l. 33. Quamvis et ipsi Iudaei in hanc viam nobis praeiverint. Eorum vide Catechism. p. 4. *Me vero hac causa fecit Deus*, inquit discipulus, *ut ipsius honori servirem, numen eius colerem et vererer et quaecunque illi grata sunt ea facerem nulla proposita mercede, quamquam merces futura est aliquando* cet. et Philonem in Abrahamo. p. m. 288. *Prima praemia ferent qui me colunt propter me ipsum* cet.

P. 356. l. 8. *intumus* R. — l. 20. *nunquam* R.

P. 357. l. 16. *est* abest a R. — l. 30. *possis* R.

P. 358. l. 4. *quod si* R. — l. 6. *nec nobis succenserunt* R. recte hoc. — l. 15. *videri*): sic in I. de fin. c. 7. de sententia in Torquati filium, *neque ex utroque* cet.

P. 359. l. 20. *ascendimus* R. — l. 26. p. 257. *in ea sola* .... — Ult. p. 344. nobilitatis sui . . . lege *fui.*

G. MORELII OBSERVATIONES IN LIBROS DE FINIBUS.

Observationum Guilielmi Morelii Tilliani in M. T. Ciceronis libros quinque de finibus bonorum et malorum, commentarius ad Iacobum Spifamium, scholae Parisiensis cancellarium, et in supremo senatu praesidem. Parisiis apud Ioannem Lodoicum Tiletanum ex adverso collegii Remensis 1546. 4.

Iosephus Olivetus in *Praefat. Edit. Cicer.* pag. XXVI. edit. Patav. a. 1773. 8.: „Guilielmus Morelius, Tillianus, in agro Caletensi. Prodiit Lutetiae a. 1546. Observationum in libros quinque de finibus bonorum et malorum Commentarius, quem titulus huic Morelio asserit, sed Pithoeus Turnebo vindicat. Reclamant certe pro Morelio viri docti. (*Anti-Baillet*, cap. 68.) Ac mihi quidem, si necesse est sententiam dicere, non videtur inesse in ea lucubratione subtilis et acuta brevitas illa, quae Turnebi propria est: verum cuiuscunque est auctoris hoc opus, quis neget magni pretii esse, quod Pithoeus Turnebo dignum iudicavit?" — Excerpsimus ea dumtaxat, quae ad lectionis varietatem spectant.

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.

LIBER I.

§. 2. *in eo, quod semel admissum coërceri reprimique*] In Cod. MS. est „quod semel *iam* missum", ut eo respexisse videatur Cicero, quod dici solet, telum emissum revocari non posse.

§. 6. *Quid Theophrastus?*] In veteri Codice est: „Quid Theophrastum"? quam lectionem etiam adnotarunt Germani (id est, Cratander.)

§. 16. *Hic mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem*] In veteri Codice est: „nisi mihi Phaedrum", ut etiam Germanici Codd. ad marginem adnotatum habent.

§. 26. *Etenim quasi detractis de homine sensibus*] Haec verba supervacanea sunt et e loco quodam consequenti post paginam [nimi-

rum integram huc traducta fuerunt. Quam rem ex veteri quodam manuscripto codice facile animadverti. In eo enim non tantum haec verba erant adscripta, sed et alia non pauca, ex eodem inferiori loco desumpta. Sic enim illic legitur: „Nam ante Aristippus, et ille melius. Etenim quoniam detractis de homine sensibus reliqui nihil est, necesse est quid ad naturam aut contra sit, a natura ipsa iudicari et expetendam et dolorem ipsum per se esse. Addidisti ad extremum cet." Nec certe antea dubitaveram verba illa esse expungenda, quod nihil ad rem facerent, et iis sublatis integra maneret sententia, in hunc modum: „Nam ante Aristippus, et ille melius. Addidisti ad extremum etiam indoctum fuisse." Librarii ut accommodarent verba ea, alii aliter atque aliter mutaverunt.

Paullo supra, ubi Codices excusi habent: „Nisi te quoque ut id modo loqueretur" manuscriptus habet: „nisi te quoque ut modo loqueretur." Basileensis margo: „nisi te, quoquo modo loqueretur", quae vera lectio videtur.

§. 27. *Quamobrem disserentium*] pro „disserentium" in veteri Codice est „dissentientium."

§. 30. *A natura ipsa iudicari*] Post haec verba nonnulli Codices habent praeterea, „voluptatem et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum", quae vir doctissimus Camerarius subditicia putat: et certe in veteri Codice, quo usi sumus, non reperiuntur: tametsi in eo loco, quem hinc traductum superius dixi, eius lectionis vestigia appareant. Ita enim legebatur: „Iudicari et expetendam, et dolorem ipsum per se esse." Quod etiam nostram confirmat de traductis verbis sententiam.

§. 34. *Nec me tamen — corrupisti*] Manuscriptus Codex habet „corripuisti" quod etiam Germani adnotarunt. Vulgata tamen lectio vera videtur. Libro enim secundo, ubi, quae hic confirmantur, refelluntur, huius loci ita mentio fit: „Delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere, delector, inquam cet."

Itaque turbentur] Alii „turbent" quod probat Camerarius; sicque habet manuscriptus Codex.

§. 38. *Quod quibusdam medium videtur — caret*) Vetus Codex habet: „Quod quibusdam medium videtur, omni dolore careret. Si pro „careret, carere" legas, ea vera lectio esse videtur: „Quod quibusdam medium videtur, omni dolore carere.

Omni autem privatione doloris] Verba Epicuri *παντὸς τὸ ἀλγοῦντος* indicant, hic pro „omni autem privatione doloris" legendum esse: „omnis autem privatione doloris."

§. 41. *Nulla praeterita nec praesenti*] In veteri Codice scriptum est: „nulla praeterea nec praesenti"; et ita Codices Germanorum adnotatum habent. Quam veram esse lectionem fatebitur, qui hunc locum Libro II. repetitum legerit. Sic enim habet: „At quam pulchre dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti nec futuro dolore: ex altera autem cruciatibus cet." Vides nihil illic de praeterito, quare pro „praeterita — praeterea" legamus.

§. 42. *Quoniam autem id est vel summum bonorum*] Supervacaneum videtur verbum „bonorum", quod nec habet manuscriptus codex.

§. 46. *Omnes doceat vias*] in veteri codice est: „omnes monstret vias", ut etiam Germani se reperisse significarunt.

§. 50. *Etsi vero molita quippiam est*] In aliis sic legitur: „etsi vero impietas molita quippiam est."

§. 51. *Quod si quis satis opibus hominum sibi contra conscientiam*] Germanici Codices: „Quod si qui satis opibus sibi contra conscientiam." In veteri deest verbum „opibus" in hunc modum: „Quod si qui satis hominum sibi contra conscientiam saepti esse videntur." Et quod uno verbo hic habet „saepti" alii „saepti et muniti."

§. 52. *Et opes vel fortunae vel ingenii*] Sic in veteri legitur: „Et opes, vel fortunae, vel ingenia", quod etiam adnotarunt Germani.

§. 61. *Alii appetendo omnia petulantes*] In veteri Codice tantum scriptum est: „alii petulantes"; ut ea duo verba: „appetendo omnia", huc irrepsisse ex alicuius grammatici scholio videantur.

§. 63. *Maximasque ab eo, et gravissimas*] Duo verba; „ab eo" in veteri Codice non sunt, nec in Graeco. Ideo expungenda, quum ad sententiam nihil faciant.

§. 63. *In physicis quidem plurimum posuit: ea scientia et verborum vis.*] Alii Codices habent: „In physicis quidem cum plurimum possint ea scientia et verborum vis." Ioach. Camerarius verum putat: „In physicis quam plurimum posuit." In veteri, quo usi sumus Codice, ita scriptum est: „In physicis plurimum posuit: ea scientia" cet.

§. 66. *Sed ad rem redeamus.*] Alii Codices legunt: „Sed ad rem redeamus, de omnibus dici necesse est." Vetus Codex addit negationem, „dici non necesse est", et sequitur: „Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum." Verbum „esse" in aliis deest. Melius pro „omnibus, hominibus" legeretur.

§. 68. *Praeclare enim Epicurus — Eadem inquit scientia*] Locus ex libello, quo κυρίαι δόξαι continentur, me admonet, ut „sententia" hoc loco pro „scientia" legendum esse existimem. Nam γνώμην „scientiam" Cicero vertere non potuit, ut γνῶναι cognoscere et scire dicimus.

§. 69. *Itaque primos congressus copulationesque*] Germanici Codices habent ad marginem: „Et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter" cet. Quam lectionem vetus noster Codex retinet, praeterquam quod pro „voluntates" immutata una litera „voluptates" habet.

LIBER II.

§. 1. *Primum, inquam, deprecor, ne me tamquam philosophum*] Verbum „deprecor" ille vetus Codex non habebat, et in principio pro „hic, sic" positum erat.

§. 5. *Velim definire, quid sit voluptas*] Alii Codices habent: „velim definias."

§. 6. *Quae vis subiiciatur*] Alii Codices habent: „quae res subiiciatur."

§. 7. *Metrodorum non putant*] In aliis Codicibus est: „non puto."

§. 12. *Sic vos de Pelasgis omnibus*] Quidam legunt: „de Pelagis" exponuntque de colluvionibus hominum et confusa multitudine. Alii „Pelasgis", et docent Pelasgos genus hominum fuisse vagabundum et errans. Nos in veteri Codice reperimus scriptum „de plagis omnibus", et paullo post pro „semper eruditos, pereruditos"; quam utramque lectionem ad marginem libri sui Germani adnotarant.

§. 16. *Credo quidem, vos nec in dolore* cet.] Hic locus in veteri et manu scripto codice sic legitur: „Credo quidem nos nec in dolore, nec in voluptate esse, ut in voluptate sit, qui epuletur, in dolore, qui torqueatur." Germanicus codex habet ad marginem: „Credo idem vos."

§. 17. *Dialecticam pugno similem*] Ita habemus in impressis Codicibus; vetus autem codex habet: „pugnis", et paullo post, ubi alii: „nec ea, quae docet, vult ulla arte distingui" idem ille manuscriptus habet: „nec ea, quae doceri vult, ulla arte distinguit."

§. 21. *Nihil haereremus, quin undique complerentur*] In veteri Codice est: „nihil haberemus, quum undique complerentur." Germanicus vero habet ad marginem: „nihil haberem, quod reprehenderem, quum undique complerentur." Quae vera videtur lectio.

§. 23. *Quibus vinum diffusum e pleno sit oenophoro, ut ait Lucilius* cet.] Lucilii opera interciderunt, ex quibus hunc depravatum locum emendare licuisset. Propterea, nisi ex coniectura, quum etiam vetera exemplaria corrupta sint, locus corrigi non potest. Ac dum meliora aliquis proferet, eam sequatur lectionem, quam coniectura elicit Aldus F. ex Plinio et Martiale, ut pro eo: „cui nihil dempserit ius et sacculos abstulerit", legamus: „cui nihil dempserit nix et sacculus abstulerit." Quod sequitur: „argentum Odrilitium" vetus codex habet: „argentum Corinthium" cet.

§. 26. *Divisit ineleganter* cet.] Codex ille vetus habet: „divisit negligenter." Illud tamen verum esse videtur propter ea, quae paullo post sequuntur: „in hac divisione, rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero." Mox ubi alii: „Qui si diceret cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes; naturalium item quoque duo, necessarias et non necessarias;" Germanicus aliam ad marginem lectionem habet adscriptam, cuius vestigia in Codice veteri exstant. Sic Germanicus: „Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent: Duo genera cupiditatum, natur. et inan. Naturalium duo, necessariae et non necessariae." Antiquus vero verba quaedam omisit; sed quae reliqua sunt, conveniunt: „Qui haec et inanes naturalium duo, necessariae et non necessariae"; deinde sequitur: „confecta res est."

§. 29. *Caetera addit, quae si appelles, honos praestandus sit*] Ubi vulgo Codices habent: „honos praestandus"; vetus ille habet „honos praefandus", quod verum videtur.

Quamquam haec sunt contraria] In vetusto est: „quam haec sunt contraria"; et ita Germani ad marginem libri sui scripserunt.

§. 30. *Quam nemo unquam voluptatem appellat*] In vetusto Codice ita scriptum est: „quam nemo unquam voluptatem appellavit, appellat."

§. 31. *Quamquam multum vitiosa*] In veteri est: „Quam multa vitiosa"! Paullo post: „nec ullum habet ictum, quo pellat animi statum" melius alii libri habent: „nec illum habet ictum quo pellat animum status hic non dolendi."

§. 33. *Animum scilicet et corpus*] In veteri non est scriptum illud „scilicet."

§. 34. *Eligente ea quae essent secundum naturam reiicienteque contrariam*] In veteri codice est: „eligentem ea, quae essent — reiicientemque contraria."

Vivere cum intelligentia] Verbum „intelligentia", dum ad voces „eligentem, et reiicientem" referri librarii putaverunt, casum mutaverunt.

§. 41. *Quibuscum bellum gerebat, opponeretur*] Vetus: „opponeret", quod etiam Germanici ad Codicis marginem adscripserunt.

§. 44. *Maximam vim cum illis populis facit*] Vetus Codex habet: „maximam vim populus cum illis facit"; et eam lectionem Germanici etiam adnotarunt.

In eadem rerum comparatione] Nonius legit: „in eam rerum comparationem positum putat", pro eo, quod habemus: „in eadem rerum comparatione."

Ubi si memoria forte defecerit tuum est ut suggeras.] Manuscriptus habet duntaxat pro illis: „nisi ubi memoria forte defecerit." Utrum sit verius, iudicent eruditiores.

§. 45. *Currat longius*] Vetustus Codex: „serpat longius."

§. 49. *Perfectum atque laudabile*] Germanicus Codex: „per se rectum atque laudabile."

§. 52. *Unde est hoc contritum vetustate proverbium*] In vetusto Codice, item in Germanico „concisum proverbium" citatur, et deest verbum: „mices."

§. 54. Ubi Codices impressi habent *Cn. Scipioni*] vetus habet: „Cn. Caepioni", quod verum esse putat Aldus filius.

§. 55. Pro eo, quod est: *Nemo nostrûm negabat*] alii Codices et vetus meus habent: „Nemo nostrûm credebat."

§. 58. *Si te amicus tuus moriens rogaverit ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit* (*ut scripsit Fabius*) *nec cuiquam dixerit*] Sic habent impressi, sed vetus codex habet: „Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit foedus, nec cuiquam dixerit." Iudicent eruditiores; mihi sat est, quod reperi, bona fide indicasse.

§. 59. Quod etiam alii habent Codices: *Mors tibi emolumentum factura sit*] vetus, ut Germanicus quoque, „futura sit."

§. 62. *Sic a me satis testium est dictum*] In manuscripto Codice est: „Sic a me satis datum est testium", ut paullo ante dixit: „datis testibus."

§. 65. Codex vetus aliquoties ab impressis evariat, ubi enim hi habent: *voluptatum omnium varietate*] ille „voluptatum omni varietate." Et sequitur: „hunc vero beatum ratio quidem vestra", quum impressi habeant „Oratio quidem vestra." Paullo post: „tum ipsum

cum vigiliis" vetus habet: „cum ipsum." Item paullo supra pro „Lanuvius" vetus habet: „Lanuvinus", quod etiam Germani ad marginem libri sui adnotarunt.

§. 66. *Stuprata per vim — testata cives se ipsa*] Alii: „testata crimen."

§. 67. Ubi Codices excusi habent *Quos et quantos viros habere testium sat est*] vetus tantum habet: „quos et quantos viros", ac desunt quattuor illa verba: „habere testium sat est", ut sit admiratio. „Quos et quantos viros suppeditabit Atticus!"

§. 69. *Ne quid perficeret imprudens*] In veteri codice legitur, item in Germanico: „ne quid faceret."

§. 70. *Quid affers cur Thorius, Postumius, cur Chius* cet.] In manuscripto est: „Quid affers, cur Thorius, cur Chius Postumius, cur omnium cet." Quod autem legitur Chius, arbitror mendum esse; cur autem arbitrer, id facit locus Plinii *Lib.* IX. *cap.* 33. ubi ait, muraenarum vivarium privatim ante alios excogitasse C. Hirium. Itaque forsan pro „Chius" legendum „C. Hirius", ut inscite litera C coniuncta sit cum „Hirius" et duae literae *ri* praetermissae, ut fere fit.

Nisi plane fatui sint] Vox „plane" non est in veteri Codice.

§. 71. *Sive opibus maius quidquam fecerit, certeque mallet obtinere existimari bonus vir*] Id evariat a scriptura, quae est in antiquo exemplari. Sic enim habet: „Sive opibus magnis quicquid fecerit obtinere, certeque mallet existimari bonus vir." Quam lectionem adnotasse etiam Germanos in Editione Basileensi reperio.

§. 75. *Individua, quum dicitis, et intermundia*] Duo illa verba: „quum dicitis" in vetusto scripta non sunt exemplari, nec multum ad rem facere videntur.

§. 77. *Haec quum loqueris, nos barones stupemus*] Alii „Varrones," Manuscriptus codex habet „Barones", ut etiam legit Victorius. Paullo post: „vide ne non debeas" vetus habet „dubites."

Concilioque proferendae sint] Vetus: „profitendae sint."

§. 78. *Quod non sub dubia utilitatis ratione*] Diu me torsit hic locus, qui primum mendo carere non videbatur, nec scrupulum abstulerunt veteres codices, in quibus est eadem, quae in vulgaribus lectio. Tandem incidi in Nonium Marcellum, qui hunc locum profert et pro „sub dubia utilitatis ratione" legit: „subducta ut. rat.", quae vera esse lectio videtur.

§. 79. *Quid enim de amicitia statueris, utilitatis causa expetenda*] Tria verba: „utilitatis causa expetenda" sunt, qui supervacanea existiment. Sed quod sequitur propter lectionum varietatem, est difficilius. Sic enim in vulgatis codicibus legitur: „vide, ne in odium veniam, si amicum destitero tueri. Primum cur ista res digna odio est? Numquid est turpe, nisi quod est? Si ne quo incommodo afficiare" cet. In veteri ad hunc modum: „Videsne? in odium veniam, si amicum destitero tueri. Primum cur ista res digna odio est, non quod est turpis, nisi quod est; sine quo incommodo afficiare" cet. Germanicus Codex: „Primum cur ista res digna odio est: nisi quod est turpis? quod sine tuo incommodo" cet. Ex tam variis iudicent alii, quid

verum sit; mihi placeret, si ita legeretur: „Vide ne in odium veniam, si amicum destitero tueri. Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Si ne quo incommodo" cet. Nihil tamen affirmo.

§. 81. *At multis se probavit et quidem in rem fortasse*] In antiquo Codice est: „et quidem iure."

§. 84. *Et tamen tantis vectigalibus* cet.] Codex manuscriptus habet: „Et tamen tantis vectigalibus ad libertatem utens eam sine hac Pyladea amicitia multorum benevolentia praeclare et tuebere et munies."

§. 85. *Praediorum fructuosorum*] Alii habent: „pretiosorum."

§. 86. *Contra omnem infelicitatem*] Alii Codices: „Contra omnem miseriam", quod familiarius verbum est Ciceroni, ut etiam potius beatum et miserum dicit, quam felicem et infelicem. In veteri, quo usus sum exemplari, locus iste mancus est.

§. 91. *Qui enim voluptatem ipsam* cet.] Nonius Marcellus citat hunc locum, ubi scribitur: „Voluptates ipsas contemnunt eis licet dicere."

§. 92. *Verum isto modo consequatur*] Alii: „Verum esto consequatur", ut etiam habet vetus.

Paene aliter quam Epicurus] Particula „quam" deest in veteri. Unde coniectura ducor legendum esse: „paene alter Epicurus."

§. 94. *Quaedam alia toleratio est verior*] Alii legunt: „Quorum alia toleratio est verior." Alii: „Quaenam alia." In veteri est: „Quae non alia toleratio" cet.

§. 95. *Turpe esse viro debilitari, dolere, frangi*] Alii habent: „Viri non esse debilitari, dolore frangi" cet.

§. 96. Ubi alii Codices habent: *Tanti autem morbi aderant vesicae et viscerum*] vetus habet: „Tanti autem aderant vesicae et torminum morbi."

Voluntate ab adolescentia suscepta] Vetus exemplar habet: „Voluntate ab adolescentulo suscepta." Quod etiam in Basileensi Codice est notatum.

§. 99. *Vincuntque scripta eius bonitate ipsius ac moribus*] Alii habent: „Vincunturque eius scripta probitate", quam lectionem retinet vetus, nisi quod pro „vincuntur" corrupte habet „vaeneantur."

§. 101. *Antinomachus*] Vetus Codex legit „Aminomachus", sed peccat in una litera *i*. Sic enim est scriptum apud Laërtium, qui hoc Epicuri testamentum refert.

§. 105. *Manliana nostra*] Admonet Erasmus hoc loco pro „Manliana nostra" forsitan legendum esse: „iussa." Codices nonnulli habent „vestra."

Graece enim hunc versum] Antiquus Codex: „Graecum enim hunc versum." Et paullo post in veteri eodem exemplari, versus magis constat, quam in impressis: „Suavis laborum est praeteritorum memoria."

§. 106. *Diutius sentire poterat dum vita frueretur*] In vetusto Codice est: „Diutius sentire poterat, quam dum fruebatur." Paullo post: „Avolat, ut aiebat" desunt duo verba „ut aiebat" in veteri, et pro „causas poenitendi" legitur „causam."

§. 109. *Turtures et cursu et peregrinatione laetantur, congre-*

gatione aliae.] In antiquo Codice legitur: „partim cursu et peragratione laetantur cet." Nec adiungitur verbum „Turtures" quod a quodam superscriptum videtur, ut eius generis haberet exemplum; deinde a scriptoribus, ut verum, inter Ciceronis verba adscriptum.

§. 112. Ubi Codices impressi habent partim „Athove" partim „Atho", vetustum exemplar habebat „Athone", et certe scribit Priscianus hac inflexione in libr. de Rep. usum fuisse M. Tullium, ubi ait: „Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est Athos aut Olympus tantus?"

Mel se afferre ex Hymetto] In veteri est: „Mel se auferre."

§. 117. *Et quid ipsis expediat facturos arbitramur*] Codex antiquus habet: „Et quidquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur."

Sunt etiam turpitudines plurimae, quae nisi honestas natura plurimum valeat] Antiquum exemplar habet: „quae, nisi honesta natura plurimum valent." Alii: „honestatis natura."

§. 119. *Syronem dicis et Polydemum*] In veteri est „Philodemum."

LIBER III.

§. 1. Quod in Codicibus legitur: *Et utilitatem ex eave natam laetitiam,*] legi debet illis duabus „et utilitatem" dictionibus detractis, quas neque ille vetus Codex, quo usus sum, habet. Hae vero e cuiusdam grammatici interpretatione insertae videntur, qui nomine voluptatis utilitatem quoque intellexit, ut alicubi libr. II. M. Tullius ait, se malle utilitatem, quam voluptatem in causa esse dicere, cur sui commodi gratia voluptatis patroni omnia faciant. Qui eradere nolet duo illa verba, recipiat Camerarii coniecturam, ut pro „utilitatem, titillantem" legamus.

§. 3. *Ut commoveri nos satis sit*] Alii melius: „commoneri."

Constituantur earum rerum vocabula] Alii: „construantur."

§. 5. *Sed etiam in illorum ipsorum consequamur*] Vetus exemplar: „assequamur."

§. 7. *Quasi helluo librorum*] In exemplari manuscripto est: „quasi helluari libris.

§. 11. *Egone, quaeris, inquit, scire quid sentiam?*] Verbum „scire" abundare puto, quod nec habet vetustus Codex, nec ad rem facere videtur.

§. 15. *Quum sit verbum quod idem declarat, magis minusve usitatum*] In veteri exemplari est: „Quum sit verbum quod magis idem declarat usitatum."

§. 16. *Ductum esse a se diligendi sui*] In antiquo Exemplari est: „Ductum esse a se diligendo."

§. 22. *Ne quis sit, qui existimet*] In veteri est: „ne quis sequi existimet."

Collimare] Ita in vetusto Codice legitur, in aliis „collineare."

§. 26. *Τέλος Graecus dicat*] In antiquo exemplari est „Τέλος Graeci dicant."

Sed consectari me Stoicorum brevia cet.] Hic locus in Codice MS. ab impressis aliquantum evariat; sic enim in eo legitur: „Sed

consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile: quod autem laudabile est, omne honestum; bonum igitur quod est, honestum est. Satisne conclusum videtur? Certe. Quod enim efficiebatur, ex his duobus, quae erant sumpta in eo, vides esse conclusum. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, non omne bonum esse laudabile. Nam quod laudabile sit, honestum esse conceditur. Illud autem perabsurdum, Bonum esse aliquid, quod non expetendum, quod non placens: aut si id non etiam diligendum" cet. Utra lectio verior sit, iudicent peritiores; mihi sat est, rem bona fide proposuisse.

§. 28. *De sola igitur beata* cet.] Hoc etiam loco aliter leguntur in veteri, atque in impressis codicibus. Sic enim ille habet: „De sola igitur beata. Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam, quod non possit quidem, nisi honestae vitae iure contingere. Ita fit, ut honesta vita beata sit. Et quoniam is cui" cet.

Ut ad ea, quae tanta sint] Alii Codices: „ut ab ea" cet.

§. 29. *Quod vero negari nullo modo* cet.] Aliter Codex vetus habet, sic enim in eo legitur: „Quod vero negari etiam nullo modo possit, quemquam stabili et firmo animo" cet. Pro „quemquam" alii habent „quem, inquam" alii „unquam."

§. 31. *Quae similes earum sunt*] Vetus melius: „et his si quae similes earum sunt." Paullo post: „Et si quae etiam contra naturam sunt", vetus: „et quae contra naturam sunt", ut traiectio particulae „si" animadverti possit.

§. 33. *collatione rationis*] Vetus Codex habet: „cognatione rationis."

§. 35. *Quamquam Stoici communi nomine*] Melius habent alii Codices: „quamque Stoici" cet.

§. 38. *Si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statueremus*] Alii: „statuerimus." In veteri scriptum est: „statuemus."

§. 40. *Haec tu, inquam, Cato, verbis illustribus*] MS. habet: „nae, tu, inquam, Cato" cet. quo modo loquitur initio L. IV. huius operis: „nae tu, inquam, Cato, ista exposuisti cet." Paullo post: „nec efferre sese nostris sermonibus" Vetus exemplar: „nec offerre se nostris sermonibus."

§. 41. *Habere Stoicos et Peripateticos rerum omnino discrepantiam*] In veteri Codice est: „inter Stoicos et Peripateticos rerum omnino discrepantiam." Quam lectionem etiam Germani adnotarunt.

Compleri vitam beatam putent] Alii Codices habent: „complecti"; sed hanc lectionem verba, quae aliquanto post sequuntur, refellunt: „illi enim corporis commodis compleri" cet.

§. 43. *Quae nos bona naturae appellemus*] Alii: „Quae nos bona vere appellemus." Vetus: „quae nos bona quidem appellemus."

§. 44. *Etenim si valere et sapere magis expetendum sit, quam sapere solum*] Hic locus varie legitur. In nonnullis codicibus in hunc modum: „etenim si valere et sapere magis expetendum sit quam sapere solum, neque tamen si utrumque sit aestimatione dignum, pluris sit

coniunctum, quam sapere ipsum separatim. Nam" cet. In veteri Codice sic legitur: „Etenim si et sapere expetendum sit et valere, coniunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere ipsum separatim. Nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus, neque tamen" cet. Alii Codices plura habent in hunc modum: „Etenim si et sapere expetendum sit et valere, coniunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum: neque tamen si utrumque sit aestimatione dignum, pluris sit coniunctum, quam sapere ipsum separatum; nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam videamus; neque tamen eam" cet.

Quod idem Peripatetici non tenent] Vetus: „tenerent."

§. 45. In veteri Codice non *Muriae* sed *mellis* legitur. *Quaecunque opportuna dicuntur*] Alii: „quaecunque opportuna." Vetus: „quae opportuna."

§. 49. *Cogitationes comprehensionesque*] Melius: „cognitiones."

§. 53. *Nec haec posita non aliqua essent praeposita*] Vetus Codex: „nec hoc posito non aliqua esset praeposita." Si pro „esset esse" legamus, vera erit, ut arbitror, quae est in veteri Codice lectio: „nec hoc posito non aliqua esse praeposita." Quod sequitur: „Recte igitur haec facta distinctio est" vetus Codex habet: „definitio." Paullo supra, ubi alii: „Itaque id definimus" vetus: „idque ita definimus."

§. 56. *Bona valetudo*] Vetus habet: „integra valetudo."

§. 57. Ubi alii scriptum habent: *in eam porrigendam*] ille habet: „eius causa porrigendum."

§. 59. *Omni officio continetur*] Alii: „communi officio." Vetus: „omnium officio continetur."

§. 60. *Huius officium est e vita excedere*] In vetusto exemplari legitur: „de vita excedere." Paullo post, ubi alii „desciscere a vita", quidam legunt: „deficere a vita." MS. habet „desistere a vita."

§. 63. In quibusdam Ciceronis Codicibus pro „Pinnoteres" legitur „Pinnophylax."

§. 67. *Qui negaret iniustum fore*] MS. Codex „migraret" quod probat Camerarius et Victorius.

§. 69. *Ut ergo conservetur*] Vetus habet: „ut vero conservetur."

§. 72. *Temeritas ignoratioque vitiosa est, ab his ea quae tollit haec virtus*] In veteri est: „temeritas ignorantiaque vitiosa est, ars ea, quae tollit haec, virtus nominata est."

§. 76. *Exstructum rogum protulisset*] In veteri est: „pertulisset" quam etiam lectionem adnotatam habebat Basileensis Codex.

LIBER IV.

§. 1. *Nova lege videam*] Vetus Codex habet: „nova lege audiam."

In hac mea causa tempus dilaturum putas] In vetusto exemplari est: „in hac me causa tempus dilaturum" cet.

§. 2. *Tum ego non me hercule soleo*] Addit vetus: „Non me hercule, inquam, soleo."

§. 6. *De fortitudine hominum, de spinis vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium*] Ita Marsus legit: „de fortitudine: nec more

hominum vellentium spinas, ut Stoici, nec ossa nudantium." Quae lectio vera necne sit nihil dico. In eo enim veteri, quo usus sum, codice, scriptum non est aliter, quam in vulgatis. Germani ad marginem scripserunt: „spinas."

§. 7. Nonius hunc locum citat, ubi legit: *Rotunde quippe: habeo enim a rhetoribus.*] Et ita codex vetustus, quo usus sum, scriptum retinet.

§. 8. In vulgatis Codicibus depravate legebatur: *Ut tres in partes dividatur.*] Et paullo post: „Caput esse faciunt, eaque perspicua dicunt"; pro eo, quod in veteri est: „Ut res in partes dividatur" cet. „Caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt."

§. 14. *E quibus plenissime Polemo*] Vetus Codex: „planissime Polemon."

§. 16. A codicibus impressis noster manuscriptus aliquot in locis dissentit: „Ad hanc rem aiunt artes quoque exquisitas": Vetus: „requisitas." Paullo post: *quumque earum et unum quodque per se:*] Vetus: „eorum utrumque." Alii: *a contemplatione rerum occultiorum*] Vetus: „occultarum." Alii: *rationes explicandi*] Ille: „explicandae rationis."

§. 19. *Finis is esset, quid natura maxime quaereret*] Antiquus Codex habet: „quem natura maxime quaereret." Et mox: *quae tributa est virtutis tanta praestantia*] Ille: „virtutibus." Paullo post: *de omni honestate dicuntur, fatebuntur Stoici haec omnia dicta esse praeclare? Neque enim eam*] Antiquus, ut etiam quidam impressi, aliter distinguit in hunc modum: „de omni honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici, haec omnia dicta esse praeclare, neque eam causam Zenoni" cet.

§. 22. *Quae est igitur vera philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libello suo?*] Vetus: „quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur: in libellis suo?"

§. 25. *Quae sunt eiusdem modi*] Vetus habet: „quae sunt cuiusdam modi", quod probat Camerarius. *Hoc ius bonorum videatur extremum*] Alii: „his bonorum videtur extremum." Vetus: „hoc his bonum videatur extremum." Sequitur: *age nunc isti doceant*] quum in aliis sit: „ista doceant; Paullo post: „Et quonam modo" Vetus: „ecquonam modo."

§. 28. *Summum bonum id constituit, non excellere animo*] In veteri scriptum est: „non ut excelleret animus, sed" cet.

§. 29. Volumus etiam hoc loco, quid ab impressis codex noster differat, exponere. *Obscuratio sequitur*] Ille habet: „consequitur." Alii: *ut in sole quod a te dicebatur, lucernam adhibere aut teruntium addere*] Ille scriptum habet: „ut in solem, quod a te dicebatur, lucernam adhibere, nihil interest, aut teruncium adiicere." Locus, qui paullo post sequitur et de cuius lectione controversia est, in eo sic legitur: „Si aeque vita iocunda menstrua addatur, quia momentum aliquod habeat ad iocundum accessionem, bonum autem si: Si autem id" cet. Quod minus liquidum est, quam quod in aliis scribitur. Sed fortasse alicui ad coniecturam proderit.

§. 35. *Ex virtute vitam fingere*] Vetus codex: „e virtute agere."

§. 37. *Quid intersit naturae*] Vetus: „quod iter sit naturae."

§. 39. *Potius quam uno fine omnia concludant. At enim iam natura dicitis.*] In veteri codice aliter legitur: „Potius quam uno fine utrumque concluderent. At enim iam dicetis virtutem non posse constitui."

§. 41. *Quid enim aliud intelligetur, nisi ut aeque pars naturae negligatur*] In veteri codice est: „Quid igitur aliud intelligeretur, nisi ut inaeque pars neglegatur." Quae lectio non multum abest ab ea, quam Aldus F. probat, „ne qua pars negligatur." Est enim illud „que" compendiose scriptum q' quod aliquando legi in eo, pro „qua." Sequitur autem paullo post: *ante explicationem*] Antiquus habet: „ante explanationem."

§. 45. *Informari non posse virtutem*] Vetus: „conformari."

§. 48. *Nunc venio ad illa tua brevia, quae consectaria* cet.] Libro tertio dicebat Cato: „Sed consectari me Stoicorum brevia et acuta delectat": ubi diximus in veteri codice scriptum esse: „consectaria delectant"; quam veram esse lectionem, ex hoc loco confirmari licet.

§. 50. *Illud vero minime consectarium*] Alii habent „consentaneum." Apud Nonium Marcellum legitur: „coniectarium", quod interpretatur „efficax, perfectum; sed puto mendum in eo esse.

§. 53. *Et si una litera commota sit, fore tota, ut labet disciplina*] In veteri codice verbum unum additur, ad hunc modum: „et ais, si una litera commota sit."

§. 56. *Postea tuus ille Poenulus, scis enim citius, quam hunc a philosophia.*] Haec verba: „quam hunc a philosophia" in quibusdam codicibus non leguntur, nec erant in veteri. Hunc locum legendum putat vir doctissimus Ioach. Camerarius ad hunc modum: „Postea tuus ille Poenulus, scis enim, Citticas clientes tuos a Phoenicia esse profectos."

§. 60. *Quibuscum re conveniebat*] Nonius Marcellus pro „conveniebat" legit: „concinnabatur." Vetus Codex habet: „concineret."

§. 61. *Maxime ornamento est*] Vetus: „maximo ornamento est."

§. 62. *Nisi et te audire nunc vellem*] Vetus: „*mallem.*"

Quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse] In vetusto est ita scriptum: „Quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant, nec quia bonum sit" cet.

Quasi barbari] Alii melius „Barbati."

§. 64. *Nihil enim adiuvat*] Vetus: „Nihil igitur."

Quoniam nondum videbat aeque caecum animo, ac Phalarim fuisse] Vetus exemplar habet: „Quoniam nondum videbat sapientiam, aeque caeco animo ac Phalarim" cet.

§. 65. *Hi similes sunt omnibus*] Vetus habet: „His similes sunt omnes."

§. 67. *Quarum, inquiunt, artium summa crescere potest, earum etiam contrariarum.*] Vetus codex: „quarum, inquit, artium summa crescere possunt."

§. 68. Versus, quem ex Accio citat M. Tullius, varie in codicibus legitur. Alii habent: *Ex ea difficultate illae fallacis loquelae, ut ait Accius, malitiae natae sunt.* Alii: „fallaciloquelae", quod habet noster vetus. Alii malunt; „Fallaciloquae." Sed vera lectio ea esse videtur, quam reperimus apud Nonium Marcellum in hunc modum: „Quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chrysippo ex ea difficultate illac fallaciloquentiae, ut ait Accius, malitiae natae sunt"; ut sit in gignendi casu „fallaciloquentiae."

§. 72. *Sed praeposita aut praecipua, malo sit tolerabilius et mollius*] Melius alii codices: „Sed praeposita aut praecipua malo; sic tolerabilius et mollius."

§. 74. *Solum liberum, solum civem, omnia contraria stultis*] Alii malunt: „Solum civem, stultorum omnia contraria." Verum videtur: „Solum civem, omnia contraria stultos, quos etiam" cet.

Non ergo tecum iam ita loquar] Vetus codex: „Non ergo tecum iam iocabor."

§. 75. *Ut, inquit, in fidibus plurimis, si nulla earum ita contenta numeris sit.*] Est hic locus aliter paullo scriptus in vetusto codice, quam in impressis, in hunc quidem modum: „Ut, inquit, in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta nervis sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint: sic peccata, quia discrepant, paria sunt. Igitur hic ambiguo ludimur. Aeque enim" cet.

§. 77. *Ut quo hae maiores minoresve sint, eo quoque peccata in his rebus aut maiora sint aut minora.*] Vetus habet: „Eo, quae peccentur in his rebus" cet.

§. 78. *Dum sibi evelli ex ordine nolunt*] Alii habent: „ex ore."

LIBER V.

§. 1. *postmeridianam*] Alii „pomeridianam", quod usitatius ait in Oratore Cicero.

§. 3. *Species quaedam commovit inanis scilicet*] Vetus habet: „inaniter."

In anulis habent] Nonius Marcellus pro „anulis" hoc loco „anellis" legit.

§. 4. *Scis enim, me quodam tempore* cet.] Vide rectene legatur hoc loco: „Locum, ubi vitam ediderat", legendumne potius: „ubi vitam reddiderat", aut quid simile.

Tanta ingenii magnitudine] Vetus: „Tanti ingenii." Item

§. 5. alii: *locum libenter invisit:*] pro eo, quod vetus: „locum diligenter invisit."

§. 7. *Tamquam ex omnium artium officina*] Vetus: „omnium artificum", quam lectionem Germani etiam adnotarunt.

§. 8. *Studet enim meus audire Cicero* cet.] Apud Nonium legitur: " Sedet enim me vis audire Cicero, quaenam sit istius veteris quam commemoras, de finibus bonorum Peripateticorumque sententia."

§. 9. *mathematicorum ratione*] In veteri Codice vox „ratione" non adiungitur.

§. 10. *Disserendique ab iisdem, non dialectica solum, sed etiam*

oratoria] In antiquo exemplari est: „Disserendique ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita."

§. 13. *Huius Lysias et oratione locuples*] Stratonis successorem dicit Laërtius Lyconem, Troadeum. Ergo pro „Lysias" hoc loco legendum „Lyco", ut etiam in veteri Codice, quo usus sum, scriptum est.

§. 24. *Hanc initio constitutionem*] In veteri est: „institutionem."

§. 27. *Quod idem reapse primum est*] Alii legunt, ut tria verba sint: „re abs se."

§. 28. *Res enim concurrent contrariae*] Vetus: „occurrent."

§. 29. *Et quum in mala scientes irruunt, tamen se optime consulere arbitrantur.*] Vetus addit: „Sibi", ut sit, se optime sibi consulere.

§. 33. *Sive ut doctissimis viris* cet.] Vetus habet; „Sive enim ut doctissimis viris" cet.

appetitum rerum a natura] Vetus scriptum habet: „ad naturam."

§. 35. *Est enim actio quaedam corporis*] In veteri codice est: „Est autem actio etiam quaedam corporis."

§. 36. *ususque corporis apta esse*] Vetus: „apti esse."

§. 38. *Animum illi pecudi datum* cet.] Nonius Marcellus hunc locum citat legitque pro: „putresceret, putisceret."

§. 39. *Itaque et vivere vitem et mori dicimus*] In veteri est: „et vivere, et vigere, et mori."

Apta quaedam ad naturam aptare] Alii melius: „putare."

§. 40. *Eorumque omnium appetitum*] In veteri scriptum est: „Eorumque omnem appetitum."

§. 41. *Nunc vero a primo quidem mirabiliter* cet.] Vetus habet: „Nunc vero quod mirabiliter occulta natura est, nec prospici nec cognosci potest." Et paullo post sequitur in eodem: „Primusque appetitus ille animi tantum agit, ut salvi atque integri esse possimus. Quum autem dispicere coepimus, et sentire quid simus" cet.

§. 42. *nepas aculeis*] citat hunc locum Nonius et in eius codice legitur: „natare anaticulas, volare merulas, cornibus uti videamus boves, nepas aculeis" cet. Male in quibusdam codicibus Ciceronianis „vespas" legitur pro „nepas."

Advertuntque ea, quae domi fiunt cet.] Hic locus paullo aliter est scriptus in veteri in hunc modum: „Animadvertuntque ea, quae domi fiunt curiosius, incipiuntque commentari aliquid facere et eorum, quos vident, volunt" cet.

§. 43. *Sunt enim prima elementa naturae, quibus auctis"* cet.] Vetus codex, „quibus actis."

§. 44. *Sequamurque eam vitam quae rebus ipsis perfruatur*] Alii Codices habent: „perficiatur."

§. 46. et 47. *Quod universum propter se expetatur, quod in motu et in statu corporis nihil est, quod animadvertendum* cet.] In veteri scriptum: „Quod universum propter se expetatur. Quid? in motu et in statu corporis nihil inest, quod animadvertendum esse natura indicet?" Quae lectio propemodum eadem illi est, quam probat Camerarius.

§. 48. *Quarum est aspectus illustrior*] Vetus: „conspectus."

Ut pulsi requirant cet.] Hic locus in veteri paullo aliter legitur hoc quidem modo: „ut pulsi recurrant? ut aliquid se scire gaudeant? ut aliis narrare se gestiant?"

§. 49. Quod ait *Regum vestigia*] haud scio, legendumne sit: „rerum vestigia", quum tantum Graece sit: ὅσα γένηται. Iudicent eruditiores.

§. 50. *Quantum Aristoxeni ingenium*] Vetus: „ingenii."

§. 54. *Nisi requietem corporis et medicinam*] In veteri est scriptum: „Nisi requietem corporibus et medicinam."

§. 56. *Endymionis somnum nobis velimus dari.*] Hic locus paullo aliter est scriptus in veteri, quam in impressis: sic quidem in veteri: „Itaque neque iocundissimis quidem nos somnis usuros putemus, Endymionis somnum nobis nolimus dari. Id si accidat, mortis instar putemus, quia etiam notissimos homines, nescio qua singulari segnitia praeditos, videamus tamen et corpore et animo moveri semper, et quum re nulla impediantur" cet. Deinde paullo post: „Quumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes circulos aliquos et sessiunculas consectari." Quae scriptura, etsi mendo non vacet, non est tamen omnino improbanda.

§. 58. *Actionum autem genera plura*] Est et hic locus aliter scriptus in veteri, quam in codicibus vulgatis, in hunc quidem modum: „Maximae autem sunt primum, ut mihi quidem videtur, et his quorum nunc in ratione versamur, consideratio cogitatiove rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et iacentes indagare ratio potest; deinde rerum publicarum administratio, aut administrandi scientia, tum prudens, temperata, fortis ratio" cet.

§. 59. *Sed virtutem ipsam inchoavit. Nihil itaque amplius nostrum est*] Alii melius: „Sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. Itaque nostrum est."

§. 69. Quod autem hic legitur: *Hac videlicet ratione, quod ea, quae externa sunt, his tuemur officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis*] apertius multo esset et aptius videretur ad ea, quae sequuntur, si ita esset scriptum: „Hac videlicet ratione, quod iis, quae externa sunt, haec tuemur officia" cet. Nihil tamen affirmo, ac malo inscitiam meam confiteri, quam quod non intelligam, depravatum esse proclamare.

Excitantur spe gloriae, quae habet formam honestatis] Vetus Codex habet: „excitantur saepe gloria, quae habet speciem honestatis."

§. 70. *Tiberina decursio*] Alii: „descensio": Vetus: „dissensio." Sed verum est „decursio", quod doctissimus vir Camerarius ex Ovidii versibus probat.

§. 71. *Sine illis possit beata vita exsistere*] Vetus habet: „consistere."

§. 74. *Digna claris viris, digna principibus*] Duo posteriora verba non sunt in veteri codice.

§. 75. Paullo post: *Quid est, inquit, satisne videor*] Vetus:

„Quid? inquit. Satisne" cet. Sequitur: „ut si tui copia nobis semper fieret." Vetus habet: „tui potestas."

§. 77. *Nescio, quo praetervolavit oratio*] Vetus habet: „Nescio, quomodo praetervolavit."

§. 84. *Dolor est malum, in cruce qui angitur, beatus esse non potest.*] In veteri scriptum est: „Dolere malum est, in crucem qui agitur, beatus esse non potest." Quod in Basileensi Codice etiam adnotatum est.

§. 87. *εὐθυμίαν et saepe ἀκακίαν*] Quidam Codices habent: ἀκαμίαν, alii ἀθαμβίαν, ut propemodum vetus, quem habeo.

§. 88. *Nec dubitant, quin in virtute*] Alii: „nec dubitatum." Vetus: „nec dubium."

Ego, quam ille praeponendam et eligendam] Vetus: „magis eligendam."

§. 90. *Mihi etiam lautius videtur, quod eligitur*] In veteri legitur: „latius videtur", quod haud scio, verumne sit.

§. 92. *Igitur si semel tristis effectus est*] In veteri legitur: „Ergo si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est. An hoc in eo" cet.

§. 94. *Propter oculorum dolorem*] In veteri, quo usus sum, est: „Propter genu dolorem", quod non admonuissem, nisi Tuscul. 2. Ciceronem vidissem alium morbum nominare, quam Laërtium.